12
1

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
7 A
22

Digitized by Google

+
X
79

Digitized by Google

Digitized by Google

Dom. Prof. Rom. S. J. Bibl. Comm



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

DOM. PROF. ROM.
IHS
BIBL.

REGIS
FERDINANDI III.
Bohemica effigies
OVO incluſa.



Omnia dum noſtris concludere quærimus OVIS,
Hæc etiam nobis REGIS *imago venit.*
Quâ ſemel oblatâ, CONCLVSIMVS OMNIA, *dixi:*
Omnia ſi deſint, omnia VICTOR *erit.*

Digitized by Google

SERENISSIMO,

POTENTISSIMO,

HVNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIAE, ET SCLAVONIAE &c.

REGI,

FERDINANDO III.

ARCHIDVCI AVSTRIÆ, DVCI BVRGVNDIÆ, MARCHIONI MORAVIÆ, DVCI LVCENBVRGÆ, ET SILESIAE;

nec non

STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, ET WIRTENBERGÆ, MARCHIONI LVSATIAE, COMITI HABSPVRGI, TYROLIS, ET GORITIAE &c.

GENERALISSIMO;

REGI, PRINCIPI, VICTORI,
DOMINO, D. clementiſſimo.

PLVTARCHVS auctor eſt, monitum aliquando eſſe à non nemine ſapientiſſimum illum Solonem, REGIBVS *aut minimùm, aut ſuauiſſimè loquendum*; cui Solon reſpon-

 derit:

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

derit: *Non, per Iouem, at minimè, aut optimè*; Pari judicio cõplures cenſebunt, REGIBVS aut *minimè, aut optimè* donandum. Eapropter ego quoque multis viliſſimum, & Maieſtate Tua, recentíq; victoria longè maximâ haud ſatis dignum munus videbor afferre, SERENISSIME REX, dum OVA affero, rem in villis natam, atque opes ruſticanas. Quorum cenſuram facilè correxero, ſi oſtẽdam, quæ ſit Tua virtus, quæ mea facultas, quod precium OVI.

Nam etſi, poſt graues, diuturnos periculoſóſque labores; & præter Ratisponam, Donavverdam, Nördlingam, aliáque loca recepta, nuperrimè 8. Idus Septemb. victoriam edidiſti, nullis vnquam aut calamis, aut linguis ſatis memorandã, ne dum remunerandam; attamen Virtus Tua Regia, hoc eſt, vel iſto quoque nomine magna eſt, quia parua non contemnit. Siniſtrè de magnis judicat, qui eos exiſtimat paria facere, & recipere velle, aut contentos eſſe non poſſe, niſi magnis. Ditari qui malunt, quàm ſalutari, inopiam profitentur. Aliud eſt Maie-

ſtas

ſtas, aliud cupiditas; hæc myrmecia, & Dathum, imò quoddam mare bonorum vbique ſpectat, & expectat; illa vult, meretúrque ab omnibus coli. Quo pacto autem ab omnibus coli poſſet, ſi ab omnibus grandia expectaret? Soluit ergo Maieſtatem, qui humanitatem ab eâ excludit. Neque enim Maieſtas ab omnibus coleretur, ſi humanitas, etiam exigua afferentibus, acceſſum non daret. Auctore Iuſtino *lib.* XI. *Tyriorum ciuitas coronam auream magni ponderis, per legatos, in titulum gratulationis, Alexandro miſit*, & minùs effecit, quàm qui canes donauit, apud Curtium *lib. 9.* Tibijs canunt, qui tubis non poſſunt. Sic & Ioui olim farre litabant, qui thure deſtituebantur: & quibus deerant hecatombæ, minoribus hoſtijs ſolebant immolare. Denique alij per portas, alij per januas in templa Deorum intrauerunt. Atque vt à profanis ad ſacra veniam, in D. Marci hiſtoriâ, *cap. 12. 41.* iſta lego: *Et ſedens Ieſus contra gazophylacium aſpiciebat, quo modo turba iactaret æs in gazophylacium, & multi diuites iactabant multa. Cum veniſſet autem vidua vna pauper, miſit*

duo minuta, quod eſt quadrans, & conuocans diſcipulos ſuos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus miſit, qui miſerunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miſerunt: hæc verò de penuria ſua omnia, quæ habuit, miſit, totum victum ſuum. Nimirum & Deus non quantum, ſed ex quanto quid veniat, perpendit, affectum potiùs, quàm donum gnarus arbitrari. Quod ſcitè aduertit S. Hieronymus, *in cap. 25. Matthæi* ſcribens: *Illum qui de quinque talentis decem fecerat, & qui de duobus quatuor, Dominus ſimili recipit gaudio: neque conſiderat lucri magnitudinem, ſed ſtudij voluntatem.* Itaque qui non tam æs, quàm ſeipſos volebant iactare (ære iactato, vt clangeret, ſonúmque excitaret profuſæ liberalitatis præconem) diuino calculo poſtpoſiti ſunt viduæ minutis. Nam, vt veriſſimè, ac breuiſſimè *lib. 1. ad Eccleſ. Cathol.* dixit Saluianus, *Oblata* DEO, *non precio, ſed affectu placent.* Adeò etiam parua poſſunt optima eſſe, ſi offerantur affectu non paruo: ſiue Alexander is ſit, ſiue Deus, cui ea offeruntur. Tametſi itaque *in* Pſalmo *81*, nomine *Deorum* ter poſito

ſito, Reges, & Principes, & Iudices populi, qui vices Dei agunt, intelliguntur, vel ipſo Chriſto interprete, *Ioan.10.35.* dicente: *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra: quia Ego dixi, dij eſtis?* haud tamen verendum eſt, ne Dij iſti honoris paruitate offendantur. Quemadmodum enim Deus non de iuſtitiâ tantùm, & de potentiâ, ac maieſtate; ſed de clementiâ quoq; & benevolentiâ, & benignitate laudatur; ita tum demum Regibus plenum nominis decus accedit, ſi comitas accedit ad maieſtatem; qua virtute temperatur fulgor ille coronarum, & æquè ſuſcipiuntur dona paruorum, ac lautia ſenatusconſulto decreta. Hanc mixturam, FERDINANDE REX, in virtutibus Tuis, quia ſæpius audiui prædicari; & non rarò etiam ipſe expertus ſum, quàm ſis placidè potens, quàm ſuauiter grauis, quàm non faſtidioſè excelſus, & planè factus ad ingenium illius, quem apibus præfecit natura manſuetum, aculeo, non dominio, aut poteſtate carentem; idcirco arbitratus ſum, non peccaturum me, ſi vel minutum munuſculum ad Regiæ Maieſtatis Tuæ

victrices manus afferrem, eóque ipſo humanitatis Tuæ laudibus ſubſcriberem. Neque enim parui facit, qui Magno parua conſecrat, præſertim ipſe paruus; ſed eam in Magno eſſe virtutem declarat, quæ parua non deſpiciat, conſecutáque ſit difficilem illam ſocietatẽ grauitatis cũ humanitate. Quàm malo aſtro nos inopes animæ natæ eſſemus, ſi nobis fas non eſſet Reges venerari? quorum tamen præſidijs atque auctoritate quotidie indigemus; quorúmque armis defendimur, &periculis in tuto ſumus. Qua re autem eos venerabimur, niſi paruâ parui? Igitur, ne tot debitis obſtrictiſſimus, inter tot lætiſſimè gratulantium voces acclamationéſque officio meo deſim, munere, quẽ debeo, colam, quantumvis non preciosè concinno. Hoſtiam mactat, cui cædere victimam negatur. Liber ſi eſt exiguus, ſi *oua* ſunt vilia, auctori ſuo conueniunt; mittuntur, vt meam teſtentur obligationem, non vt Maieſtatis Tuæ exæquent dignitatem. Etiam exigua ſæpe res grandis fuit indicium opinionis. Clarè, & in compendio dicam,

ſupra

Digitized by Google

ſupra humanam ſententiam, magnitudine animi præditum, imo Superis parem. Te exiſtimat, FERDINANDE REX, quicunque etiam paruo munere adire audet.

Quanquam non immeritò dubitari poteſt, an aliquid contra decus regium, hoc eſt, an paruas res donet, qui *Oua* donat? Ælianus *lib. 14. de animal. c. 13.* vbi de ſecundis menſis & delicijs Indorum Regis agit, *eidem*, inquit, *tragematum loco ſunt, Olorum, Struthiocamelorum, & Anſerum oua.* Eadem *oua* memorat Lampridius, in Alexandri Seueri conuiuijs, loco ſuo non caruiſſe. *Oua*, apud Græcos pariter & Latinos, in precio fuerunt; ſed apud Græcos itidem, vt apud Indos, inter bellaria, & pocœnia, apud Romanos primâ menſâ, & in promulſidem apponebantur. *Ab ouo*, ait politiſſimus Erycius Puteanus *orat. 20. cœnam ordiri ſolebant veteres Romani, vt honorem haberent cibo, qui ante reliquos aliquando extitiſſet. Sed Græci, vt oſtenderent, opinor, præ reliquis delicijs oua eſſe, inter bellaria habuerunt.* Et meritò; eſt enim *ouum*, vt idem ait, *promptiſſimum ruris donum, vrbis patrimonium, omniúmque*

Digitized by Google

menſarum delicium; in quo eſt, *quidquid natura habet.* Vt proinde non minùs verè, quàm fidenter exclamet: *Ite, ite mortales, & paratiſſimo compendio ingentia explete vota. Ouum tollite, vt omnia habeatis. Si auari eſtis, hîc theſaurus eſt; ſi famelici, cibus; ſi ægri, pharmacum; ſi curioſi, prodigium*; penè etiam dixerim, miraculum. Quid aio, miraculum? Voluenti librũ hunc meum perſpicuum fiet, omnia in *Ouo* reperiri, tanquam in quodam Vniuerſo; enimverò ipſum etiam vniuerſum, quod hiſtoriæ Scholaſticæ Magiſter Petrus Comeſtor *cap. 4. in Geneſ.* non dubitauit Ovo comparare, dum dixit: *Fecit Deus firmamentum in medio aquarum, id eſt, quandam exteriorem Mundi ſuperficiem, ex aquis congelatis, adinſtar cryſtalli, conſolidatam, & pellucidam, intra ſe cetera ſenſibilia continentem, ad imaginem teſtæ, quæ in Ovo eſt; & in eo fixa ſunt ſidera.*

Quapropter licet parua eſſe res *ouum* videatur, parua tamen non eſt; ſed rebus maximis comparata, atque omni æuo digna habita, quæ in oculos, imò & in menſas Regum veniret. Neque in menſas Regum duncaxat,

caxat,

taxat, ſed etiam in aras Diuorum. Et vel hodie paſſim cernimus, *Oua* veri quoque Numinis altaribus, inter donaria ſacra, imponi. Cur igitur Ariſtarchus aliquis nimis parum eſſe cenſeat Regi, quod ſufficit Numini? Tantum abeſt, vt timeam *ouorum* meorum vilitati; etiam precium in illis invenio ipſis Superis dignum. Sed nihil tam poteſt eſſe precioſum, quo Tua Maieſtas non mereatur honorari: addo, & honoratè oblectari. Notum eſt orbi ingenium illud ſublimium diſciplinarum capaciſſimum; genius ſcientijs, ac ſcientibus affectiſſimus; ſapientia altiſſimarum rerum indagatrix ſolertiſſima; labor & induſtria nullis fatigationibus obnoxia; æquitas iniuſtè preſſis ſummè ſperanda, prementibus maximopere formidanda; conſtantia & fortitudo ſumma, ſum̃is rebus & temporibus, ab ipſo Numine reſervata; pietas etiam inter arma, atq; in ipſis caſtris non minùs, quàm in templis conſpicienda; dextera bellatrix; pectus Martium; denique caput illud virtute & arte pleniſſimum, ac verè dignum, vt plurium

regno-

Digitized by Google

regnorum ſit CAPVT. Nota, inquam, ſunt hæc omnia, & Orbi nota; quare meritò ab omnibus honoranda. Quòd ſi verò non tantùm honoranda eſt virtus Tua, ſed etiam oblectandus caſtrenſis labor, nihil tam idoneum poteſt eſſe, quàm *ouum*, quod tot habet oblectationes, quot artes; vt proinde vel hac de cauſſa dignum ſit, non tantùm venire in menſas atque cœnas, ſed etiam in cognitionem Regum, Principúmque.

Fas mihi ſit *oua* alio quoque ex capite commendare, & Regiâ Tuâ manu digna eſſe oſtendere. Nam etſi, inter ceteros plurimos Gentilium errores, ominum quoque obſervationes rectiſſimè emendauit Chriſtianitas, olim tamen *oua* vel hinc etiam maximè fuerunt nobilitata. Nihil enim priſcis illis ſæculis tam fuit ominoſum, quàm ſi aut ſomniantibus per imaginem *oua*, aut vigilantibus per munus obvenirent. Neque omina illa fuerunt malè ominata. Siue enim natiuum in illis colorem, ſiue tincturam arte inductam intueamur, ſemper *ouo* ineſt felicitas. Natura *ouis* dat candorem. At

fau-

Digitized by Google

fauſtum eſt, quidquid candidum eſt. Quocirca hoc ipſo colore proſperi olim dies diſtinguebantur, & albis calculis bona ſuffragia ferebantur. Quod ſi *oua Paſchalia* (etiam extra Paſchale tempus dici, ſcribi, donaríq; digniſſima) *rubra* & eſſe, & appellari plerumque ſolent, aut *rubris alba* permixta; ecce in hac ipſâ tibi mixturâ Auſtriacos fero colores, qui clypei purpureum campum, velut zonâ, aut faſciâ candidâ diſtinguunt. Ita aiũt quondam fortiſſimè pugnantis Herois candidam veſtem, ſanguine hoſtili totam fuiſſe purpuratam, niſi quà faſcia militaris pectus præcingebat, veſtémque niueam aſpergi non ſinebat. Hic ergo baltheus, & iſte gentilitius decor, qui Auſtriacæ domûs æternũ pariter candorem, & conſtantis, ſanguinémque, pro religione, pro æquitate, pro patriâ fundere parati animi non fictum colorem repræſentat, his ipſis quoque *ouis* meis repræſentatur; vt vel hinc ad Auguſtam illam domum ſpectent. Ad Tuam autem Regiam Maieſtatem in campis, atque inter infeſtiſſimas acies verſantem, eo quoque nomine,
quòd

quòd, inter militares *aciei ordinandæ figuras*, ab Ilione Theſſalo vtiliſſimè inventas, ac ab Iaſone non ſine magnis laudibus uſurpatas, ab Æliano, *in tractatu, de inſtruendis aciebus, ad D. Hadrianum ſcripto*, memoretur *oui* etiam fuiſſe ſimilitudo. Quam figuram in proximâ luculẽtiſſimâ Nördlingenſi pugnâ, quia non ambigo, ſæpius expreſſam, cum hoſtis in gyrum rotaretur, ſurſum atque deorſum actus, haud immeritò arbitror etiam rubricâ ſuâ non caruiſſe, inter tot riuos cruoris. Siquidem non meminit Germania ullius prælij, in quo plus ſanguinis factum. Et quidem nec procul iſta contigerunt: ad latus Tuæ Maieſtatis cecidêre, qui Ovvm rubefacere, & purpuræ purpuram addere, teſtaríque poſſent, Regiam generoſitatem diſcrimini ſe non ſubduxiſſe.

Enimuerò quia Paſchalia *oua*, vulgò plerumque *rubra oua* vocari conſueuerũt, quòd eo maximè colore, in honorem ac memoriã ſanguinis Chriſti Redemptoris, tum ab alijs nationibus, tum verò maximè à Germanis, pro feſtiuiore Paſchatis ſollennitate, ſoleant

im-

Digitized by Google

imbui, erunt illa fortaſſe & hoc nomine inter omina felicioris notæ reponenda. Certè Ælius Lampridius, inter omina Imperij, quæ Alexander Severus habuit, ait, etiam iſtud extitiſſe, *quòd ouum purpurei coloris eâdem die natum, quâ ille natus eſt.* Hoc cum matri eius oblatum eſſet, aruſpices dixerunt, Imperatorem illum futurum. Quod & poſtea fuit, non ob omen quidem, ſed ob virtutem, cui debitos honores *ouum* ominabatur. Nã, eodem Lampridio teſte, *dignum ſe exhibuit, quem ſenatus ſeruaret, quem ſaluum milites cuperent, quem omnium bonorum ſententia Principem diceret. Erat cunctis hominibus amabilis, & ab alijs pius appellabatur, ab omnibus certè ſanctus, & utilis Reipublicæ. Huic ſors in templo Prænestinæ Veſtæ talis extitit, cum illi Heliogabalus inſidiaretur:*

Si quà fata aſpera rumpas,
Tu Marcellus eris.

Notum eſt, cur Alexandri nomen acceperit. Vnde ergo huic nomen & omen, inde mihi; imò & Tibi, REX FERDINANDE, de quo utique licebit repetere, quod de altero illo Alexandro vetus ſeculum dixit; *Cum nullo*

ho-

hoſtium unquam congreſſus eſt, quem non vicerit: nullam urbem obſedit, quam non expugnauerit, aut adegerit ad deditionem. Quas tam feliciter àTe inchoatas laudes, virtutum tuarum pręſagia mihi promittunt, nunquam interſcindendas. Ceterùm Alexandro Imperatori, etiam *ob ingentem vigorem animi, & mirandam ſingularémque conſtantiam*, ut ait Lampridius, *contra militum inſolentiam Severi nomen militibus inditum eſt; quod illi ingentem in præſentiâ reverentiam, magnam, apud poſteros, gloriam peperit: cum eò acceſſiſſet, ut de animi virtute nomen acceperit; ſiquidem ſolus inventus ſit, qui tumultuantes legiones exauctorauerit.* Nihil hîc explicatiùs dicam. Suauitatem morum nunquam ſe ſatis admirari poſſe arbitrantur, qui experiri meruerunt: hoſtes tui & Imperij, Te, FERDINANDE, pro Severo habent, quos nominis terrore, ita (niſi vanus ſim augur) poſthac, uti patratâ hac capitali prorſus victoriâ cœpiſti, porrò es exauctoraturus, ut non victoriam, ſed fugam ſint cogitaturi; & magis receptui, quàm bellicum canere parati ſpem in pedibus poſituri, quam Te experti ſenſe-

runt

ſerunt in lacertis. Neque enim unquam ex eorum memoria eradetur, & Te, & ſe Ovvm rubrum in Nördlingenſi prælio extitiſſe. Nam Te quidem ſanguine hoſtili, ſe autem ſuo & ſanguine, & pudore erubuiſſe. Qui utriuſque partis diuerſus rubor, quid portendat, Lampridio permitto dicere, ex quo mihi ſufficit indicaſſe, quid portẽdere poſſit.

Quòd ſi cui hæc fortè videbuntur, tanquam ab Alexandri *ouo*, remotiùs petita, aliud aptiſſimum magnitudinis Tuæ prodigium, & prorſus Auſtriacum *ouum* invenio, *in Hercule Prodicio*, Stephani Vinandi Pighij. Deſcribit is *Pannonicæ coronationis agones apparatiſſimè triduò factos, anno Chriſtiano ſalutis* ∞ DLXXII. *cùm Rudolphus maior natu Maximiliani Imper. ac Regis Hungariæ filius, Poſſonij, ab ordinibus eius regni, magno conſenſu & gaudio, in locum Patris inaugararetur*, VII. *Kal. Octobris.* Ibi, inter cetera primi diei denarrata ſpectacula, ſcribit: *Splendidus ille dies fuit pompis, magnificentia, ſumtibúſque immenſis Principum, & Illuſtrium hominum, ad agona deſcendentium apparatu*

ratu perſonarum, & equorum ornamentis, fictorúmque argumentorum varijs inventionibus ſpectabilis, & iucundus: quarum elegantiſſimæ præmium etiam erat propoſitum. Longum eſſet enarrare ſingula, ridiculos perſonarum mimos, peregrinos veſtitus, militares apparatus ſumtuoſos, & phaſmata perſonarum portentoſa: AQVILAM *ingentem* OVO *maximo incubantem, & equitem cataphractum in Circo excludentem, qui mox ad annulum decurſurus eſſet.* Quid huic tempori accommodatius? Tertius iam annus eſt, cum vel vi, vel fraude inſolentiſſimi hoſtis, omnia ſúſque déque vertuntur in Imperio. Vidit hæc pijſſimus Imperator Ferdinandus II. regiæ Tuæ Maieſtatis Auguſtiſſimus Parens. Vidit, inquam, & dum humana remedia defecerunt, more ſuo, ad Superos ingemuit, auxiliúmq; cæleſte flagitauit. Itaq; poſſet quis ſuſpicari, de illo locutum S. Ioannem, quando *Apoc. 8. 13.* ſcripſit: *Et vidi, & audiui vocem unius* AQVILÆ *volantis per medium cæli, dicentis voce magna: Væ, væ, væ.* Nam & per tria *væ*, trium triſtium annorum noſtrorum tempora poſſunt ſcitè intelligi, quibus ſcilicet armatæ cohortes,

tan-

tanquam loricatæ putei *locuſtæ*, Germaniam miſerrimè depopulandi vaſtandique poteſtatem acceperunt. Nunc ergo, vbi tria illa *væ* abire cœperunt, & Deus quaſi mappam miſit denuò, & ſeriò, pro Eccleſiâ, & æquitate certandi: illico apparuit, quàm magno OVO AQVILA illa ingens & ſublimis incubârit; quantáque conſilia excluſerit. Ex quibus non iam, ut ex equo Troiano, ſed tanquam ex ovo maximo, Tua Maieſtas, verè EQVES CATAPHRACTVS, prodijt; non ut iam ad aunulum decurreret; ſed ut Germaniâ, Bohemiâ, Sileſiâ, aliarúmque ditionum terrâ maximis concuſsâ motibus, hoſtem domaret; ut decumanos Reipublicæ fluctus frangeret, ſedaret, cõponeret; ut armorum inſanientes procellas trans mare Balticum, eò, unde malum pedem attulerunt, ablegaret; denique ut cœlum terramque ſerenaret & tempeſtates, in tot provincijs ac regnis, excitatas. Ad quod negotium, magnæ AQVILÆ magno OVO, & magni OVI magno EQVITE opus fuit; ut tantarum rerum moli ac diſcrimini reſponderet opitulator.

Et reſpondit profectò. Idcirco enim immenſas immortali Deo gratias commemorant, quotquot agnoſcunt Maieſtatem Tuam, eo temporum tractu, veniſſe ſuppetias, quo res Imperij in extremâ lineâ ſtarét; itáque ferre ſuppetias cœpiſſe, ut poſt alia egregia facinora, nunc etiam exercitum hoſtilem, & viribus, & victorijs ſuis, & fortaſſe fulcro occultiore confidentem, ad internecionem, & cum equitatu æquè, ac peditatu funditus deleuerit; ſumma capita, ac Duces vel ferro ſtrauerit in acie; vel captiuitate ſtrinxerit in cuſtodiâ; vel fugâ diſſipauerit in campo. Quanquam nec fuga Tibi multos eripuit: ut, ad tot milliaria, paſſim omnia, longè latéque, fugientiũ cadaueribus ſtrata non ſinunt dubitare. Itaque alios in acie ſtantes, & dimicantes viciſti, ne hoſtiũ ignauiâ viciſſe videreris: alios tutiora quærentes, & trepidatione ſuâ virtutem Tuam teſtantes ſuperauiſti; ut oſtenderes, tam tibi expeditos pedes eſſe ad hoſtem perſequendum, quàm hoſti fuerant ad fugiendum. Nempe, ut virtutis eſt atque felicitatis, vin-

cere

cere, ita non inter minimas cenſetur eſſe artes militares, *victoria uti poſſe.* Qua Maieſtatẽ Tuam belliſſimè uſam eſſe, docebunt poſteros noſtros tot tormenta curulia, tantus numerus ſignorum, támque ingens prædæ copia, quibus omnibus prædatores Catholicorum, partim in pugnâ, partim in fugâ exuiſti, Tuæq; æternæ gloriæ trophæum erexiſti.

Ita Superis placuit, contra ferociſſimũ hoſtem, fortiſſimũ nobis ſuppeditare Achillem, immo Gedeonem; ut ſumma pericula, & ſumma auxilia coniungerent, atq; ex ipſa rerum neceſſitate inclareſceret magnitudo auxiliatoris, regij generis, regiæ poteſtatis, regiæ virtutis: nempe totas noctes in equo excubantis, atque inter ipſa diſcrimina, intrepido, imo ſitientiſſimo pectore prælium anhelantis; neque contenti pugnantes ſtrauiſſe, ſed etiam ſuo equo, ſuáque dexterâ & ferro, per longiſſima itinera fugitantibus reliquijs acerrimè inſtantis, & cum Ieſſæo Rege *Pſal. 17. 38.* dicentis: *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non conuertar, donec deficiant:* ita me Deus, & Dei Filius, &, quæ mihi

in

Digitized by Google

in teſſeram eſt pugnę, SANCTA MARIA, Dei Mater adiuuet. Defecerunt ſanè, & quidem claro certamine, tantáque cum clade, quantam Germania noſtra, inter tam prolixum tot annorum bellum, & tot atroces pugnas hac ætàte non vidit: ut dici poſſit prælium *ſine exemplo maximum*, & opus Regis, ſupra ingentia multorum excellſiſſimè florentium virorum opera ſe ſe extendentis.

Hunc ergo talem opitulatorẽ, quia vel ex OVI omine dudum coniecimus, duris quidem ac difficilibus principijs, feliciſſimi tamen ſpe exitus (qui ſemper poſt aſpera initia ſolet eſſe lætior) ſum̃am belli adminiſtrationem ſuſcepiſſe, haud abſq; re & cauſsâ acclamauimus, acclamamus, acclamaturi ſumus, quod Alexandro Seuero, ſupra laudatus Lampridius teſtatur fuiſſe acclamatum: *Auguſte innocens, dij te ſeruent. Dij te nobis dederunt. Dij conſeruent. Dij te ex manibus impuri eripuerunt. Dij te perpetuent. Dij illum eradicauerunt. Dij te ſeruent. Contaminator honorum iure punitus eſt. Dij immortales* (FERDINANDO) *vitam. Iudicia Deorum hinc apparent. Iniuriam Marci tu*

vin-

vindica. Iniuriam Veri tu vindica. Iniuriam Baſſiani tu vindica. In te ſalus, in te vita, vt viuere delectet. Antoninorum (AVSTRICORVM) *nomen Dij conſeruent.*

Quod vt verus Deus porrò ſemper faciat, non ceſſabo dicere, cum Dauide, *Pſal.* 71. 1. *Deus iudicium tuum REGI da: & iuſtitiam tuam FILIO REGIS* FERDINANDI etiam hoc titulo SECVNDI, ut in FERDINANDO III. REGE, & in FERDINANDO quarto REGIO INFANTE, ceteríſq; amicis PRINCIPIBVS ac viris, de hoſte, pergat triũphare.

Quos triumphos, ut & ipſe, pro modulo meo, adiuuarem, ecce REX FERDINANDE, in hoc libro Maieſtati Tuæ inſcripto, inſtitui, ut ita dicam, in ipſis OVIS, OVATIONEM. Vale, & PLVS VLTRA vince. Monachij Añ Chriſti M. DC. XXXIV. 4. Idus Septemb. quo die hîc præpotenti DEO, bene re per Maieſtatem Tuam geſtâ, ſecundò gratulati ſumus.

Regiæ Maieſtatis Tuæ

infimus ſeruus

GEORGIVS STENGELIVS
Societatis IESV.

AD LECTOREM.

MIraberis fortaſſe, Lector, cur ad hac EMBLEMATA potiſſimè animum applicuerim; aut unde mihi excitatus ſit iſte ad OVA appetitus? Ingenuè tibi dicam. Chalcographus, cum non haberet, quod ederet, ad aliquot OVA Emblemate ornanda me exorauit, eo tempore, quo in vicinia, & circa hoc ipſum Monachium noſtrum, hoſtis miſerabiliter agros depopulabatur, pagos incendebat, homines & pecora abducebat, vexabat, iugulabat; verbo dicam, hoſtem agebat. Ego, ut opem meā imploranti, morem gererem, & ſimul antiquiſſimum Catholicorum, in OVIS Paſchalibus benedicendis, pingendis, varióque Emblemate ſeu radendis, ſeu inſcribendis, illuſtrarem; quæ de OVIS me legiſſe memineram, obiter cœpi annotare. Ibi mihi contigit, quod ignotum flumen ingredienti, & in profundum incidenti, ubi vadum eſſe exiſtimârat. Nam & in OVORVM hiſtoriis, fabulis, experientiis, & ſcientiis, pro riuo fluuiū, pro fluuio Oceanum inueni. Itaq; è charta ambulatoria, liber; è tabula, factum eſt volumen. Nec piguit operæ. Primò ſic temporum triſtitiam mitigaui. Iniurias, rapinas, cædes, mortes, & ſæpe, uno die, ſex ſeptemq; pagorum incendia ſpectaui; enimuerò, inter ſaucios, & ſauciantes verſatus calidum à multorum vulnere ſanguinem manantem crebrò vidi; gemitus atq; eiulatus aſſiduos audiui; & incolumis ipſe, dolore aliorum identidem dolui: à quibus rebus utiq; animus erat refrigerandus. Refrigeraui OVIS, quæ contra flammas, & ardorem eſſe remedia, in Emblematis, doce-

bo.

Digitized by Google

ro. Vt enim ſuccus eorum inunctus, corporis; ita hiſtoria perquàm curioſa, animi æſtum reſtinguit, & mentem auocat mœſtis agitatam. Iſaac Geneſ. 24. 63. *materna mortis dolorem vt temperaret*, egreſſus fuerat ad meditandum in agro: & *Aſſuerus* rex iratus ſurrexit, & de loco convivij, intrauit in hortum arboribus conſitum. Eſther. 7. 7. *In tanta funeſtiſſimorum caſuum acerbitate, libuit & mihi, per amœniora, excurrere. Amœniora autem, dum quæro, non iam* ouum *in horto, ſed hortum in* ovo *inuenio. Quod ne quis à me fingi exiſtimet, teſtẽ adduco ſcitiſſimum, atq; elegantiſſimum ſcriptorem Io. Baptiſtam Ferrarium, qui* lib. 1. de Florum cultura ca. 3. *inter eximias hortorũ imagines, etiam oualem depingit, aitq;*: Si Circenſe ſpectaculũ, non olim procurrentiũ equorum fugitiua, ſed aſſiduè vernantium florum ſtataria voluptate exhibere mauis: en tibi Ovati circuitus cõmodum circum, honeſtiſſimæ Floræ nouus Ædilis aperio, ijſdémq; cellis extruendis opportunos ſimilimos angulos propono. *Licet ergo in ouis, tanquam in hortis ſpaciari.*

Secundò, ita iudico, ut ſperem, hunc eundem de ovis *Librum non minùs legenti voluptatis allaturũ, quàm pepererit ſcribenti. Aut ſanè, nonnullos fore, cõfido, belli iſtius procellis percuſſos aq; afflictos, qui dum lectione, aut inſpectione iſtorum Emblematum detinentur, aliquam ſibi horam faciant à triſtitia, & memoria calamitatis ſuæ vacuam, & quietam.*

Et fortaſſe tertiò, ſi rebus, quas admiſcui, volent im-

penſius animum aduertere, vel neſcientes penitus ſanabuntur tacitâ medicinâ. Ita enim myſteria ſacra, & diuinarum rerum ſcientia meditatióq; ſunt conſtituta, ut non ſolùm magnam gignant conſolationem; ſed etiam ut animum roborent in aduerſis, & inducant incredibilem fluxorum bonorum contemptum, dum meliora bona oſtendunt, promittúntq;. Hæc autem myſteria ſacra, iſtámque rerum diuinarum ſcientiam præcipuam his OVIS *incluſi; ab ipſis Mundi primordijs, à creatione, & Creatoris potentia, prouidentia, ſapientia, bonitate, æquitate, miſericordia exorſus; atq; inde per ipſa Redemtionis beneficia, per virtutes Theologicas & Morales, perq; diuina Sacramenta; indéque per oppoſita vitia, vſq; ad hominis Nouiſſima (quanquam ſtrictim, &, ut in emblematis ſolet, ex occaſione duntaxat) progreſſus. Vt proinde quaſi quoddã compendiũ hîc ſis reperturus totius doctrinæ Chriſtianæ; ſi, iuxta vetus dictum, ruminata volueris remandere.* Ova, *quæ virtutem, ac res diuinas habent inſculptas, pro cibo erunt, & pro pharmaco; cetera vitijs, aut vitioſis deformata, pro reiectaneis, aut rebus reijculis. Quas res ipſas, ſi didiceris à te abarcere, ſanaberis, & cum ſancto illo Tobia, ad lumen venies. Ait enim diuina pagina.* Tob. 11. 13. Tunc ſumens Tobias de felle piſcis, liniuit oculos patris ſui. Et ſuſtinuit quaſi dimidiam ferè horã: & cœpit albugo ex oculis eius, quaſi membrana OVI egredi. Quam apprehendens, Tobias traxit ab oculis eius, ſtatímq; viſum recepit. Et glorificabant Deum, ipſe videlicet, & vxor eius, & omnes qui ſciebãt eum.

Hoc

Hoc vtinam & mihi, & tibi contingat, Lector, ut ex oculis tuis, OVIS *meis, cæcantem albuginem omnem,* quaſi *membranam* OVI, *extraham.*

Quanquam, ut vulgo hæc ſcripta non ſunt, ita quædam admiſcui paulo ex altis illis arcanis ſelectiora; quæ profectò Principes Catholicos ignorare non decet; cum videam Principes Acatholicos tam erroris ſui peritos, ut etiam non rarò audeant cum ipſis Catholicis ſacerdotibus acerrimè diſputare. Nempe filij huius ſeculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt. Luc. 16. 8. *Vt ergo filij lucis lucem acciperent, & res diuinas, tantò libentiùs, quantò ſuauiùs imbiberent, Emblemate eas, quaſi ſaccharo, temperaui, uti pharmaca ſua ſolent medici. Atque hæc quarta eſt cauſſa, cur huius me non pœniteat laboris. Vt* OVA *ipſa alijs eſca, alijs ſunt medicina, ita erit Liber de* OVIS. *Qui vtique, tam multiplici imaginum argumentorumq; varietate, & docebit nonnullos, quid in* ova Paſchalia *pie, iucundè vtiliterq; incidi poſſit; & docebit pariter, ne, cum offenſione Numinis, & oculorum Chriſtianorũ, impio abuſu profani Cupidines, in res Deo conſecratas incidantur. Multum boni facit, qui alium, ne malum faciat, impedit.*

Quintò deniq;, ut mihi Emblemata iſta, dum fierent, inter quotidianos belli tumultus & clamitates, iucundam dederunt occupationem, ita alijs ſpero iam abſoluta non modò futura pro oblectante ſolatio, ſed ipſis quoq; diuinis honoribus pro incremento. Apparebit enim profectò, vel obiter inſpicienti librum hunc, quanta diuina ſapientia

artis-

Digitized by Google

artiſque multitudo atque infinitas inſit in toto hoc Mundo, cum tam incredibilis, naturæ, virium, ſcientiæ, & pulcherrimæ utiliſſimæq; curioſitatis theſaurus in uno OVO *contineatur. Ex cuius conſideratione manifeſtum etiam fiet, veriſſimum eſſe illud, quod inter Theologos fertur, minimi alicuius vermiculi naturam ingeniumque, ſi quis intimè, ſecundùm omnes facultates ac poteſtates, ſollertias & aſtutias, ſympathias & antipathias, utilitates, qualitatéſque perſpiceret, mirificam capturum voluptatem; cum tam iucundum ſit, vel unam unius* OVI *experientiam diſcere. Atque hinc ulteriùs, ut ab* OVO *ad animal, ita ab unius cognitione animalis, ad totius licebit progredi ſcientiam Vniuerſi omniúmque creaturarum; à creaturis denique ad ipſum fas erit aſcendere Creatorem. Vale, Lector, & integram ad* OVA *famem affer, prodigio non carentia, ut quæ prælo ſubiecta preſſa fuerunt, & tamen non compreſſa. Quædam mulieres, Sericarum veſtium ſpe, bombycum* OVA *geſtant & excludunt in ſinu, tu utiliorum rerum deſiderio, hæc* OVA *geſta in manu, eáque oculis exclude, non ab oculis.*

Digitized by Google

INDEX CAPITVM,
ſiue
EMBLEMATVM.

Emblem. I. Oui, Mundi, Dei cognitio. Pag. 1
I I. Ab Ouo, uſque ad primam cauſſam nos duci. 7
I I I. Diuina, in Ouo ſapientia indagata. 13
I V. Dei Mundū gubernantis prouidētia, in ouo deprehēſa. 19
V. Summæ prouidentiæ ſcopus, in ouo, notatus. 25
V I. Malorum permiſſio, in ouis, conſiderata. 31
V I I. Ouum diuinæ iuſtitiæ ſpeculum eſſe. 37
I I X. Parui, & quodammodo magni mundi corrupti figura oualis. 43
I X. Mundus in captendulæ ouum, peccato, factus. 49
X. Hominis, ad peccandum, ex ſe pronitas, in oui iactu declarata. 54
X I. Oui humanâ; hominis, diuinâ arte, erectio. 59
X I I. Chriſtus ouum, & auis ex ouo. 64
X I I I. Incarnati Verbi immutabilis æternitas ouo ſubindicata. 70
X I V. Duæ in Chriſto naturæ duobus ouis portentoſis repræſentatæ. 75
X V. Chriſti, tāquā gallinæ oua fouētis, labor & ſollicitudo. 82
X V I. Oua & vulnera Pelicani, charitas patientis Chriſti. 88
X V I I. Obedientiæ Chriſti in ouo expreſſæ meritum. 94
X I I X. Morte Chriſti nos in vita ſeruatos, quod in gemino ouo editis effigiatur. 99
X I X. Oua Oceano, Chriſtus mundo pacem inducit. 106
X X. Ouum à ſole eleuatum, Fidei diuinæ imago. 117
X X I. Ouum pro ſcorpione datum ſpei ſymbolum. 123
X X I I. Adoptio diuina quomodo per charitatem facta, quomodo per ouum & pullum indagata? 128
X X I I I. Ouorum defenſio, ſui proximiq; dilectio. 133
X X I V. Oua calore, opera charitate promota. 138

XXV.

XXV. Oua plumis fota, miſericordiæ ſymbola. 143
XXVI. Ouorum coctio, & diuini Amoris acquiſitio inter ſeſe pariantur. 149
XXVII. Ouum inſulſum, inſulſus & imprudens homo. 154
XXIIX Ouorum cuſtodia, iuſtitiæ doctrina. 159
XXIX. Oua non è quouis cibo prouenientia, & Americis verita Abſtinentiæ Temperantiæq; præconia. 164
XXX. Oua ſine cõiugio nata, Tẽperantiæ fructũ denotãt. 170
XXXI. Fortitudo in fragili ouo contenta. 175
XXXII. Fornax pullorum mater, in ouis maturandis, patientiæ eſt magiſtra. 181
XXXIII Gallinæ partum, feſtuca, animæ, crux adiuuat. 186
XXXIV. Ouorum translatio periculi fugam docet. 192
XXXV. Humilitas inſtruitur à ſtruthione oua ſepeliente. 199
XXXVI. Humilis aui ſimilis, oua ſua & diſtribuenti & abſcondenti. 205
XXXVII. Hirundinum oua, linguæ vitia ſignificant; quæ qui moderatur, dignus eſt moderari mundum. 210
XXXIIX Oua miraculo ſeruata liberalitatẽ cõmendãt. 216
XXXIX. Ouorum cura, diſciplinæ magiſtra. 221
XL. Oua variè aperta, variè tractanda hominum ingenia, ſed piè, & à pijs, monent. 226
XLI. Ab omni creaturâ nos doceri, ouum docet. 232
XLII. Ouorum excluſio, filiorum educatio. 239
XLIII. Oua in fimo, homo in peccato; vnde eum Baptiſmus liberat. 244
XLIV. Pullus ex utero, & ouo, hominis nati & baptizati imago. 248
XLV. In ouis neceſſitas, & fruct' Cõfirmationis declaratur. 255
XLVI. Ouum in nido, nidus in frumento, Chriſtianus in ferculo Euchariſtico tutiſſimus. 261
XLVII. Ouorum nidamentum, & Euchariſtiæ Sacramentũ in quâ re poſſint comparari? 270
XLIIX. In ouo vnius ſpeciei Euchariſticę ſufficientia demonſtratur.

Digitized by Google

ſtratur, 276
XLIX. Oui glutine, amicitiæ diuinæ, per pœnitentiam reſtauratio indicata. 282
L. Oua conſeruandi ars, Contritionis & ſatisfactionis ſtudiũ non negligendum admonet. 288
LI. In oui unguine, Vnctionis extremæ munimentum. 294
LII. Ouorum, & aliarum rerum benedictio. 300
LIII. Sacrorum ordinum poteſtas, per oua in manibus excluſa, declaratur. 305
LIV. Alterna ouorum cura, doctrina eſt Matrimonij. 310
LV. Ouum ſtellatum, B. Virginis ſymbolum. 314
LVI. Aliqua, ex ouis nõ nata, volantia, dæmonis ſymbola. 321
LVII. Ouum anguinum, magiæ inſtrumentum, & ſuperbiæ vituperium. 327
LIIX. Ouorum partus magicus, iuſtitiam dormientem excitat. 333
LIX. Oua à laruatis ſparſa, latenti ſuperſtitionum peſti ſimilia. 339
LX. Ouo deluſis ſimiles, qui diabolo credunt, vel de aſtris, vel aliunde magna pollicenti. 345
LXI. Peccati grauis odor, in odore oui, perceptus. 351
LXII. Superſtitionum vanitas, in ſuperſtitioſo Iuliæ Auguſtæ ouo reprehenſa. 357
LXIII. Agyrtæ oua attollẽti, & reuocanti ſimilis dibolus. 362
LXIV. Oua aſpidum, ſunt dogmata hæreticorum. 368
LXV. Oua à ſuis feliciùs fota, parentum ſunt documenta. 375
LXVI. Ouorum varietas & augmentum, ſpeculum dogmatum variorum è ſuperbia natorum. 380
LXVII. Spei vanæ, in ouo delineatum emolumentum. 385
LXIIX. Oua ſerpentũ fota, ſunt beneficia ingratis & impijs collata, & charitas maleficijs compenſata. 390
LXIX. Odium charitati aduerſum, in fractis aquilæ ouis ſcarabæus repræſentat. 395
LXX. Imprudentia, per anſeres ouis pariendis ſe rumpentes, adumbrata. 401

Digitized by Google

LXXI. Stulta ſæculi, ſeipſum decipientis aſtutia, imò ignorantia in ouo pullifero reprehenſa. 407
LXXII. Ouum aui, diſcipulum præceptori parem eſſe, & ab eo callidam iniquitatem trahere. 413
LXXIII. Iniuſta exigentium, aut iuſta non reddentium ingrata auarities, in oui vitello poſtulato, & negato, apparens. 419
LXXIV. Oui in vitrum conuerſio, humanæ fragilitatis imago eſt. 424
LXXV. Ouum, pro pila, jactatum, temerariorum audaciam accuſat. 433
LXXVI. Oua ſua frangens pauo, intemperantis animi exemplum. 439
LXXVII. Modus implendi oua, ſymbolum ſuperbiæ. 445
LXXIIX. Oua irrita, inanis gloriæ operibus ſimillima. 451
LXXIX. Oua natantia, ſeſe extollentium inanitas. 457
LXXX. Oua clandeſtinè cocta, hypocritarum ſimulationem prodentia. 464
LXXXI. Ouorum uſus, ſimulatorum dolus. 470
LXXXII. Ouum aureum auaritiæ nutrimentum. 476
LXXXIII. Oua miraculo mutata impiorum auaritiam caſtigant. 482
LXXXIV. Oua cuculi flagitia deſignant impuri. 489
LXXXV. In ouo baſiliſcum dante, inuidia perſtricta. 495
LXXXVI. Oui noctuini ars docet, mala media, etiam ad bonum finem, non adhibenda. 502
LXXXVII. Oui excluſio, potandi continuatio. 508
LXXXIIX. Oua tonitru deſtructa, iræ damna expingunt. 515
LXXXIX. Oua portentosè grandia, ſignificant iratos omnia in maius augentes. 522
XC. Ob ouum concitata uxor, iræ typus. 592
XCI. Ouum in lampadem factum, acediæ fugam ſuadet. 536

Digitized by Google

XCII. Ouum occidens inexpectatæ mortis admonitio. 542
XCIII. Ouorum collectio vindemiæ mortis admonet. 548
XCIV. Ouorum diſcretio diuini judicij examen metuendũ docet. 554
XCV. Oua indico, homines judicio diſcriminantur. 560
XCVI. Oua variè cocta, ſymbola ſunt variorum in Inferno, vel Mundo tormentorum. 566
XCVII. Oua ſalamandras dantia docent damnatorum corpora in igne duratura. 574
XCIIX. Ouum cæli, & hominis in cælum ſubuehendi ſymbolum. 580
XCIX. Oua paradiſiacæ auis Beatos ſignificantia, & parturientia. 587
C. Oua metæ, meta cæleſtis gloriæ, monimentum. 597

*** A P-

APPROBATIO
R. P.
PROVINCIALIS.

EMBLEMATA ex OVORVM natura, arte, hiſtorijs, fabuliſque, per P. Georgium Stengelium Societatis noſtræ Theologum, ad mores ducta, atque à quatuor eiuſdem Societatis Theologis cenſa approbatáque; Ego GVALTERVS MVNDBROT, Societatis IESV, per Superiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis, conceſsâ mihi poteſtate, ab admodum R. P. N. Generali, MVTIO VITELLESCO, permitto typis imprimi, ac in lucem ad publicam utilitatem emitti. In cuius rei teſtimonium, manu mea ſubſcribo, & conſuetum Officij ſigillum appono.

Gualterus Mundbrot.

Digitized by Google

In primam Ovi partem ſex Cæſarum Auſtriacorum vultibus inſcriptam.



Ecce tibi, LECTOR, *quid non ſperemus ab* OVO?
Induperatores hîc reperire licet.
Quale ſit hoc OVUM, *rogitas? Iouis alite natum;*
Aut ſi quid Iouis eſt alite nobilius.

Digitized by Google

In alteram Ovi partem, ſex alios REGIS FERDINANDI III. progenitores Cæſares continentem.




Ovum diſſecuit ſculptor: ſex altera vultus,
Altera pars totidem nomina ſacra refert.
Quorſum, ais, hoc? REGIS FERNANDI *eſt gloria; tantos,*
Et tot avos qualem gignere, credis, avem?

Digitized by Google

Oui, Mundi, Dei cognitio.

EMBLEMA I.

COMPENDIVM SCIENTIÆ EST, IN OVO MVNDVS, IN MVNDO DEVS.



EX *ouo* alij vitellum, pullum alij quæ- I.
runt; ego in eo totum Mundum re-
perio. Neque ego tantùm. Nam &
Euſebius *lib.3. de præparat. Euang. c.3.*
è Pythagora docet, oui *teſtam* omnia claudenti
cælo; *vitellum* igni; ſpiritus, qui ſunt in *ouo*,
aëri; *albumen* aquæ; *partes magis concretas*, terræ
in hieroglyphicum eſſe. Hieronym. Cardanus
lib. 7. de rer. variet. cap. 39. de ouis loquens,
Quandam, inquit, *elementorum & Vniuerſi ſpe-
ciem, ſed conuerſam præbere videntur. Nam quod*

Digitized by Google

in medio eſt, cæleſtem calorem æmulatur: quod circumdat, aqua; cortex eſt, qui continet; ſpiritus fertur intus.

II. Fuſiùs, expreſſiúſque Alex. Aphrodiſæus *lib. 2. probl. 89. Ouum,* ait, *qualitates elementorum omnes complectitur, & quatuor illa rerum primordia planè in ſe ſita oſtendit. Tegumentum enim teſtaceum, terræ proximum eſt, ſiccum namque eſt & frigidum: albumen, aquæ cognationem gerit, humidum enim & frigidum: ſpiritus albumine contentus, pro aëre eſt, calidus enim & humidus: vitellus ignem repræſentat, plus enim calidus, minùs ſiccus, neq; colore igneo vacat. Deniq; Orbis vniuerſi, quē Mundū vocamus, ſpeciē in ouo dixeris demonſtrari: nā & ex quatuor conſtat elementis, & in ſphæræ faciem globatur, & vitalem potentiam obtinet.*

III. Similia habet Cæl. Rhodig. *lib. 14. antiquar. lect. c. 50.* & Barthol. Caſſan. *part. 12. Catalogi gloriæ Mundi, conſider. 82.* Varronis, apud Probum Gramaticum, verba ſunt: *Cælum eſt teſta: item vitellum, vt terra: inter illa duo, humor quaſi in ſinum cluſus, aër, in quo calor. Contra tamen medici veteres.* ait Puteanus *or. 20. ſola elementa complexi tradidêre, cruſtam, ſiue corticem velut terram eſſe, & areſcentis naturæ vim in frigore præferre. Liquorem deinde frigidum humidumque aquæ ſimilem eſſe, & aëri quod ineſt ſpiritoſum, calore & humore mixtum. Denique luteum quia* cali-

calidioris aridiorisque natura eſt, cum igne comparari & conſtitui, tanquam puriſſimum ſit, & flammam ipſe color loquatur.

Apud Plutarchum *l. 2. q.q. conuiu. q.* 3: intelligentibus Orphicam & ſacram doctrinam cantaturus Firmus, ad ouum *vniuerſam vniuerſorum vetuſtiorem genituram delegat. Enimuerò,* ait, *cum includat in ſe animantium complures naturas Orbis, nullum prope dixerim eſt, quin ex ouo ortum ſuum repetat: verùm & volantia producit, & natantia innumera, & terrena, lacertas, & generis ancipitis crocodilos, bipedem volucrem, pedum exortem ſerpentē, multis pedibus nixum attelabū. Hinc non ab re Liberi Patris ſacris, velut omnia gignentis, & in ſe complectentis ſimulacrum eſt conſecratū.* IV.

Bellè huc quadrat quod Chriſtoph. Borrus in Relatione de novo Cocincinę regno *c.* 8 *part.* 2. memorat de Philoſopho, cui Xaca nomen, à quo ſectæ ferè omnes Orientis ſunt proſeminatæ. Is, in regno Siam, totū ſe tradiderat rimandis Naturę arcanis, ac præſertim Mundi Hominíſq; naturæ indagandæ. Quam ob rem etiam in præruptum montem ſeceſſit. Inde velut entheatus, oracula tulit de Mundi creatione duo. Primum erat, Mundum ex ouo natū, quod ſanè in immenſum intumeſcens vbi ſe ſe extenderit, corticem eius in cęli materiem tranſijſſe; albumen verò mutatum eſſe in aërem, aquam, V.

& ignem; vitellum autem in terram atque illa quæ in terra continentur. Alterum erat; extitiſſe aliquando hominem vaſtæ molis, quaſi gigantem, cui ea lingua nomen dedit, vt Baneo vocaretur, hoc eſt, paruus Mundus. Hunc gigantem affirmauit cõuerſum eſſe in Mundi iſtius magni globum: & caluariam quidem eius ſe ſe in cæli teſtam explicaſſe; oculos autem in Solem & Lunam exſplenduiſſe, carnem in terram coagulatam eſſe; oſſa in montes induruiſſe, capillos in gramina, herbas arboréſque diffuſos, denique ventrẽ dixit, in ſpacioſum iſtud mare diffluxiſſe. Atq; vt dignã fabulæ ſuę coronidẽ adijceret, nõ erubuit aſſeuerare: ex iſtius Gigantis pediculis homines eos enatos eſſe, qui nunc per vniuerſum vbiq; hunc orbẽ diſperſi Mundum incolunt. Ipſo Gigante maior eſt hæc fabula, valde tamen alludit ad eos, qui Mundum ovo, hominem Mundo comparauerunt.

VI. Et fortè originem habet, *è primis Sapientiæ riuulis, quos admirabili myſterio ad poſteros Orpheus deriuauit, & excepit Athenagoras Philoſophus Chriſtianus, vt reijceret. Rerum omnium principiũ extitiſſe Aquam: & ex ea ſubſidente fuiſſe Ilyn. His parentibus Draconem natum eſſe, qui capite Leonẽ, medio corpore faciem ſiue Herculis, ſiue Chroni repræſentabat. Ab Hercule deinde immenſæ magnitudinis ouum prodiiſſe: id à parente, dum fouetur,* attri-

attritum, duas in partes diſſiliyſſe, & ſuperiorem quidem cæli, inferiorem, quæ delapſa erat, terræ forma donatam & perfectā. Eryc. Putean. orat. 20. Monſtra hæc ſunt fabularum, ſed quæ monſtrant, magnam variámque iam olim *ouo* inſuiſſe conſiderationem, cum tot Philoſophi, & rerum arcanarum curioſi ipſum in *ouo* conſiderärint Vniuerſum.

Ægyptij autem, *teſte Porphyrio*, apud *Euſebium loc. cit.* etiam ipſum in *ouo* conſiderabant *Vniuerſi Conditorem.* Illi enim, in arcanis myſterijs, Deum *Cneph* dictum pinxêre *humana forma, colore cæruleo, qui Zonam teneret, ac ſceptrum, pennámque in capite geſtaret. Ouum ab ore producebat. Ab ouo rurſum Deus enaſcebatur.* Cetera *in Labyrinthi laudibus cap. 2. à num. 2.* explicaui. Hîc ſuffecerit indicaſſe, *ouum ab ore productum* eſſe *Mundum*, tunc creatum, cum Deus dixit, *Gen. 1. 6. Fiat firmamentum, vocauitq; firmamentum cælum* &c. *fiat lux* &c. Quia enim, vt eſt in *Pſal. 32. 6. verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*; & *quoniam ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt*; *Mundus* perinde (quanquam non ab æterno, ſed in tempore) vt *Sapientia, Eccli. 24. 5. ex ore Altiſſimi prodiuit.* Sed & rurſum ex *Mundo Deus*, cum ex *Maria Chriſtus.* VII.

Digitized by Google

IIX. Quando igitur, teſte S. Paulo, *Rom. 1.20. Inuiſibilia ipſius à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*, omniáque clamant: *Ipſe fecit nos. Pſal. 99.3.* & vel hinc Anaxagoras, *teſte Laërtio l. 2. rogatus, cuius rei cauſſa natus eſſet? inſpiciendi cæli, & ſolis, & lunæ*, reſpondit:

Vt potuit paruo cognoſci MVNDVS IN OVO,
Sic poterit magno maior in Orbe DEVS.

IX. Certè verò in ipſo quoque *ouo*. Quod tribus rebus conſtat, teſta, albo, flauo; ſicut Deus tribus perſonis. quarum tertia à duabus, ſecunda ab vnica, prima à nulla procedit; quemadmodum flauum ab albo & teſtâ; album à ſola teſtâ, teſta nec ab albo, nec à flauo continetur. Ita fas eſt, & Deum Patrem ingenitum, & Filium vnigenitum, & Spiritum, tanquam mutuum Patris ac Filij amorem, *oui* ſymbolo in memoriam reducere. Quid ſi etiam *oui* figura principio & fine carens Dei ſignificat *infinitatem*, & *æternitatem*? quin & *immenſitatem*? quà enim figura illa circularis eſt, cum quadratura hucuſque non potuit commenſurari: ſicut & Dionyſius de diu. nom. c. 9. ſcribit, Deum *ſuper omnem magnitudinem ſe diffundere.*

Ab

Ab ouo vſque ad primam cauſſam nos duci.

EMBLEMA II.

ECCE PRIORE PRIVS.



NOn nemo, *apud Plutarch. lib. 2. q. q. Conu.* 1.
perplexam illam, quæ indagantes multùm fatigauit, in medium protraxit, de ouo & aue quæſtionem (quæ etiam *aqud Macrobium 7. Saturnal.* tractatur) *vtrum eorum priùs extiterit?* Eam quæſtionem Alexander deriſit, quaſi ab Aboriginum ſeculo petitam; Firmus, arreptâ opinione, quæ ex atomis omnia fieri docet; *ſi parua*, inquit, *elementa ſunt magnarum rerum ponenda principia, propius vero eſt, ouum, quàm auem, extitiſſe priùs. Eſt enim ſimplex quantum ad ſenſum; varium magis, & mixtum auis. In vni-*

uerſum, principium eſt primum, ſemen autem principium: Ouum verò ſemine plus eſt, animante eſt minus.

II. Hæc, & plura Firmus, non admodum firmè. Sic enim & ipſo ouo ſemen debuiſſet priùs extitiſſe. at cuius ſemen? nonne animalis? Quamobrem grauibus momentis tractus Senecio, *par eſt*, ait Firmum impugnans, *vt imperfecto natura, ſuperius perfectum ſit; claudicante integrum, parte totum. Abſurdum eſt enim, partem conſiſtere, eo, cuius pars ſit, non extante. Quare nemo eſt, qui dicat, ſeminis eſſe hominem, neq; oui gallinam: ſed gallina ouum &c.* Deinde cum oſtendiſſet, *multas animantes à tellure editas, abſq; ouo, nunquam autem relatum eſſe terrigenum ouum, ſed omne ouũ eſſe ex animante*, concludit, auem ouo fuiſſe priorem. Sed fidei lumine deſtitutus, cum fateri coactus eſſet, *ſine principio extitiſſe animantem non dicimus*, quale illud principium fuerit, non dixit, quia neſciuit.

III. At *Sylla, cum dixiſſet, tenui quæſtione eum, ſicut organo, magnam illam, de Mundi ortu, & ſpinoſam quatere, denunciauit illi, vt ea abſtineret:* arbitratus forſitan, idem eſſe τὸ Πλάτωνος ὄν, καὶ τὸ ὀρφικὸν ὠόν, *Platonis ens, & Orphicum ouum*, vt *Proclus in Timæum* explicat. Tantum enim Orphici ouo tribuerunt, vt Mundum ipſum ouũ, & ex ouo prodijſſe affirmarent. Quæ fabula, ne

ne diſputando obſcurior fieret, juſſit Sylla, ea quæſtione, tanquam intempeſtiua, abſtineri.

Quantò rectiùs, vt ſapienti res omnes documento ad virtutem ſunt, ita cum alijs Philoſophantibus, & potiſſimè cum S. Scriptura, quæſtionem hanc ad Creatorem reduxiſſet, qui verbo omnia produxit? ſine mora, in ictu condendi? *Alioquin*, ait, S. Auguſtin. *l. 4. de Geneſ. ad lit. c. 33. ſi rerum naturales motiones, dierúmq; iſtorum, quos nouimus, vſitata ſpacia, cum hæc primitus Verbo Dei facta ſunt, cogitemus &c. quot diebus opus erat, vt aues volarent, ſi à ſuis primordijs exiſtentes, ad plumas, & pennas, per naturæ ſuæ numeros peruenerunt? An forte oua tantùm creata erant, cum quinto die dictum eſt, quòd eiecerint aquæ omne volatile pennatum ſecundùm ſuum genus? Aut ſi propterea rectè hoc dici potuit, quia in illo humore ouorum iam erant omnia, quæ per numeros certos dierum coaleſcunt, & explicantur quodammodo, quia inerant iam ipſæ numeroſæ rationes incorporaliter corporeis rebus intextæ; cur non & ante oua idipſum rectè dici poterit, cum iam eædem rationes in elemento humido fierent, quibus aliter per temporales ſui cuiuſq; generis moras oriri, & perfici poſſent?* Vnde concludit, à Deo creata eſſe *omnia ſimul Eccli. 8. 1.* Alij *(ſimul)* accipiunt pro *(pariter)* vt certi rerum creata- IV.

A 5 rum

rum dies diſtinguantur. Meliùs ergo Sylla huic rei dicere potuiſſet:

Firme, oui ac Mundi, paritérq; Senecio, primum
Si vis principium quærere, quære Deum.

V. Nam etſi hunc *Eſſe*, non ſit abs ſe notum, ex ipſa vi verborum, ſicut, cognitis vocibus, abs ſe notum eſt, vnum & dùo, facere tria; teſte S. Thoma *1. p. q. 2. a. 1.* quærendo tamen, hoc eſt, ratiocinatione etiam naturali, ac mentis diſcurſu inveniri atque cognoſci poteſt, & *Eſſe Deum*, & *Eſſe Vnum*, & *Eſſe Liberum*, & *Habere prouidentiam*: vt etiam tradit *S. Dionyſ. c. 7. de diu. nom.* & *S. Auguſt. de ſpirit. & lit. c. 12.* Hinc *Sap. 13. 5.* legimus: *A magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter* (ἀναλόγως, ſeu per analogiam) *poterit creator horum videri.* Et ſupra laudato loco, *Rom. 1. 2. Inuiſibilia ipſius* (vt *eſſe æternum, immenſum, omniſcium, omnipotentem, iuſtum, bonum* &c.) *à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur*: ſi ſcilicet collatione, & illatione intellectus, per opera ſenſibilia Dei cognoſcenda, aſcendamus.

VI. Neque refert, quid ſit illud, cuius conſideratione, mentem ad inuiſibilia Dei attollimus: per *oua*, per gallinam; per terram, per cælum Conditorem licet agnoſcere. Vere *S. Auguſtin. Soliloq. cap. 9. Omnipotens manus tua*, ait, *ſemper vna & eadem, creauit in cælo Angelos*,

&

& in terra vermiculos: non ſuperior in illis, non inferior in iſtis. Sicut enim nulla alia manus Angelum, ita nulla poſſet creare vermiculum: ſicut nulla cælum, ita nulla poſſet creare minimum arboris folium: ſicut nulla corpus, ita nulla vllum capillum album poſſet facere, aut nigrum: ſed omnipotens manus tua, cui omnia pari modo ſunt poſſibilia. Nec enim poſſibilius eſt ei creare vermiculum, quàm Angelum, nec impoſſibilius eſt extendere cælum, quàm folium: nec leuius formare capillum, quàm corpus: nec difficilius fundare terram ſuper aquas, quàm aquas ſuper terram.

Sicut ergo ex effectu cauſſa, è ſonitu tuba, VII.
ex vmbra corpus, è veſtigio animal, è fructu arbor; ita ex Mundo Deus intelligitur. Cum enim nihil ſe ipſum efficiat, &, in Efficientibus, in infinitum procedere, ſit abſurdum, ab ouo ad gallinam, à gallina, & omni denique creatura veniendum erit ad Creatorem, tanquam ad primum principium: quo ſublato, quando tandem rurſus ad vllum effectum, per immenſam illam infinitudinem atque inexplicabiles principiorum multiplicationes & gyros, perueniretur? Igitur idem, qui Mundum ex nihilo, etiam gallinam creauit ſine ouo. Hoc qui neſcit, in infinitum principiorum ibit; & ſicut ad primam cauſſam, in infinita ſerie, non poterit peruenire; ita intelligat, per eandem infinitam ſe-

riem,

riem, nullum vnquam vltimum effectum poſſe deſcendere. Vbi enim vltimum, ibi finitum. Supereſt igitur, vt vel nunquam quieſcas, vel per creata ad Creatorem aſcendas, & ad primã cauſſam pervenias; quæ ſola eſt infinita, non numero; ſed numerorum perfectionúmque omnium complexione eminentiáque. Quid amplius? *Mundum naſci poſſe, quem neque genitum, neq; interiturum vnquam multi crediderunt* ait Puteanus orat. 20. *in ouo videmus*, cui Mundus comparatur. In cauſſis finalibus quoq; progreſſum in infinitum dari non poſſe, ſed neceſſariò ad vltimum aliquem finem, qui eſt Deus, perveniendum eſſe, doctè oſtendit Theophilus Raynaudus in Morali diſciplina q. 1. art. 1. diſp. 1. Sed abrumpo, ne vel oratio hæc abeat in infinitum.


Divina,

Divina, in ovo, ſapientia indagata.

EMBLEMA III.

OMNIA VIDET OCVLVS ILLIVS.

OMNIA TESTE DEO.



BEllè Triſmegiſtus dixit, *Mundũ eſſe librum* I.
diuinitatis, *& ſpeculum diuinorum*, in quo nimirum Deus, tanquam Apelles ſum̃us, aut Phidias potiùs, ſemetipſum ſcitè expreſſit. Vt enim in Mundo condendo potentiam, ſic in diſponendo ſapientiam, in gubernando prouidentiam, in ornando bonitatem, in puniendo juſtitiam ceteráſque virtutes ſuas, imò penitiſſimè omnia hæc in omnibus impreſſit, & oſtendit.

Ægyptij, vt Cyrillus docet *lib. 9. Apolog.* II.

contr.

contr. Iulian. cum ſcientiam, ſapientiam, ac providentiam Dei vellent ſignificare, *oculum* pinxêre, *ſceptro ſuperſtantem*, plura. *Pier. lib. 33. Hieroglyph.* Orpheus Solem *oculum iuſtitiæ* appellauit, illum ſcilicet, de quo *Diphilus in Comœdia: Eſt qui tuetur cuncta iuſtitiæ oculus:* aut de quo Maro ait: *Sol qui terrarum flammis opera omnia luſtras,* Itaque & in Sole oculum, & in oculo Solem, & in vtroque diuinam ſcientiam, providentiámq; adumbramus.

III. Rectè, cum & rotarum *totum corpus oculis plenum* ſit, apud *Ezech. 1. 11.* & naturali quoq; ac verò *oculo* mirificè ſapientiam ſuam inſcripſerit rerum Conditor. De qua ſapientia *Cic. lib. 2. de nat. Deor.* & poſt illum, *Lactant. lib. de diuin. opificio. c. 10.* hæc habet. *Vt oculi munitiores eſſent ab iniuria, ciliorum tegminibus occuluit; vnde oculos dictos eſſe, Varroni placet. Nam & ipſæ palpebræ, quibus mobilitas ineſt, & palpitatio vocabulum tribuit; pilis in ordine ſtantibus vallatæ, ſeptum oculis decentiſſimum præbent. Quarum motus aſsiduus incomprehenſibili celeritate concurrens, & videndi tenorem non impedit, & reficit obtutum. Acies enim, id eſt, membrana illa perlucens, quam ſiccari & areſcere non oportet, niſi humore aſſiduo terſa purè niteat, obſoleſcit. Quid ipſa ſuperciliorum faſtigia pilis breuibus adornata? nonne, quaſi aggeribus, & munimentum oculis, ne quid ſuper-*

ſupernè incidat, & ſpeciem ſimul præſtant?

Incomprehenſibilis celeritas palpebrarũ, anſam dedit, vt ſummam velocitatem indicantes, dicamus, *aliquid in ictu oculi accidiſſe*. Quanquam profectò ipſe *oculus* longè palpebris ſuis ſit celerior, quippe cum, in puncto temporis, pluſquam 80. milliones milliarium conficiat (tantùm enim, & ampliùs diſtant ſtellæ fixæ à terra) quoties è terris aſpicit firmamentum. Par eſt celeritati tantæ in oculo paruo capacitas; mediam enim cæli partem intra ſe viſu comprehendit. IV.

Hinc oculi diuini, hoc eſt, diuinæ ſcientiæ, & ſapientiæ (qua non ſolùm effectus, & propinquas, ſed & primas, & ſupremas rerũ cauſſas cognoſcit) perſpicacitatem agnoſce. Sunt enim, juxta *Græcum textum, Eccli. 23. 28. oculi Domini decies millies clariores ſole, inſpicientes omnes vias hominum, & intuentes in abſconditas partes.* Et, vt compendium habeas, OMNIA VIDET OCVLVS ILLIVS, *Eccli. 23. 27.* cuius radius infinita efficacitate ſe extendit, quocunque locorum, & temporum: cum ſit per imenſitatem totus vbique præſens, & per æternitatem tangat & incurrat in omnia, quæ in aliqua parte temporis exiſtunt, exiſtent, & extiterunt. V.

Thales ethnicus Philoſophus apud *Laërt. l. 1.* rogatus, *poſſetné homo clam Deo crimen patrare,* VI.

trare, reſpondit: *ne cogitans quidem.* Sunt proinde *oculo humano* inſcriptæ diuinæ Sapientiæ artes, & ſymbola; diuino autem, & artes illæ, & noſtræ actiones, tam præteritæ, quàm præſentes, ac futuræ; tam quæ in tenebris fiunt, quàm quæ in aprico. Immo, in ipſo *oculo diuino* vbique exiſtente, fiunt & inſcribuntur tam noſtræ rapinæ, quàm eleemoſynæ; tam ſuperſtitiones, quàm orationes; tam *homicidia Cain*, quàm *ſacrificia Abelis.* Quis non timeat, quis non reuereatur eum, cuius *omnia nuda & aperta ſunt oculis? Hebr. 4. 13.*

VII. Sed quid *oculus* ad *ouum*? inquies. Vix *ouum* ſimilius eſt *ouo*, quàm *oculo*. 1. Eadem prorſus eſt *figura oui*, quæ *oculi*. 2. *Putamen* aperi, *album* ſinde, putabis *palpebras* fiſſas te aperuiſſe. 3. Media *oculorum*, *cornea* feneſtrauit *pupilla*; media *ouorum*, *croceus* globauit *vitellus*. 4. Sicut *pupilla oculi*, ita *vitellus oui albo* circumdatur. 5. denique ſui æquè *ouo*, ac *oculo ſpiritus* inſunt. Et, ſi in *oculo pullum* quæris, parua *pupilla* totam imaginem aſtantis reddit. *Ea cauſſa eſt*, inquit *Plin. l. 11. c. 37. vt pleraq; alitum è membris hominum oculos potiſſimùm appetant, quòd effigiem ſuam in ijs cernentes velut ad cognata deſideria ſua tendunt*; *pullum* in *oculo*, tanquam in *ouo* videntes.

VIII. *Oculum* ergo in *ouo*; in *oculo*, vel in vtroq;

Dei

Dei Scientiam Sapientiamq́; mirare, & venerare, cogitaq́; te omnia, quæ facis, *diuino oculo* inſpiciente, facere. Nullum eſt potentius frænum contra peccata, quàm ſi ſciat ſeruus Dominum, reus Iudicem, homo Deum ſeſemper præſentem habere. *Memento Dei*, ait S. Ignatius Martyr *epiſt. 9. ad Heronem, & non peccabis.* Ita propudioſa illa à peccato eſt abducta, cum à S. Ephręm audiſſet: *Tu in foro, & coram hominibus agere erubeſcis, quod, Deo malorum vindice inſpectante, patrare audes? Sur. 1. Febr.* Eâdem Numinis præſentiâ & ſcientia omnia percallente, correcta eſt, per Paphnutium, Thais, apud *D. Antonin. p. 2. hiſt. tit. 15. c. 10. §. 3.*

Nec abſterrent *oculi* tantùm à malo, ſed ad bonum quoque inflammant, & velut equum ſaginant. Ita de Magno Antonio *Athanaſius*, & *Sur. 17. Ian.* de S. Catharina Senenſi *Raimundus*, de S. Doſitheo *Dorotheus in vita eorum*, docuerunt, ſi ſint qui diſcere velint. IX.

Regula hæc ante omne opus debet aſpici: *Quidquid fit, ſit teſte Deo, qui cuncta tuetur.* Quis enim, tali teſte, impium aliquid audeat? imo & poſtquam auſus eſt, non corrigat? Refert *Petrus Damianus Epiſt. 8. c. 8.* virum ceteroquin in miſericordiæ & pietatis opera pronum, quique multa egenis bona facere ſolitabat, aliquando tamen ab Alaſtore eò pellectum, vt Cacum X.

Digitized by Google

imitans pecudem alienam abigeret, & grunnientem illam alicubi in ſpecum occultam abſtruderet. Abſcondit ſanè pecus, ſed non ſcelus. Quod ſciri à Superis, vt ſciret, adfuit extemplo diues Iesvs, ſed habitu pauperis, & cæſarie tam prolixa deformis, vt operâ tonſoris videretur indigere. Abigeus pauperem benignis officijs excepit, atque inter cetera humanitatis impendia, etiam forfice cœpit attondere. Dum anxiè diſcurſat, dum ſatagit, dum caput vndiq; pectit, dum crinem demit, inſperatò reperit duos lucidiſſimos *oculos*, in occipitio, ſub comis, latitantes. Expaueſcit ad prodigium, & fit attonitus, cúmque, *quid hoc rei?* pauida voce interrogâſſet, Reſpondit pauper: *Ego* Iesvs *vocor, quem nihil latet. Et hi ſunt oculi, quibus pecudem conſpexi à te abductam, caueáque concluſam*, nec tam miſericordia tua delector, quàm vehementer factum iſtud mihi eſt diſplicitum. Hæc dixit, & diſparuit. Nec pluribus opus fuit, cetera abigeo conſcientia dixit: qui agnita, non modò Numinis vbique præſentia, ſed etiam clementia incredibili, & de præterito ſatisfecit, & in futurum cautior fuit; doctus, Argi *oculos* potuiſſe ſopiri, non Dei.


Dei

Digitized by Google

Dei Mundum gubernantis prouidentia, in ouo deprehenſa.

EMBLEMA IV.

PROVIDA VENTVRI NATVRA.



OVa Crocodili *Hadrianus Iunius Embl.* XIX. I.
ſequentibus verſiculis explicat.

Quò ſacer excurret Nilus in arua,
Præſcius alluuie libera ponit
Oua; monens meritò nos Crocodilus,
Quæ fata immineant, antè videre.

Quàm nos diuerſi ſumus, qui medijs in periculis, & inter ſyrtes, deſideria noſtra collocamus? Ergo Crocodilum habemus prouidentiæ ac ſecuritatis circumſpiciendæ magiſtrum.

Sed aliud quoq; ex his *ouis* diſcimus; nempe II.

qui Crocodilo *prouidentiam* indidit, longè eſſe *prouidentiorem*; & eſſe, qui indidit. Cum enim Crocodilus cognitione finis deſtinati careat, & tamen, ob finem aliquem, *oua* ſua in tuto ponat, neceſſe eſt, aliquam exiſtere intelligentem naturam, â qua ſicut ipſe, & eius, vt ſic dicam, pullatio, ita omnes res naturales ſcientia alioquin intelligentiaque deſtitutæ, ad finem ordinentur. Quæcunq; enim cognitione finis carent, *non tendunt in finem, niſi directa ab aliquo cognoſcente, & intelligente, ſicut ſagitta â ſagittante*, ait *S. Thomas 1. p. q. 2. a. 3.* Hanc igitur intelligentem & dirigentem naturam, Deum dicimus. Quòd verò Crocodilus & alia corpora naturalia, ob certum finem agant, inde perſpicitur, quia aut ſemper, aut ſæpius eodem modo agunt, ſcilicet vt id, quod eſt optimum, conſequantur. Vnde indubiè exploratum habetur, ea non caſu, ſed certo conſilio ad finem peruenire; non ſuo; Ergo Dei. Ita Deum è *gubernatione rerum* veſtigat Aquinas. Eſt enim *gubernatio*, poſt creationem, alterum opus *diuinæ prouidentiæ*.

III. Quare ſicut è creatione, & prima rerum effectione, quæ non caſu, ſed certo conſilio, & decreto, ad omnes rerum circumſtantias pertinente, Mundum produxit; ita etiam è *gubernatione prouidentiam*; ex hac autem, quia ſumma eſt, Deum deprehendimus, ſummum gubernatorem:

qui

Digitized by Google

qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluuiam; qui producit in montibus fænum, & herbam ſeruituti hominum; qui dat jumentis eſcam illorum, & pullis cornorum inuocantibus eum. Pſal. 146. 9. qui *attingit à fine vſq; ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Sap. 8. 1.* etiam minima conſeruans & gubernans, ait *S. Aug. l. 4. de Gen. ad lit. c. 12.* Et adhuc es tu, qui Mundum putes *Fortuna, non arte regi? Claudian. 1. in Ruffin.*

Nec curare Deum, credis, mortalia quenquam?
Virg. Eccl. 8.

Scilicet Crocodilo cura eſt de *ouo* ſuo, & Deo cura non eſt de Mundo ſuo? qui, vt *ſupra* vidimus, *Embl. 1.* Dei *ouum* eſt.

Hæc meditatio improlis non eſt. Quippe ex agnita hac Dei prouidentia, magna animo tranquillitas, in ſumma rerum perturbatione antea inquietato naſcitur; ceſſant querelæ, timores, ſolicitudines; vt Chriſtus *Matth. 6.* à *volatilibus cæli, lilijs agri*, fænoq;, & *Luc. 12.* à *paſſerum, capillorumq; numero*, paſtis, veſtitis, cuſtoditiſq; docet. Deſinat ergo impius triſti ſe cogitatione confundere; deſinat *inſipiens in corde ſuo* dicere: *Non eſt Deus Pſal. 13. 1.* deſinat alius furere potiùs, quàm canere: IV.

Cum capiant mala fata bonos, ignoſcite faſſo,
Sollicitor, nullos eſſe putare Deos.
Viue pius, moriare pius, cole ſacra, colentem,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Mors grauis à templis in caua buſta trahet.
Ouid. 3. Am. 8.

V. Lymphati ſic loquuntur, ceritorum talis eſt oratio, aliter, ſubductis calculis, ratio jubet philoſophari. Nam aliquid, poſt buſta, ſupereſt bonis, & rectiùs ille:

Abſtulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum,
Abſoluitq; Deos; iam non ad culmina rerum,
Iniuſtos creuiſſe, queror; tolluntur in altum,
Vt lapſu maiore ruant. Claudian. loc. cit.

VI. Ampla venit pœna, quibus tarda venit. Nec *Zizania* neſcit, qui *Matth. 13. 30.* dicit, *Sinite vtraq; creſcere. Tempore meſſis*, ex eodem agro, alia *in horreum*, alia in caminum ibunt. Quanquã ſæpe eodem momento vindicta ſceleri adeſt: ſæpe mirabiliter erumpit, quod humanis oculis tectum fuit, diuinis patuiſſe. Luculentum exemplum in juuene Ephræm punito, *Vita* eius refert, vti & ſcriptura in Ioſepho Patriarcha ſeruato.

VII. Atque hæc prima eſt quæſtio apud *Lactant. lib. 1. c. 2 natura ſitne prouidentia, qua rebus omnibus conſulat; an fortuitu vel facta ſint omnia, vel regantur. Cuius ſententiæ auctor eſt Democritus, confirmator Epicurus. Sed & antea Protagoras, qui deos in dubium vocauit; & poſtea Diagoras, qui excluſit; & alij nonnulli, qui non putauerunt Deos eſſe: quid aliud effecerunt, niſi vt nulla eſſe prouidentia putaretur? quos tamen & ceteri Philoſophi, ac maxi-*

maximè Stoici acerrimè retuderunt, dicentes, nec fieri mundum ſine diuina ratione potuiſſe; nec conſtare, niſi ſumma ratione regeretur. Sed & M. Tullius, quamuis Academicæ diſciplinæ defenſor eſſet, de prouidentia gubernatrice rerum, & multa, & ſæpe diſſeruit, Stoicorum argumenta confirmans; & noua ipſe afferens plurima, quod facit tum in omnibus ſuæ philoſophiæ libris, tum maximè in iis, qui ſunt de natura deorum. Nec difficile ſanè fuit, paucorum hominum prauè ſentientium redarguere mendacia teſtimonio populorum atq; gentium in hac vna re non diſſentientium. Nemo eſt enim tam rudis, tam feris moribus; quin oculos ſuos in cælum tollens, tametſi neſciret cuius dei prouidentia regatur hoc omne, quod cernitur; non aliquam tamen eſſe intelligat ex ipſa rerum magnitudine, motu, diſpoſitione, conſtantia, vtilitate, pulchritudine, temperatione: nec poſſe fieri, quin id, quod mirabili ratione conſtat, conſilio maiori aliquo ſit inſtructum. Hæc Lactantius contra noſtræ ætatis Protagoras & Diagoras, heu, nimis multos! qui cum credant, oculum materiæ ſuæ miſtura non ſolùm aliquid lucis continere, ſed nonnunquam etiam tam efficaciter, vt per medias noctis tenebras clarè cernat (quod Tiberio Imperatori olim, & poſtea etiam M. Antonio Sabellico contigiſſe ſcribitur) cur Deum volunt facere cæciorem, cuius oculis omnia nuda & aperta ſunt? aut quod de-

terius eſt, cur credunt, Deum omnia videntem fore negligentem? An non ſicut in paruo Mundo oculi omnium membrorum atque actuum, ita in magno diuini oculi totius creaturæ erunt moderatores? Quare ad feras belluas ablegandi ſunt iſti Athei noſtri, qui prouidentiam Deo negant, quam crocodilo concedunt; digni deuotione illa, vt ipſi ad Nilum, & in crocodilos abeant; non vt cum illis ſerò lachrymentur, ſed vt tempeſtiuè prouideant rebus futuris. Quod facient, ſi ſemper ante oculos ponent omnia Prouidentem.

Sum-

Digitized by Google

Summmæ prouidentiæ ſcopus, in ouo, notatus.

EMBLEMA V.

HOC PVNCTVM, HOC CENTRVM, RERVM HÆC CYNOSVRA TVARVM.



VMbilicus ouis à cacumine ineſt, ceu gutta eminens in putamine, Plin. *lib. 10. c. 52.* Cur? Phyſicam cauſſam (vt ſcilicet ouum adhuc in vtero exiſtens, per fiſtulam, ſeu appendiculam vmbilicarem inibi annexam, nutriatur) *Cardanus lib. 7. de rerum variet. c. 39.* his verbis indicat: *Grandines habent* (oua) *ſingulas in capitibus, albumq́; à luteo ſecernitur membranâ. In hac, dum pullus gignitur, conſtitutus eſt alter vmbilicorum, reliquus verò in membrana exterio-* I.

 terio-

teriore, quæ tertia membranæ corticem ſuccingenti annectitur: vterq; horum venis jungitur cordi. Idem ergo in *ouo*, quod in homine *vmbilicus*.

II. At quia, ſicut toti Mundo, ita etiam toti *ouo*, & quanto plura illi, tanto plurima iſti myſteria inſcribuntur, cur *ouo vmbilicus* ineſt? an quia *ouum* Mundus eſt, &, vt *Plin. l. 2. c. 68.* ait, *non aliud eſt terra vniuerſa, quàm Mundi punctus*, immo, vt *Seneca* ſcribit, *adhuc puncto minus?* Vide *Boët. l. 4. de conſol. Phil. pros. 7.* & *Sap. 11. 23.* Poteſt ita *vmbilicus* ille intelligi.

III. Sed quid ſi rerum Conditor, ſicut in circulo centrum, in cælo polum, ita in *ouo* poſuit guttam illam eminentem, vt intelligeremus, omnibus rebus ſuum centrum, punctum, polum, & cynoſuram eſſe à Numinis prouidentia, quæ, teſte *Boëtio l. 4. de conſ. proſ. 6.* eſt *diuina ratio (ordinis rerum in finem*, vt addit *S. Thom. 1. p. q. 22. a. 1.) in ſummo omnium Principe conſtituta, quæ cuncta diſponit.* Cum enim Mundus non ſit caſu, ſed certo conſilio atque decreto ad minutiſſima pertingente factus; erit vtique eius, & ſingularum in eo rerum creatio, diuinæ prouidentiæ opus: quia nihil magis eſt prouidere, quàm eiusmodi conſilio decretoq; aliquid præfinire. Quare, ſicut in Deo ſunt notiones, & ideæ rerum in ſe ſecundùm eſſentiam ac formam ſuam ſpectatarũ, ita etiam earundem notio, prout ad finem

tum

tum proprium, tum communem totius Vniuerſi ordinantur, eſt in eodem Deo; atq; hanc primi nominis *prouidentiam* vocamus.

Hac ergo res omnes, non tantùm extrinſeco modo, ſed etiam (tanquam perfectiſſima, & *vniuerſaliſſima prouidentiâ*) intima ordinatione in ſuos fines deſtinantur. Eſt autem finis cuiusque rei proprius operatio illius; communis, gloria & manifeſtatio diuinarum perfectionum. Hinc, ſicut res ceteræ à Creatore ſuo naturam, ſitum, figuram, locum, tempus, magnitudinem, paruitatem, ſymphatiam, antipathiam, temperamentum, vires, ceteraſq; qualitates acceperunt, prout cuiuſque ſtatus, functio, & finis particularis, exigebat: ita homines & Angeli lumẽ quoddam ſortiti ſunt, quo Deum cognoſcerent, amarent, laudarent; ac ita ad principium ſuum, à quo effecti ſunt, etiam tanquam ad vltimum finem reuenirent. IV.

Idem enim eſt finis operis ac operationis, hoc eſt, hominis creati ac creationis. Opus enim, ſeu homo, quando nondum fuit, nequiuit ſibi finem præfigere, ob quem crearetur. Præfixit ergo illi Deus; qui cum ſit ens à ſe, facit omnia propter ſeipſum, vt ex Ariſtotele & Platone confirmat *Cuſanus lib. 7. excit.* Cum igitur homo ſit opificium Dei, neceſſe eſt eum ad ipſum Deum tanquam ad finem ſimpliciter vltimum, referri V.

ab

ab auctore ſuo. Par eſt ergo, vt ipſe quoque homo ad eundem finem ſuum tendat identidem. Quod ni faciat, videbitur opificem criminari, & quaſi de malè ſibi præfixo fine arguere, quem oporteat inuertere.

VI. Hac de cauſſa *Marius Victorinus l. 4. aduerſ. Arrium*, Deum, ait, *ſedere quaſi in centro omnium qui ſunt*, quòd ſit *ipſum manens, vel manſio, quies quietis*. Deum *rerum centrum* vocat etiam *Syneſius hymn. 2. & 3. Plotin. ennead. 6. lib. 9. c. 8.* At *locum noſtrum* Deum appellat *Theophilus Antiochen. 2. ad Autolyc. Euſeb. lib. 4. c. 1. de demonſtr. S. Gregor. 8. Moral. c. 15.*

VII. Hunc fuiſſe communem Iudæis antiquis de Deo loquendi modum ſcribit *Galatin 2. de arca c. 8.* Certè quia ab vno Deo abſoluta perfectio homini eſt expectanda, tanquam ab eo, in quo vno omnes noſtri motus debent deſinere, velut in termino, in quo nobis ſit quieſcendum; conficitur, Deum vnicum noſtrum eſſe finem vltimum. *Quo modo enim finis viæ tuæ locus eſt, quo tendis*, ait *S. Aug. in Pſ. 50. quò cum perueneris, iam manebis; ſic finis ſtudij tui, propoſiti tui, conatus tui, intentionis tuæ, ille eſt, ad quem prætendis; ad quem cum perueneris, vltra nihil deſiderabis, quia melius nihil habebis*. Vt ergo circulus ad punctum redit, à quo cæpit, ita creatura, ad principium ſuum primum debet reuerti.

Atque

Digitized by Google

Atque iſte eſt ſeu *oui*, ſeu Mundi iſtius ambitus, HOC PVNCTVM, HOC CENTRVM, RERVM HÆC CYNOSVRA TVARVM, ô homo, vt tibi *Deus ſit omnia in omnibus, 1. Cor. 15. 28.* Nam *vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, Prou. 16. 4.* Hinc *ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo* (ſeu εἰς ἀυτὸν, *in ipſum*) *ſunt omnia, Rom. 11. 36.* In ſumma: *Ego ſum α & ω, principium & finis,* ait *Apoc. 1. 8.*

Finis ſanè nobiliſſimus, quo neque poſſet præſtantior poni, neque ab vllo intelligente optabilior excogitari. Neque ab homine res vlla melior poteſt, in hac vita optari, quàm vt fide, ſpe, charitate; Deum cognoſcat, ſitiat, amet, glorificet, eiúſque & ſimilis, & filius, & hac via tandem etiam diuinæ æternæque beatitudinis particeps efficiatur. *Hoc punctum, hoc centrum* vidit Auguſtinus. Cum *l. 1. Confeſſ. c. 1.* diceret: *Feciſti nos Domine, ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* *Hoc punctum, hanc Cynoſuram* in omni negocio aſpici voluit, qui dixit: *Deum time, & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo. Eccl. 12. 13.* Quæ definitio à communi illa Philoſophorum: *Homo eſt animal rationale*, nihil diſcrepat: quia animalis ratione præditi maximè proprium eſt, *Deum timere; & mandata eius obſeruare*, cum ſit homo ex intrinſeca ſua natura ad hoc ordinatus; quem ordinem ſi peruertit, iam *nihil eſt homo*, teſte S. Bernardo; VIII.

nardo; & heu nimis infelix iaculator, vt qui à tam grandi ſcopo, hoc eſt, à toto cœlo, & immenſo Deo aberrat!

IX. Quiſquis ergo punctum illud oui aſpicit, illud ſibi canat Perſij *ſat. 3.*

Eſt aliquid, quò tendis, & in quod dirigis arcũ?
Aut paſſim ſequeris coruos, teſtáque lutóque
Securus quò pes ferat; atq; ex tempore viuis?


X. Nec ſolùm is non agit, vt homo, ſeu tanquam præditus ratione, qui actioni ſuæ nullum præſtituit finem, neſciens ipſe ſæpe quid, aut cur aliquid agat; ſed ille quoque, qui finem malum habet. Tam enim rationi repugnat; imò magis, ob malum finem, quàm ob nullum agere. Verùm & otiosè agere peius eſt, quàm nihil agere. Quanquam nihil agere malum eſt, cum negligitur ingentis lucri occaſio. Recenſet *ex Bloſio Tilm. Bredenbachius l. 8. collat. c. 30.* S. Mechtildem Virginem ſæpe à Chriſto viſitari ſolitam, aliquando eiuſcemodi Beatorum in cælis voces audiuiſſe: *Nos quidem in patria ſumus, vos, in via; nos in cælo, vos in terris; nos Deum videmus, & præmio fruimur, vos autem veſtra, inter mortales, felicitate non caretis, nam adhuc facultas eſt vobis, maiores quotidie facere cumulos meritorum.* Quidquid toto die fit, fieri poteſt ex Dei charitate, & dirigi ad æternæ ſalutis incrementum. Non eſt homo, qui hoc PVNCTVM neſcit; qui autem obſeruat, OMNE TVLIT PVNCTVM.

Malo-

Malorum permiſſio, in ouis, conſiderata.

EMBLEMA VI.

SOLEM SVVM ORIRI FACIT SVPER BONOS ET MALOS. Matth. 25. 45.



VT nonnullorum Poëtarum carmina, ſic *ouorum*, 1.

Sunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura. Nam, dum multipotens natura ludit, Mundumq; ipſa varietate ornat; *Ouorum alia ſunt candida, vt columbis, perdicibus: alia pallida, vt aquaticis: alia punctis diſtincta, vt meleagri: alia rubri coloris, vt Phaſianis, cenchridi. Intus autem omne ouum volucrum bicolor. Aquaticis lutei plus quàm albi, idq; ipſum magis luridum,* quàm

Digitized by Google

quàm ceteris. Piſcium vnus color, in quo nihil candidi. Auium oua ex calore fragilia, ſerpentium ex frigore lenta, piſcium ex liquore mollia. Aquatilium rotunda, reliqua ferè faſtigio cacuminata. Plin. *l. 10. c. 52.* Apud Plutarch. quoque *l. 2. qq. conuiu. q. 3.* ouum *& volantia producit, & natantia innumera, & terrena, lacertas, & generis ancipitis crocodilos, bipedem volucrem, pedum exortem ſerpentem, multis pedibus nixum attelabum.* Attingit hoc & *Cic. 2. de nat. Deor.*

II. Animalia ſana, *oua ſana* pariunt: à beſtijs venenatis naſcuntur & *oua venenata.* Quædam in nidis ponuntur, quædam in paludibus, quædam in iuncis; alia in arborum ramis, alia in littorum arenis; alia alibi. Denique ea eſt ouorum natura, vt facilè in eam complexionem, quam inueniunt, conuertantur; hinc ſanis ſana ſunt, & plerumque invtilia infirmis.

III. Color ipſe, etſi plerumque ad candorem accedat, arte tamen mutatur. Nunc enim ſcribitur, nunc pingitur, nunc tingitur, nunc raditur ouum: vt vel ſicut purpura rubeat, vel inſtar terræ vireat, vel more cæli cærulum, vel æmulatione ſolis aureum, vel firmamenti imagine ſtellatum appareat. In ſumma tale eſt ouum, quale vis, quale facis.

IV. Quid aliud ſunt creaturæ? tanta diuerſitas eſt, vt, ſi cum hominis vtentis, vel abutentis ingenio

genio conferas, dicere etiam poſſis: In Mundo *Sunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura*; quanquam non niſi ratione malorum, *Bonis omnia cooperantur in bonum, Rom. 8. 28*. Vt ergo *bona bonis creata ſunt ab initio, ſic nequiſſimis bona & mala. Eccl. 39. 30*. bona quidem in ſe, & re, mala autem occaſione. Nam auro liberalis vtitur, auarus abutitur. Bonum ergo aurum eſt bono, malum malo.

Eiuſmodi mala Deus fecit; immo bona fecit, & mala per malos fieri permiſit; quia ad diuinam prouidentiam pertinet, & ſummæ gubernationis opus eſt, non ſolùm Mundum, certo conſilio, & fine, condere, conſeruare, & ad finem ſuum res quaſque diſponere; ſed etiam permittere, vt quædam à ſuo proprio fine excidant, atque ita altiorem ipſius Gubernatoris finem gloriamq; manifeſtent. Dum enim peccata permittit Deus, oſtendit opera virtutis eſſe libera, non coacta, ſed præmio digna, cum peccari poſſit: excitat in illis, qui peccare poſſunt, benè operandi ſolicitudinem, ne peccent; quis enim ſolicitus eſſet, ne peccaret, ſi Deus nullum peccare permitteret? Denique ſi qui, permittente Deo, non ob permiſſionem, ſed ob ſuam malitiam declinant à bono, & peccant, punitione illorum, ſuam juſtitiam oſtendit; quin & magnitudinem diuinæ maieſtatis, quæ tanta eſt, vt vel V.

ob vnicum peccatum, aut Angelus, aut homo æterni ignis pœnas mereatur. Ita ferè *S. Damaſc. l. 2. c. 29.*

VI. Hinc S. Auguſtino *in Enchir. c. 96. Non fit aliquid, niſi omnipotens fieri velit, vel ſinendo vt fiat, vel ipſe faciendo. Nec dubitandum, Deum bene facere, etiam fieri ſinendo, quæcunq; fiunt malè. Non enim hoc, niſi juſto iudicio ſinit.* Neq; enim, vt ait eod. *l. c. 11. Deus omnipotens cui rerum eſt ſumma poteſtas, cum ſummè bonus ſit, vllo modo ſineret mali aliquid eſſe in opere ſuo, niſi vſq; adeò eſſet omnipotens & bonus, vt bene faceret etiam de malo.*

VII. Cum igitur omnis operatio Dei bona ſit, etiam ob *permiſſionem malorum* & deteſtabilium, eſt laudandus. Sicut enim varietate *ouorum*, immo etiam monſtrorum ornatur Vniuerſum; ita varietate hominum, & operum, vel bonitas & miſericordia, vel æquitas & juſtitia Dei inclareſcit; à qua Deus æquè laudandus, ac à bonitate.

VIII. Quare nemo poteſt diuinæ prouidentiæ diſpoſitionem effugere; omnium rerum vltima linea, eſt gloria Dei, è certa illius virtute innoteſcens. In bonis laudatur bonitas, in malis æquitas Conditoris. Quiſquis enim ſe ſubtrahit ordini diuinæ diſpoſitionis, incidit in ordinem caſtigationis; & dum non vult ſubeſſe obediendo præceptis, cogitur ſubeſſe ſuſtinendis tormentis, Sic juſtus miſericordiam laudat præmio; impius

pius diuinam juſtitiam honorat ſupplicio : ille vt *ouum* columbæ, iſte vt *ouum* noctuæ. Deniq; tam vipera, quàm ciconia Mundi pars eſt : pari pacto tam juſtitia, quàm miſericordia Dei laus eſt : nec totum nouit, qui nouit tantùm miſericordem.

Permittendi erant ergo & mali, quorum iudicio diuina iuſtitia æquè Mundo oſtenderetur. Quæ iuſtitia ipſis quoque impijs prodeſt, vt vel reſipiſcant, vel parciùs offendant. Si enim nolunt virtutis amore, ſaltem metu iudicis poſſunt à ſcelere reuocari. Ita ſeruos timor, filios amor coërcet; vtroſque autem ad imitationem tam laudabilis virtus inuitat. Nec enim minùs imitanda videri ſolet iuſtitia, quàm laudanda. Quod vel in exemplo diſce, ita luculento, vt id D. Auguſtinus non dubitârit bis referre, ſcilicet *hom. 9. ex 50. & ſerm. 21. de verbis Apoſtoli*: *Dicam*, inquit, *quid fecerit homo quidam pauperrimus, eo tempore, quo S. Ambroſius Mediolani erat Epiſcopus, vbi tunc præſens erat etiam Auguſtinus nondum Epiſcopus. Tam pauper erat ille, de quo loquimur, vt proſcholaſticus eſſet Grammatici, ſed planè verus & perfectus Chriſtianus. Sed melior fuit ille, qui ad velum ſtabat, quàm ille qui in cathedra ſedebat. Pauper ergo iſte inuenit ſacculum ducentorum ſolidorum. memor tamen diuinæ legis propoſuit pittacium publicè. (Qui ſolidos perdidit, ve-* IX.

niat ad illum locum, vt quærat illum hominem) Ille, qui plangens circumquaque vagabatur, inuento, & lecto pittatio, venit ad hominem. Et ne fortè alienum quæreret, ſed ſuum, quæſiuit ſigna: interrogauit ſacculi qualitatem, ſolidorum etiam numerum. Cum omnia fideliter etiam ille reſpondiſſet, reddidit, quod inuenerat. Ille repletus gaudio, & quærens vicem rependere, tanquam decimas, obtulit illi ſolidos viginti. noluit accipere. Obtulit decem. noluit accipere. Saltem rogauit, vt vel quinque acciperet, noluit. Iſte ſtomachans proiecit ſacculum. Nihil perdidi, ait: ſi non vis à me aliquid accipere, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen, fratres mei, quale certamen, qualis pugna, qualis conflictus? Theatrum Mundus, ſpectator Deus. Victus ille, quod offerebatur, accepit, & continuò totum pauperibus erogauit. Vnum ſolidum in domum ſuam non miſit. Conſiderate, fratres, tam glorioſum exemplum, & tam admirabile factum. Potuit inuentor ille ſuo exemplo ad imitationem virtutis pecuniæ Dominum tam repentè incendere; cur Deus nos ſeruos ſuos tot iuſtitiæ, liberalitatis, benignitatis exemplis non accendat? Accendit ſanè, ſed bonos tantùm. Malos autem qui exempla non capiunt, vt bonis pro ligno ſint, accendit flammis. Si tamen non trunco potiùs, quàm ligno ſunt comparandi.

Ouum

Ouum diuinæ iuſtitiæ ſpeculum eſſe.

EMBLEMA VII.

AB OVO VSQVE AD MALA.



O*Vum* ſimile eſt non ſolùm *magno*, ſed etiam *paruo Mundo*, qui eſt homo, teſte *S. Greg. hom. 29. in Euang.* in quo, tanquam in Laconiſmo aliquo, omnes creaturarum gradus compendiosè comprehenduntur. Quin & alioquin eſt magna, cum *ouo*, homini ſimilitudo. Ouum nequam alliſu frangitur, fæténſque ad fimum exturbatur, ſic & Adam, poſtquam deficere cæpit, eiectus eſt è Paradiſo, & in miſerias innumerabiles coniectus, quo ſimilior eſſet *ouo*. Vt igitur *ouo*, ita iam homine nihil quidquam fragilius. Ephemeri vita, vita hominis; quæ, inſtar 1.

oui, vel caſu, vel alliſu rumpitur. Non ita fuit ab initio; ſed *per vnum hominem peccatū in hunc Mundum intrauit, & per peccatum mors. Rom. 5. 12.* Sic AB OVO, ſerpentis fraude, ventum eſt VSQVE AD MALA. Serpens enim cum Eua locutus, *ouum* putrefecit, hoc eſt, ex bono homine, malum fecit: dum peſſimi conſilij *ouum* in Eua poſuit, quo & Euam & *malum* venenauit; indidem ſubitò innumera *mala* generata ſunt; eademque hora Adamus & pomum, & mortem cœpit guſtare, factúſque eſt *ouo* fragilior, per culpam, qui per gratiam è cælo corriuatam, iuſtitiámque originalem, immortalis eſſe potuiſſet.

II. Hinc animi & corporis morbi, in hac vitâ pariter tolerandi, & in illâ flammâ æternùm fuiſſent luendi; ni auxiliator interueniſſet; quem tamen ipſum quàm plurimi, deprauato conſilio, res ſibi ſuas habere iubent. Vt dici poſſit illud *Horatij ſat. 3. Neglectis vrenda filix innaſcitur hortis.* Sic dum Dijs par eſſe voluit Adamus, baſilicè perijt, inde fragilis, vnde fortis; inde mortalis, vnde voluit eſſe ſempiternus.

III. Quid è fragili hoc igitur *ouo* diſcemus? Ex *ouo magnum Mundum* ſignificante, vſque ad Dei laudem aſcendimus; ſupereſt nunc, vt ex *ouo paruum Mundum* repræſentante, vſque ad diaboli cognitionē deſcendamus. Fragilitas enim,

&

& mors per peccatum; peccatum autem per diabolum, in hunc Mundum intrauit. Hunc habet hoc opus auctorem. Quanquam longè etiam hîc altiùs licet penetrare, atque eximias Dei laudes in corrupto quoque hoc *ouo* cognoſcere.

Principem ac Magiſtratum omni quidem virtute decet eſſe ornatum, ſed iuſtitiâ præcipuè, quæ in illo non ſolùm ex impoſito officio exigitur, ſed etiam officium ipſa exigit imponendum; adeò, vt ille, *in vetere comœdia*, hæc duo connectat, dum ait: *Bonum ius dicis, Imperare oportet: quia æquum poſtulat. Plaut. Stich.* Et S. Gregorius grauior auctor *lib. 7. ep. 120.* ad duos Franciæ Reges ait: *Summum in Regibus bonum eſt, iuſtitiam colere, ac ſua cuique iura ſeruare, & ſubiectis non ſinere, quod poteſtatis eſt, fieri, ſed quod æquum eſt, cuſtodire.* IV.

Hanc iuſtitiæ virtutem in Conditore eſſe magnam, & infinitam, qui agnoſcit, Dei laudem maximam agnoſcit. Quia verò cauſſa inuiſibilis, & abdita in Deo, non poteſt à nobis rectiùs, quàm ex effectis, ſicut & omnis virtus ex operibus ſuis, cognoſci; fit, vt quemadmodum omnipotentiam, ſapientiam, bonitatem diuinam, ex operibus earum cognouimus, ita iuſtitiæ diuinæ ſeueritatem perfectionémque itidem è geſtis illius intelligere debeamus. Horum autem geſtorum primum à primo, fuit punitio Adami peccantis. V.

VI. Adam ergo primus homo, præter, & ſupra naturæ curſum à Deo productus, non infans, ſed perfecta ætate vir, viribus robuſtiſſimus, membrorum proportione formoſiſſimus, ingenio, ſolertia, ſcientijs, & ceteris primi nominis dotibus inſtructiſſimus, totius Mundi dominus; virtute omni, quà naturæ, quà gratiæ eminentiſſimus; in terris longam ætatem beatè, in cælis poſtea, ſine vlla morte beatiſſimè victurus; ſerpentina fraude, vxorijs blanditijs ſeductus, pomum ori admouit lege vetitum. Idque ſemel duntaxat. Et ecce, quid ſit Deum offendere, aut pœnas neglecti Numinis repetere! Vnico illo peccato non tantùm, quaſi de fera comediſſet, oſcitans eſt factus; ſed etiam ſibi, atque toti ſuæ poſteritati vires, incolumitatem, immortalitatem, Paradiſum, gratiam diuinam item, charitatem, ius regni cæleſtis perdidit, & ſummam felicitatem, cum maximis miſerijs commutauit. *Tantæ* ſunt *animis cæleſtibus iræ*, vt *vnius ob noxam*, in limine deficientis, tam grandibus, huius, & futuræ vitæ bonis, & primum maximúmque principem, & innumerabilem hominum multitudinem ſpoliarent, atque in æternum exitium ruere ſinerent.

VII. Quis non caueat peccare? quis non exclamet? *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. Hebr. 10.31.* Ita ab OVO ventum eſt VSQVE

AD

AD MALA, hoc eſt, à ſuggeſtione diaboli & Adami peccato, vſque ad diuini vindicis ſupplicia; à malis autem ſuppliciiſque, & tantæ iuſtitiæ metu, velut pſallio quodam iniecto, rurſum venitur ad bona. Hic in hoc *ouo* orbis eſt. Vel Ethnicus *Seneca in Agam.* dixit: *Miſeris colendos maximè ſuperos reor.* Saltem ergo miſeri colamus, quem offendimus felices: vt vel hoc pacto, qui fuit creando principium, vindicando quodammodo medium, finis autem, & ſumma noſtra ſit remunerando.

Hoc, velut ſtimulo, vt hominis ignauia vrgeretur, multa alia & grauia extant *diuinæ iuſtitiæ* exempla. Nam, vt generis humani, ita & cæleſtis regni Principibus ſemel duntaxat peccantibus non pepercit, *ſed*, vt eſt *2. Petr. 2. inferni rudentibus detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Ac ne quis duos tantùm dicat punitos, in paradiſo, ingens caterua fulminata eſt in cælo; ac poſtea, exceptis pauculis, generali cataclyſmo, vniuerſus orbis cum ſuis incolis deletus eſt. *Gen. 8.* Quod ſi pluuia illa aquea mitiore morte extinxit natantes; poſtea *Gen. 19. Dominus pluit, ſuper Sodomam & Gomorrham, etiam ſulphur & ignem, à Domino de cælo, & ſubuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuerſos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia.* Exinde quas non etiam immiſit plagas Pharaoni & Ægypto? IIX.

Exod. 7. & ſeqq. Quæ non bella, incendia, vaſtationes, fames, peſtes varijs populis? poſtquam menſuram peccatorum ſuorum impleuerunt. Singulas clades recenſere immenſum eſt. Hæc omnia *mala*, *ab ouo* illo prodierunt in homines. Quia tamen, eſſe aliquem ſcelerum vindicem demonſtrant, Deo bona ſunt. Quin fiunt etiam homini bona, ſi ſe, per ſcelerum pœnas, ſinat à ſceleribus abſterreri. Et vel vnica Adami abſterrere queat, cui pænæ & ipſe pænitentiam adiecit, & quidem adeò diuturnam, vt, ob funeſtum illum morſum, omnem reliquam vitam, quæ ad nongentos extenſa eſt annos, gemens ac plorans traduxerit. Tantum mali fuit in vno malo.

I nunc, Peccator, cum crimine crimina confer;
Et, quæ ſufficiat iam tibi pœna, vide.

Parvi,

Digitized by Google

Parvi, & quodammodo etiam Magni
Mundi corrupti figura Oualis.

EMBLEMA VIII.

TANTVM PONDVS INEST PECCATO.



SAnchoniathon Tyrius,antiquiſſimus Phœ- I.
niciæ Scriptor, Mundum *ouo* (ſicut nos *ſo-
lem ellipticum*) putabat ſimilem: alij turbi-
nis figuram habere docebant; verior Philoſo-
phia eſt,in globi eum ſpeciem eſſe rotundatū, ſi
corpus, &naturam ſpectemus.De moribus verò
ſi æſtimandus ſit, meritò nunc ita loquitur:

Prima figura fuit longè perfectior: eheu
Orbem non Orbem me graue fecit onus!
Antè rotundus eram, nunc ſum depreſſus in ouum.

Cri-

Criminis hoc opus eſt, Numinis illud erat.
Et tamẽ exoſum eſt Numen mihi, crimẽ amatur:
Exoſum, ô, crimen ſit mihi, Numen amem!
Tunc iterum perfectus ego, teres, atq; rotundus,
More pilæ, recto tramite, ad aſtra ferar.

II. Nam ſeu *paruum*, ſeu *magnum Mundum*, in *ouo*, intelligas, vterque peccati pondere preſſus ſubſedit. De homine, ſeu *paruo Mundo* Eccleſiaſtes *c. 7. 30.* ait. *Hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus.* Rectus itaq; erat juſtitia originali animus; rectus diuino ac naturali lumine intellectus; rectus omni virtutum genere affectus, & voluntas. Talem hominem Deus fecit, formoſiſſimum, fortunatiſſimum, &, quàm potuit in terris, beatiſſimum; vno verbo, totum rotundum, & ſphæræ inſtar, perfectiſſimum, quoquo item verſus rectum, vt *pro pila eo vti liceret*, qua Deus *luderet, in orbe terrarum.* Cui etiam ſimilis erat *magnus Mundus.* Nam, teſte Plutarcho de Placitis, ac Lactantio *l. 3. diu Inſt. c. 13.* Philoſophi quoq; *rotundum eſſe Mundum, ſicut pilam, & ipſam terram globo ſimilem*, dixerunt. Talis & homo erat.

III. At vide, quid poſſit peccatum! jam hominum generi canitur, *ô curuæ in terris animæ, & cæleſtium inanes! Perſ. Sat. 2. Incuruati ſunt colles mundi Hab. 3. 6.* ſcilicet quando creaturę homini

mini dicere auſæ ſunt, *incuruare, vt tranſeamus Iſa. 51. 23.* & animum priùs ab omni mala ſeruitute liberũ ſub juga ahenea, ſæuo cum joco, mittamus. TANTVM PONDVS INEST PECCATO, non ſolùm corpus, ſed ipſam quoque hominis animam incuruauit, ſauciauit, ſubiugam fecit; incorruptibilem, vitijs corrupit; ſerenam affectibus perturbauit. Hinc curarum ſpinæ ſunt ſubnatę, hinc deſiderijs cruciantibus ęſtuamus, hinc jugibus fluctuamur ærumnis. Hinc æger eſt animus; immo & anima ægrotat. Qua de cauſſa, *Sana animam meam, quia peccaui tibi*, ait *Pſal. 40.* In quæ *S. Aug. l. de nat. & grat. c. 19. Quid* (inquit contra Pelagium) *ſanatur, ſi nihil eſt vulneratum, nihil ſauciatum, nihil debilitatum, atq; vitiatum?* Vide *Concil. Arauſic. can. 1. & Trid. Seſſ. 6. c. 1. S. Ambroſ. l. 7. in Luc. 10. ſuper parabola hominis ex Hieruſalem deſcendentis in Hiercho, & in latrones incidentis.* Proſperi *l. 1. de Vocat. Gentium c. 7.* verba ſunt, *omnes homines in primo homine, ſine vitio conditi ſumus, & omnes natura noſtra incolumitatem eiuſdem hominis praeuaricatione, perdidimus. Inde tracta mortalitas, inde multiplex corporis animiq; corruptio.*

Adde, & ipſius etiam quodammodo *Mundi magni*. Nam inde mortalia quæuis in ſe ruere; inde ſpinæ pungere; inde fruges tellus inarata non ferre; inde nubes tonare; inde cælum IV.

in

Numinis circinus, curuum aliquid minimeque rotundum, in nobis, producat, & sæpius *ouum*, quàm globum, efficiat, non tribuendum eſt circino diuino, ſed animo humano, per vitium curuato. Rectus eſſet Mundus, ſi nos recti manſiſſemus.

Mundus

Digitized by Google

Mundus in captendulæ ouum, peccato, factus.

EMBLEMA IX.

DECIPIT, QVOD ALLICIT.



E Muſtelarum genere pretioſæ pellis fera 1.
eſt, *martem* vocat Martial. *l. 10. Epigr.*
quæ, quantumuis callida, capitur tamen
ouo, vel ante, vel in captendula, expoſito; ſicut
piſcis hamo eſca veſtito: immo ſicut & *ouo* piſcis.
Nam dimidio *ouo* conſtringi cammarum
piſcem vel Iuuenalis, docet, qui illecebram illam
exiguam feralis canæpatellam vocat. *Ovum*
vidimus eſſe Mundum & creaturas; his paſci
homo, propter quem conditæ ſunt, & ad Deum
cognoſcendum, amandum, colendum, rapi, ſic-

Digitized by Google

VI. Adam ergo primus homo, præter, & ſupra naturæ curſum à Deo productus, non infans, ſed perfecta ætate vir, viribus robuſtiſſimus, membrorum proportione formoſiſſimus, ingenio, ſolertia, ſcientijs, & ceteris primi nominis dotibus inſtructiſſimus, totius Mundi dominus; virtute omni, quà naturæ, quà gratiæ eminentiſſimus; in terris longam ætatem beatè, in cælis poſtea, ſine vlla morte beatiſſimè victurus; ſerpentina fraude, vxorijs blanditijs ſeductus, pomum ori admouit lege vetitum. Idque ſemel duntaxat. Et ecce, quid ſit Deum offendere, aut pœnas neglecti Numinis repetere! Vnico illo peccato non tantùm, quaſi de fera comediſſet, oſcitans eſt factus; ſed etiam ſibi, atque toti ſuæ poſteritati vires, incolumitatem, immortalitatem, Paradiſum, gratiam diuinam item, charitatem, ius regni cæleſtis perdidit, & ſummam felicitatem, cum maximis miſerijs commutauit. *Tantæ* ſunt *animis cæleſtibus iræ*, vt *vnius ob noxam*, in limine deficientis, tam grandibus, huius, & futuræ vitæ bonis, & primum maximúmque principem, & innumerabilem hominum multitudinem ſpoliarent, atque in æternum exitium ruere ſinerent.

VII. Quis non caueat peccare? quis non exclamet? *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. Hebr. 10. 31.* Ita ab OVO ventum eſt VSQVE

AD

AD MALA, hoc eſt, à ſuggeſtione diaboli & Adami peccato, vſque ad diuini vindicis ſupplicia; à malis autem ſuppliciiſque, & tantæ iuſtitiæ metu, velut pſallio quodam iniecto, rurſum venitur ad bona. Hic in hoc *ouo* orbis eſt. Vel Ethnicus *Seneca in Agam.* dixit: *Miſeris colendos maximè ſuperos reor.* Saltem ergo miſeri colamus, quem offendimus felices: vt vel hoc pacto, qui fuit creando principium, vindicando quodammodo medium, finis autem, & ſumma noſtra ſit remunerando.

Hoc, velut ſtimulo, vt hominis ignauia vrgeretur, multa alia & grauia extant *diuinæ iuſtitiæ* exempla. Nam, vt generis humani, ita & cæleſtis regni Principibus ſemel duntaxat peccantibus non pepercit, *ſed*, vt eſt *2. Petr. 2. inferni rudentibus detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Ac ne quis duos tantùm dicat punitos, in paradiſo, ingens caterua fulminata eſt in cælo; ac poſtea, exceptis pauculis, generali cataclyſmo, vniuerſus orbis cum ſuis incolis deletus eſt. *Gen. 8.* Quod ſi pluuia illa aquea mitiore morte extinxit natantes; poſtea *Gen. 19. Dominus pluit, ſuper Sodomam & Gomorrham, etiam ſulphur & ignem, à Domino de cælo, & ſubuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuerſos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia.* Exinde quas non etiam immiſit plagas Pharaoni & Ægypto? IIX.

Digitized by Google

Exod. 7. *& ſeqq.* Quæ non bella, incendia, vaſtationes, fames, peſtes varijs populis? poſtquam menſuram peccatorum ſuorum impleuerunt. Singulas clades recenſere immenſum eſt. Hæc omnia *mala*, *ab ouo* illo prodierunt in homines. Quia tamen, eſſe aliquem ſcelerum vindicem demonſtrant, Deo bona ſunt. Quin fiunt etiam homini bona, ſi ſe, per ſcelerum pœnas, ſinat à ſceleribus abſterreri. Et vel vnica Adami abſterrere queat, cui pænæ & ipſe pænitentiam adiecit, & quidem adeò diuturnam, vt, ob funeſtum illum morſum, omnem reliquam vitam, quæ ad nongentos extenſa eſt annos, gemens ac plorans traduxerit. Tantum mali fuit in vno malo.

I nunc, Peccator, cum crimine crimina confer;
Et, quæ ſufficiat iam tibi pœna, vide.

Parvi,

Digitized by Google

Parvi, & quodammodo etiam Magni Mundi corrupti figura Oualis.

EMBLEMA VIII.

TANTVM PONDVS INEST PECCATO.



SAnchoniathon Tyrius, antiquiſſimus Phœnicię Scriptor, Mundum *ouo* (ſicut nos *ſolem ellipticum*) putabat ſimilem: alij turbinis figuram habere docebant; verior Philoſophia eſt, in globi eum ſpeciem eſſe rotundatũ, ſi corpus, & naturam ſpectemus. De moribus verò ſi æſtimandus ſit, meritò nunc ita loquitur: 1.

Prima figura fuit longè perfectior: eheu
Orbem non Orbem me graue fecit onus!
Antè rotundus eram, nunc ſum depreſſus in ouum.

Criminis hoc opus eſt, Numinis illud erat.
Et tamẽ exoſum eſt Numen mihi, crimẽ amatur:
Exoſum, ô, crimen ſit mihi, Numen amem!
Tunc iterum perfectus ego, teres, atq; rotundus,
More pilæ, recto tramite, ad aſtra ferar.

II. Nam ſeu *paruum*, ſeu *magnum Mundum*, in *ouo*, intelligas, vterque peccati pondere preſſus ſubſedit. De homine, ſeu *paruo Mundo* Eccleſiaſtes *c. 7. 30.* ait. *Hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus.* Rectus itaq; erat juſtitia originali animus; rectus diuino ac naturali lumine intellectus; rectus omni virtutum genere affectus, & voluntas. Talem hominem Deus fecit, formoſiſſimum, fortunatiſſimum, & quàm potuit in terris, beatiſſimum; vno verbo, totum rotundum, & ſphæræ inſtar, perfectiſſimum, quoquo item verſus rectum, vt *pro pila eo vti liceret*, qua Deus *luderet, in orbe terrarum.* Cui etiam ſimilis erat *magnus Mundus.* Nam, teſte Plutarcho de Placitis, ac Lactantio *l. 3. diu Inſt. c. 13.* Philoſophi quoq; *rotundum eſſe Mundum, ſicut pilam, & ipſam terram globo ſimilem,* dixerunt. Talis & homo erat.

III. At vide, quid poſſit peccatum! jam hominum generi canitur, *ô curuæ in terris animæ, & cæleſtium inanes! Perſ. Sat. 2. Incuruati ſunt colles mundi Hab. 3. 6.* ſcilicet quando creaturę homini

mini dicere auſæ ſunt, *incuruare, vt tranſeamus Iſa. 51. 23.* & animum priùs ab omni mala ſeruitute liberũ ſub juga ahenea, ſæuo cum joco, mittamus. TANTVM PONDVS INEST PECCATO, non ſolùm corpus, ſed ipſam quoque hominis animam incuruauit, ſauciauit, ſubiugam fecit; incorruptibilem, vitijs corrupit; ſerenam affectibus perturbauit. Hinc curarum ſpinæ ſunt ſubnatę, hinc deſiderijs cruciantibus ęſtuamus, hinc jugibus fluctuamur ærumnis. Hinc æger eſt animus; immo & anima ægrotat. Qua de cauſſa, *Sana animam meam, quia peccaui tibi*, ait *Pſal. 40.* In quæ *S. Aug. l. de nat. & grat. c. 19. Quid* (inquit contra Pelagium) *ſanatur, ſi nihil eſt vulneratum, nihil ſauciatum, nihil debilitatum, atq; vitiatum?* Vide *Concil. Arauſic. can. 1. & Trid. Seſſ. 6. c. 1. S. Ambroſ. l. 7. in Luc. 10. ſuper parabola hominis ex Hieruſalem deſcendentis in Hiercho, & in latrones incidentis.* Proſperi *l. 1. de Vocat. Gentium c. 7.* verba ſunt, *omnes homines in primo homine, ſine vitio conditi ſumus, & omnes naturæ noſtræ incolumitatem eiuſdem hominis præuaricatione, perdidimus. Inde tracta mortalitas, inde multiplex corporis animiq; corruptio.*

Adde, & ipſius etiam quodammodo *Mundi magni.* Nam inde mortalia quæuis in ſe ruere; inde ſpinæ pungere; inde fruges tellus inarata non ferre; inde nubes tonare; inde cælum IV.

in homines fulminare; inde ſæuire leones; effe-
rari belluæ; nocere conuiuia, & nullæ non res
morbos morteſq; minitari cæperunt. *Quia ergo
in cunctis deliquimus*, ait *S. Greg. hom. 35. in E-
uang. in cunctis ferimur, vt impleatur, quod dici-
tur* (Sap. 5. 21.) *Et pugnabit pro eo orbis terrarũ
contra inſenſatos.* Ed idem *lib 6. Moral. c. 5. Or-
bis*, inquit, *terrarum cum Domino, contra inſenſa-
tos pugnat, quandò in pœna delinquentium etiam e-
lementorum aduerſitas militat.* Cui lectum, vel
auditum non eſt illud *Iudic. 5. 20. De cælo dimi-
catum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine, &
curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt?* Hinc
tempeſtates. hinc procellæ. hinc peſtes. hinc
veri Paniciq; metus hinc, in *magno paruoq́; Mun-
do*, omnia ſuſq;, deq; vertuntur. Quæ ab initio
ſic non fuêre.

V. Opera ſiquidem Dei perfecta ſunt. Quare
etiam in Adamo nondum peccatore non fuit
iſta motuum perturbatio, repugnantia, & ad
malum inclinatio, quam (prô dolor) nunc ex-
perimur. Vitio ergo hominis, natura hominis,
& Vniuerſi eſt vitiata, non culpâ auctoris: quam
aliter ab initio inſtitui debuiſſe vel Philoſophi
agnouerunt, cum ob tot incommoda, quæ in ſe
experiebantur, Naturam, tanquam nouercam
incuſarent, teſte *Lactantio l. de opific. Dei c. 3.*
Sed rectè *S. Auguſtin. lib. 1. de nat. & grat. c. 1.
& 3.*

Digitized by Google

& 3. oſtendit, non naturam (quæ vt ſupra docuimus, ab initio non fuit ſic conſtituta) ſed naturæ corruptorem fuiſſe accuſandum; cum etiam Saluſtius *initio belli Iugurthini* dicat: *Falsò queritur de natura ſua genus humanum*. Quare meritò, cum eodem Auguſtino *Serm*. 11. *de verbis Apoſt*. dicimus: *Creatus eſt homo in natura ſine culpa: creatus eſt rectus, non ſe fecit rectum. Quid autem fecerit notum eſt: cadens â manu figuli fractus eſt*.

Tam rectum opus curuari, tam pulchrum frangi permiſit Deus, ob peccatum, opus, quo, poſt Angelos, preciosius non produxit: ita monſtrum hoc deteſtatur. Et nos adhuc amamus? aut naturam accuſamus, quaſi illius imbecillitate, & non noſtra voluntate incuruati ſimus? Oſtendit *Cardan. l. 13. de rer. var. c. 63*. communi circino, non rotundum circulum, ſed *oualem figuram* deſcribi in cylindro, aut columna rotunda; idq; non fieri, vitio circini, ſed curuitate cylindri, in quo à pede circini linea surſum tendens breuior eſt (quia recta eſt) quàm quæ ad latus tendit, &, ob columnæ rotunditatem, fit longior, *quia* curuior. Atque ita juſto circino, non fit juſtus circulus, ſed *figura oualis*, quæ rei cauſſam ignorantes in admirationem rapit. Pari modo quòd Mundus iſte tanquam VI.

Nu-

Digitized by Google

Numinis circinus, curuum aliquid minimeque rotundum, in nobis, producat, & sæpius *ouum*, quàm globum, efficiat, non tribuendum eſt circino diuino, ſed animo humano, per vitium curuato. Rectus eſſet Mundus, ſi nos recti manſiſſemus.

Digitized by Google

Mundus in captendulæ ouum, peccato, factus.

EMBLEMA IX.

DECIPIT, QVOD ALLICIT.



E Muſtelarum genere pretioſæ pellis fera 1.
eſt, *martem* vocat Martial. *l. 10. Epigr.*
quæ, quantumuis callida, capitur tamen
ouo, vel ante, vel in captendula, expoſito; ſicut
piſcis hamo eſca veſtito: immo ſicut & *ouo* pi-
ſcis. Nam dimidio *ouo* conſtringi cammarum
piſcem vel Iuuenalis, docet, qui illecebram il-
lam *exiguam feralis cænapatellam* vocat. *Ovum*
vidimus eſſe Mundum & creaturas; his paſci
homo, propter quem conditæ ſunt, & ad Deum
cognoſcendum, amandum, colendum, rapi, ſic-

ut potuiſſet, ita debuiſſet. *Quid enim Mundo præſtantius? lauda quam putas ſpeciem, portio à te laudabitur Mundi. Luc. Apul. de dogm. Platonis.* Seruit vir nobilis Principi, ob pulchram domum, vel arcem ſibi ab eo donatam, & quanto plura beneficia accipit, tanto plurima ſtudet promereri. Famelicus Mecœnati, ob victum ſibi ſuppeditatum, quàm non ſe obſtrictum agnoſcit? An non par erat, vt idipſum homo præſtaret Numini, â quo Mundum, & omnia, quæ eo continentur, idcirco accepit, vt donanti gratus eſſe, vel hoc ipſo munere, diſceret?

II. At vſque adeò peccato deſtructus eſt, non modò *paruus*, ſed etiam ipſe *magnus* hîc *Mundus*, vt totus ille diuinæ prouidentiæ ordo, ac ratio gubernandi, quam Deus ex ſe conſtituerat, & Mundo præparauerat, ſint euerſa. Multò enim alia, quàm ſit modò, fuiſſet rerum gubernatio, ſi Adamus culpam nullam commeruiſſet. Vniuerſa ſic adminiſtrata eſſent, vt nulla res homini damnum, nulla triſtitiam, immo neque moleſtiam peperiſſet; neque ad peccatum allexiſſet. Omnia illi obſecundaſſent, omnia voluptatem, ac opem ſalutis adipiſcendæ attuliſſent. Quæcumque optâſſet, velut diuina virgula, conſecutus eſſet. Permulſiſſet roſa, non pupugiſſet ſpina; refrigerâſſet aura, non vſſiſſet frigus, aut æſtus: non fames, non ſitis; non morbus,

Digitized by Google

bus, non ſenectus; non copia, non inopia afflixiſſet: non dolores, non curæ, non inuidiæ, non inimicitiæ ſomnos turbâſſent. Vniuerſa hæc impedita fuiſſent, per eam, quam Conditor inſtruxerat, prouidentiæ rationem. Omnia virtuti ſeruijſſent, nihil ad impatientiam, nihil ad auaritiam, nihil ad libidinem, nihil ad crudelitatem ſolicitaſſet.

At tanta eſt peccati, in diuinis oculis imma- III.
nitas, vt iuſtiſſimus rerum Arbiter, ob eam, ſuſtulerit hanc tantam prouidentiæ ſuæ ſuauitatem, reſque omnes ſuis motibus ferri, atque in hominem Dei inimicum, velut facto agmine, vndique interiùs, exteriúſque, inſurgere, graſſari, ſæuire permiſerit. Hac ergo iam prouidentia, velut compede, aut fibula remota, Homerica illa Ate cœpit in orbe terrarum dominari, hominéſque innumeris & corporis, & animæ malis implicare; vt iam vbique ſcopuli, & omnia poſſint obeſſe incautis, quæ ante profuerunt. *Ignis, grando, fames & mors, omnia hæc ad vindictam creata ſunt: beſtiarum dentes, & ſcorpij, & ſerpentes, & romphæa vindicans in exterminium impios. Eccli. 39. 35.*

Quid multa? Poſtquam Mundus peccato IV.
eſt contaminatus, *creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium. Sap. 14. 11.*

Permittit enim iuſtiſſimè, in pœnam, his Noxis, hominem ſolicitari tentaríque Deus, vt earum occaſione, velut *muſcipula* capi poſſit; ſicut Cæſar vrbem aliquam perduellionis ream, quam antea omni ope defenderat, atque in pace felicitatéque conſeruârat, reuocato milite, proſcriptam, rapinis, cædibus, incendijs, hoſti vaſtandam & diripiendam relinquit.

V. Quanquam ita diuinam vindictam miſericordia temperat, vt etiam, cum iraſcitur, miſericordiæ recordetur. Hinc etiamnum *creaturæ factæ ſunt* tantùm *in muſcipulam inſipientium*. Sapientes alliciuntur, non decipiuntur: fatuos DECIPIT, quidquid ALLICIT. Quare illis de ipſa illecebra victoriam reportantibus, & iſtis, guloſæ *martis* inſtar, ad putiſcens *ouum*, aut repoſitum, & nequam piſcem occurrentibus, *hæc omnia ſanctis in bona, impijs & peccatoribus in mala conuertentur. Eccli. 39. 32.* Vnde rurſus diuinæ prouidentiæ eminentiam agnoſce, in hac ipſa rerum miſeria, te *in manu* conſilij tui, & arbitrij libertate relinquentis, vt virtutem tuam vel probaret, vel excitaret. Itaque *appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit, dabitur illi: quoniam multa ſapientia Dei. Eccli. 15. 17.* Stultitia autem inſignis eſt, in arbitrio habere bonum, & manum

con-

Digitized by Google


conuertere ad malum; longéque maior ſtultitia, & hominis prorſus ſtupidi eſt, in malum guſtatum iterum incidere. *Bis enim*, ait S. Greg. Naz. *in ep. ad Boſphorium, ad eundem lapidem impingere, ſolis ſtultis concedit prouerbium* : & vel vulpes non iterum capitur laqueo, quo ſemel ſe exuit. In mentem eſt, verſus Horatij huc congruere, *lib. 2. ſerm. 7.* dicentis:

Euâſti? credo metues, doctúſque cauebis.
Quæres, quando iterum paueas, iterúmq; perire
Poſſis. ô toties ſeruus. quæ bellua ruptis,
Cum ſemel effugit, reddit ſe praua catenis?

Hominis, ad peccandum, ex ſe pronitas, in oui iactu declarata.

EMBLEMA X.

ARTEM QVI NESCIT, IACVLANDO SÆPIVS ERRAT.



1. TAnta *oui* globiq; diuerſitas eſt, vt in conclaui non admodum à feneſtra diſtantes, longè plura *oua*, cum ipſis feneſtris, fracturi ſint, quàm per reſeratam vnam, rectis lineis, proiecturi; qui tamen globum, vel etiam lapidem, multò remotiùs diſſiti, per eandem feneſtram eſſent ſparſuri dexterrimè, jacturamq; ſine jactura facturi. Cauſſa eſt, ponderis & figuræ in *ouo* inæqualitas, motus lineam per obliqua curuantis. Multùm tamen adiuuat jaculantem,

Digitized by Google

lantem, ſi januam â tergo pandat, vt *ouum* â vento tranſeunte vectum dirigatur. Atque hæc ars eſt magnatum *oua* luſu, non eſu perdentium.

Tale nunc *ouum* eſt homo, & Mundus homini corrupto, ac diuinis donis ſpoliato. Vbiq; ferè; ni cæleſtis aura aſpiret, vel impingit, vel impingitur. Apoſtoli ſcitum eſt: *in multis offendimus omnes. Iac. 3. 2.* Adeò non jam citra Conditoris noſtri ingratias, ſed etiam, cum eiuſdem offenſa, multa perpetramus. Peccati ea gratia eſt. Tametſi enim nuda hominis & ſibi relicta natura, ex ſe plurimis eſſet ſubiecta defectibus & miſerijs; & adeò, vt etiam omnibus rebus ſibi debitis exornata, tamen adhuc à clara Dei viſione, atque æterna beatitudine longiſſimè diſtaret; voluit nihilominus diuina bonitas & miſericordia illam (& propter illam totum iſtum Mundum corporeum) ad bona ſupernaturalia deſtinare. II.

Euexit ergo in Paradiſo eam (ſicut & Angelicam in cælo) ad ſtatum ſupernaturalem, æternorumq; ſuorum bonorũ communionem, qua omnes imperfectiones illæ tollerentur. Cum autem omnis creatura corporea ſit propter hominem; hoc ad ſtatum beatum ſublimato, ipſa quoque vnà erat ſublimata, vt domus habitatoris ſui dignitati conueniret. Sicut & III.

poſt decretorium vltimum diem, omnis creatura innouabitur, & pro ſuo quæq; captu ad incorruptibilem glorioſumq́; ſtatum extolletur, *Rom. 8. 20. 2. Petr. 3. 13.*

IV. Ex hoc ſtatu ſupernaturali excidit homo, & ad ſuam illam nuditatem miſeriaſq́; recidit; ob peccatum, juſtitia originali exutus, ceteriſq́; diuinis virtutibus, ac ſingulari Dei protectione directioneq́;; non autem libertate arbitrij, aut aliqua potentia naturali ſpoliatus. Cum hæ & ſint hominis proprietates, & etiam in Dæmonibus, poſt peccatum, dicantur â S. Dionyſ. *l. de diuin. nom. c. 4.* integræ remaniſſe. Vide S. Thom. *1. p. q. 95. a. 1. Et. 1. 2. q. 85. a. 1.*

V. Quia verò originalis juſtitia gratiaq́; non modò ad ſupernaturales actus facultatem Adamo præſtabant, ſed etiam, vt ſine difficultate & peccato, officium naturale illarum virtutum, quarũ actiones lege naturæ præcipiuntur, exequeretur; ideò ſubductis illis ſupernaturalibus donis, natura hominis, in quatuor potiſſimùm rebus dicitur, plus quàm Chironio vulnere vulnerata; nam *intellectus ignorantiæ, volũtas malitiæ, concupiſcibilis appetitus concupiſcentiæ, iraſcibilis infirmitatis plagam* accepit; ad naturalem ſuam cæcitatem, inclinationeſq́;, ſicut & ad morbos, & mortem, quibus ex ſe erat ſubiecta, miſerè relapſa; tantoq́; miſeriùs, quia jam non tantùm

tùm ſe habet deplorare, vt nudam illis donis, ſed etiam vt nudatam atque ſpoliatam.

Hinc ergo diſſoluta eſt illa harmonia, qua corpus animæ, ſenſus rationi, ratio Deo ſe planè & plenè in ſtatu naturæ integræ ſubijciebat. Hinc tot errores, niſi diuina arte, gratiaq; ſingulari aſpirante, opera noſtra, velut *oua volantia*, dirigantur. Pulchrè D. Fulgentius *l. de Incarn. & gra. Christi c. 19. Ex quo*, inquit, *primus homo naturam ſuam voluntariè vitiauit, atq; oppreſſit infirmitas; niſi diuina gratiæ medicamento præuentum, in vnoquoq; homine ſanetur, atq; iuuetur liberum indeſinenter arbitrium, eſt quidem liberum, non tamen bonum: eſt liberum, non tamen rectum; eſt liberum, non tamen ſanum.* Hinc malorum cenſus accreuit. Sępe jam peccamus, quia ſemel peccauimus: nec finis fuiſſet, nō jam à feneſtra, ſed à janua ipſa cæli identidem aberrandi, ni cælum Chriſtus aperuiſſet, vnde diuini Spiritus Fauonij cæperunt ſpirare, & fugare hominum ſeductores. VI.

Oſtenſum eſt hoc S. Mariæ de Ogniaco, vt in vita eius *l. 2. c. 4.* refert *Iac. de Vitriaco Episc. Aconenſis & Cardinalis*. Nam in D. Virginis Itrenſis templo, cum puer quiſpiam exorciſmis aliiſque Eccleſiæ ritibus precibuſque, ad luſtrales Baptiſmi aquas ſuſcipiendas, pararetur, cōſpexit fugatum malum dæmonem, erroris alioqui VII.

futurum auctorem. Eius verò loco, cum primùm puer ſacro fonte ablutus eſſet, viſendâ ſanè ſpecie diuinum Spiritum, in pueri animam ſubintrantem vidit, magnâ Angelorum cateruâ comitante. Hic ergo Spiritus, dum ſpirat, dumque ſuâ nos gratiâ ornat, momento temporis, ex errante ſeu *ouo*, ſeu oue, rectè volare docet, & rotundos facit, omnibuſq; gemmis precioſiores. Quippe vt *S. Thom. 1.2.q.113.a.9.ad 2.* tradit, vel minimus diuinæ gratiæ gradus, quia ipſius diuinitatis quædam eſt participatio, *diuinæ nos conſortes naturæ* (*2. Pet. 1. 4.*) efficiens, omnibus totius Mundi opibus & gazis longè antecellit. Quare, vt peccatum ſummè noxium, ſummè eſt deteſtandum; ita gratia ſummè neceſſaria & pretioſa, ſummè æſtimanda, quærenda, ſeruanda, augendaq; eſt; natura autem dum peccato fauet, non fouenda, non delicatè habenda, non nimis amanda, ſed frænanda, & mortificanda eſt. Huic enim quantum detrahitur, tantùm ad gratiam additur. Deniq;

Corrigit errantem naturam Gratia: ſed cui
Plus Natura valet? qui nihil ipſe valet.

QVI

Digitized by Google

Ovi, humanâ; hominis, diuinâ arte, erectio.

EMBLEMA XI.

FIERI QVIS POSSE PVTASSET?



IVſti Lipſij Operum ad Criticam ſpectantium Præfatio ad Lectorem hæc habet. *Ita humanū ingenium eſt, facilia putare, quæ iam facta: nec de ſalebris cogitare, vbi via ſtrata. Chriſtophori Columbi dictum & factum appoſitè ijs ingeram, illius, qui nouum orbem retexit primus. Cum enim ea res in magna gloria, & ſimul inuidia eſſet: ita euênit, vt, in conuiuio quopiā, Hiſpani proceres hanc laudem eius delibatum irent, & imminutū. Quippe rem pronam eam fuiſſe, nauigationem ſine diſcrimine, vnum aliquem ex ſe ſe potuiſſe eaſdem illas* 1.

terras

Digitized by Google

terras gentéſque reperire, ſine Itali hominis vllo uſu. Columbus (aderat enim) cum tacitus diu audiſſet, ſurrexit, & velut aliud agens ouum attulit à gallina, in menſa repoſuit. & Heus ſodales, inquit, quis veſtrûm ille ſollers, qui hoc ouum rectum mihi deſtituat, & in caput? Muſſare illi, circumſpicere; negare ad extremum omnes, id fieri. Ille clementer, Immo fiet, inquit: & ſimul ouum leuiter à capite laſum & quaſſatum, depoſuit erectum. Enimuerò hîc riſus & irriſus, pro ſe quiſque, rem facilem nugatoriámque eße, dicere. At tamen ita ille renidens, quis veſtrûm hoc facilè ante me indicem potuit? Talis inuentio mea noui orbis eſt: quem inueniendum nemo, omnes inueniant inuentum. Hæc ille.

II. Nos, quando iam ſemel hominem *ouo* cõtulimus, etiam *lapſum ouo* iacenti cõferamus. Igitur ſicut *ouum* ſua vi, aut naturâ ſe erigere nequit; ita homo ſibi relictus, ſemel in perniciẽ *lapſus*, ſemper iacuiſſet, ſuo pondere & impetu de peccato in peccatum ac tandem in æternum exitium ruens. Invenit Deus artem, qua erigeret, & quidem longè præſtantiorem, quàm qua Columbus *ouum* priùs fregit, quàm erexit. Imo erigendo hominem fractum Deus ſanauit: ſicut & illa ars reperta eſt, qua *ouum* integrum rectũ, & in utrumvis caput deſtitui poſſit, non per iocum & ſales, in ſalino, ſed feriò, ac manu ita agitatum, vt grauiſſimum eius, *vitellus* ſcilicet,

ſub-

Digitized by Google

ſubſidat, libramenti loco. Verùm & iſta ars, licet non peræquè facilis, ac Columbi nugatoria, tamen facilis eſt, & reperta multos habet imitatores, qui *ouum* illæſum, in alterutro cacumine ſiſtant. Audi Puteanum or. 20. *Erectum in plano ſtare ouum, quid ni credas? poſſum collocare. Ita dico poſſum collocare. non vt ille noui orbis inuentor, qui teſtæ caput leuiter in menſam alliſit, & apta imagine obtrectatorum linguas repreſſit: non profectò. nam ille hoc ipſo confeſſus eſt, tam arduo labore antipodes quæri, quàm ouum ſtatui, & fallaci aſtu peregit, quod aliter fieri poſſe deſperârat. quotquot naſcuntur oua, locabo integra & illæſa; haud aliter quàm nucem, glandem, pyrum ſolemus. Experiatur quicunque volet, facile inueniet, quod* ἀδύνατον *exiſtimârit. Etenim tanquam cælum & ſidera amet, ouum erigi ſe patitur, manuiq; ſtatuentis morem gerens, faſtigio innititur, & onere libratum quieſcit.* Ita *ouum* erigere etiam illæſum ars potuit.

At hominem erigere nemo potuit, nemo III. poteſt, etiam poſtquam erigi vidit, præter Deũ. Tanta enim erat naturæ noſtræ ad caſum procliuitas, tantus impetus, vt à nemine, niſi ſolo Deo, poſſet ſiſti ac inhiberi; tantum denique erat ipſum malum, támque non ſolùm inolitum, ſed etiam atrox, adeóque magna cum iniuria in infinitam illam Maieſtatem coniunctum, vt

nul-

nullis Angelorum hominúmque etiam ſanctiſſimorum operibus, quantumuis præſtantiſſimis, æquiualens ſatisfactio divinæ juſtitiæ poſſet exhiberi. Quiſquis hîc mortalium Podalirius, quiſquis Æſculapius eſſe voluiſſet, aut manũ admovere; *Aceſias medicatus*, audijſſet.

IV. Poſtquam ergo, neq; in cælo, neq; in terris, ullum ingenium, aut vires erant, quibus è tam multiplici miſeria; rurſum ad ſupernaturalem ſtatum erigeremur, & pulſis tot malis, amiſſa bona recuperaremus, Deus cuius miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus theſaurus, intimis viſceribus commotus, inauditum, admirabile, ineffabile, ſuperis, inferisque obſtupeſcendum adinvenit conſilium, vt *Verbum* illud divinum immortale; ab æterno natum; in tempore noſtram naturam & mortalitatem indueret, in qua, & per quam nos lapſos erigeret, corruptos reſtauraret. In quo facto, & ſummus iuſtitiæ rigor, & infinitæ miſericordiæ fons perennis fuit nobis patefactus; vt timere pariter Numen, & amare diſceremus. Iuſtitiæ quidem rigor, qui divinam perſonam exegit, à qua ſola offenſio in infinitum Deum commiſſa, ad æqualitatem, poſſet compenſari; & fons quidam perennis atque inexhauſtus conſtitui, quo etiam futura peccata, in quæ humana fragilitas erat lapſura, ſufficieentr poſſent emaculari.

Tanta

Tanta molis erat, humanum genus à ſupplicijs peccato, in ſummo tribunali, debitis liberare. Et tamen cum hac tantæ juſtitiæ ſeueritate, non minorem Deus conjunxit benignitatem, quando *proprio ſuo filio non pepercit*, qui, vt Deus, infinitum operi ſuo inderet valorem, ad hæc omnia non ſufficientem modò, ſed etiam abundantem; vt homo autem, & ſatisfacere, & mereri, & exemplum homini dare poſſet. Aptiſſimè ergo, & artificioſiſſimè hominem Deus homo, *oui* inſtar, erexit, & reparauit: modò nos erecti ſtare, quàm relabi, ac integritatem perdere malimus. Itaque *qui ſtat, videat ne cadat. 1. Cor. 10. 12*. Proniſſima ſunt ad caſum *oua*, quæ in caput eriguntur. Et qui altiùs ſtat, grauiùs cadit, ſi exiſtimat, ſufficere erectum eſſe. Quanquam & illud dignum eſt conſideratione, quis te erexerit, aut qua arte. V.

Et moribus contrarijs, & artibus
Mundus Deusq; militant.
Quæcunq; clemens lapſa Numen erigit,
Cum fracta ſunt, redintegrat.
Ergo Columbos quid, ſuperbi, quæritis?
ERIGERE MVNDI, EST FRANGERE.

Chri-

Chriſtus ouum, & auis ex ouo.

EMBLEMA XII.

NVLLA AVIS, ET NVLLVM PRÆSTANTIVS EXTITIT OVVM.



1. SVauiſſima & naturę conuenientiſſima prouidentia eſt, vt res pleræque, per ea, quæ ſui ſunt generis, gubernentur. Inter cæleſtes ſpiritus Angelus ſuperior inſtruit, & illuminat inferiorem. Inter cæleſtes orbes, à ſumo reliqui cientur. Inter animalia apes regem, grues ducem habent. Conuententiſſimum igitur erat, vt etiam homines ab homine regerentur & erigerentur. Ergo propter hominem, Deus factus eſt homo. Si homo, ergo & *ouum*, cum homo ſit *ouum*. Certè *paſſibilis*, *Act. 26. 23. Et habitu inuentus*

uentus eſt, vt homo. Phil. 2. 7. poſtquam ſe exinaniuit Deus.

Quid ſi quædam *oua* de gallina etiam virgine ſunt edita, illa, inquam, quæ *Zephyria*, quaſi de ſpiritu ventóque nata, apellantur? An non ſymbolum aliquod præ ſe ferunt Chriſti de Spiritu S. concepti, natíque ex Maria Virgine? II.

Aut ſi fortaſſe *ouum* non dicendus eſt Chriſtus, profectò auis eſt ex *ouo*. Sunt enim, qui *ouum* petendum à Patre affirment, dici poſſe B. Virginem Mariam, intra cuius vterum, formata ſit auis Chriſtus fouente ſpiritu ſancto. *Euc. ſer. 8. Rup. 7. S. Matth. & Hieronym. Lauretus in Sylua Allegoriarum verb. ouum.* Hoc proprium eſſe huius diuinæ perſonæ, intelligimus etiam ex illo *Gen. 1. 2. Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Nam, pro *ferebatur*, Hebraicè eſt *merachephet*, quod, teſte S. Baſilio, Diodoro, & Hieronymo *in q. Hebraic. in Geneſin*, eſt volucrum, dum ſuper *oua*, & pullos quaſi pendulæ leniter, agitatione alarum, ſe librant, motitant, volitántque, ac ijs deinde incubant, calorem aſpirant, fouent, animant. Ita ſuperuectabatur aquis Spiritus S. non loco, aut motu, ſed omnia præcellente potentia, qua aquis quaſi incubabat, vim eis prolificam indens, vt reptilia, volatilia, piſces, germina, immo cæli omnes ex aquis producerentur. Quem Spiritum ab Hebræis, vt III.

Digitized by Google

exiſtimo, eruditus Plato, animam Mundi vocauit. Et Virgil. *6. Æn.*

Spiritus intus alit, totámq; infuſa per artus,
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

IV. Inter omnia illa autem, quæ Spiritus S. produxit, nobiliſſimum fuit corpus humanum Chriſti. Nec ambigi poteſt, num Chriſtus ſit auis, quem SS. PP. nunc *Pelicano*, nunc *Phœnici*, nunc *Aquilæ*; ipſe autem ſe ipſum *gallinæ* comparat. *Matth. 23. 37*. Vt ergo, teſte Sueton. in Galba, & Plin. l. 15. c. 30. *Liuia Druſillæ, cum pacta eſſet Cæſari, gallinam conſpicui candoris, ſedenti aquila ex alto abiecit in gremium illæſam: intrepidéque miranti acceſſit miraculum, quoniam teneret, roſtro laureum ramum onuſtum ſuis baccis*, qui poſtea ramus in triumphos Cæſarum creuit: ita Mariæ Ioſephi matrimonium pactæ, Angelus, velut cæleſtis aquila, Chriſti conceptionem nunciando, immo ipſe S. Spiritus obumbrando, in gremium immiſit *gallinam* illam, *quæ pullos ſub alas congregatos*, ad æternam laurũ, erat conuocatura.

V. Sed hæc de Verbo incarnato prolixiùs infra: hîc de Incarnatione; qua maxima Deum inter atque hominem neceſſitudo coitur. Eâ enim humana natura, ſupra vniuerſam creaturam nobilitata, Filio Dei hypoſtaticè aſtricta, atque ita vnita eſt, vt, ſicut hac vnione Deus ve-

rus

rus homo, verè paſſibilis mortaliſq; factus eſt; ita homo viciſſim verus Deus, verè impaſſibilis immortaliſque efficeretur; ídque per omnipotentiam diuinam. Nam omnipotens virtus Spiritus ſancti vicem virtutis ſeminalis suppleuit, Angelo dicente: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Luc. 1. 35.* Scilicet cæleſtis *columba* fuit, *ouum* tam ſanctum fouere. Quippe vel idcirco S. Spiritus, *ſicut Columba Matth. 3. 16.* & tanquam cæleſtis Zephyrus, immo *ventus vehemens Act. 2. 2.* deſcendit. Quia non ſolùm *ouum* fouerat, vt *Columba*, ſed etiam ſignificauit, Virginem diuinum illud *ouum* Chriſtum, ſine viro, concepiſſe. *Oua* enim, vt dixi, Zephyria, & *ſubuentanea*, ſine maſculo, concipiuntur. Quædam ſiquidem aues, teſte etiam S. Baſilio *hom. 6. in Hexam. in aëreas ſubuecta plagas ſolo ventorum hauſtu & afflatu concipiunt oua: quæ quia ex vento ſunt, ideò ſubuentanea nuncupantur.* Ob quæ *oua* bellè Puteanus *orat. 20.* gallinas vocat, *matres, & tamen virgines; innuptas, & tamen puerperas; quibus hoc quoq; natura conceſſit, vt ſine dolore parerent.* Vide *infra embl. 33.*

Et quanquam naturæ lege eiuſmodi *oua* irrita eſſe ſoleant, nihil tamen fæcundius eo *ouo*, quod ſpiritus ille vehemens afflatu ſuo fæcundauit, & cui alis ſuis *obumbrauit*; vt eadem, quæ VI.

gratiâ, etiam Deo plena eſſet, ſimúlque & *ouum*, & *auem* progigneret. Hic verò ſpiritus quia Deus, & omnipotens fuit, non indiguit fotu diuturno, ſed corpus Redemptoris noſtri in inſtanti perfectiſſimè formauit. Quo inſtanti alia multa miracula acciderunt. Nam & anima Chriſti, vbi primùm cœpit eſſe, ſcientijs, virtutibus, lumine gloriæ, gaudijs, omnibus bonis perfectiſſimè eſt inundata: neque tamen hæc animæ gloria in corpus, ſicut gloria Diuinitatis in animam redundauit, vt ſicut nouâ & mirificâ vi gaudium in animâ illâ mæſtitiam & dolores non excluſit, ita & corpus cruciatibus ac morti obnoxium maneret.

VII. Igitur nobilis *Columba*, in nobili *ouo*, nobilem *auem* formauit: immo & *auem* & *ouum*, niſi quòd *oua*, vt non lædant, exeunt, *dum pariuntur, molli putamine, ſed protinus dureſcente, quibuscunque emergunt portionibus Plin. l. 10. c. 52.* Chriſtus autem è Virgine natus eſt, mirabili corporum penetratione; ex vtero illæſo, velut ſolis radius per vitrum tranſiens, non rumpendo, ſed illuminando. Quare ſicut natura mollit *oua*, ne lædant parentem, (in egreſſu refrigeratione, & euaporato humore, qui exiguus eſt, relictâque portione terrena quamprimum duranda) ita diuina potentia Chriſtum, abſque virginalis clauſtri reſeratione, penetrabilitatis

dono

dono inſtruxit,*ouum* tanto præſtantius,quanto miraculoſius: quod adeò & *ouum*, & *auis*, & ex *ouo ouum*, ſine viri opera conceptum, atque Spiritu S. fotum poteſt appoſitè nuncupari: & verò etiam cupientiſſimè credi & appeti, ſi nos integram famem ad *ouum* hoc afferremus.

Sicut attulit, & credidit is, de quo S. Thomas de Aquino *2.2.q.2.a.7.ad 3*. hæc habet. *Inuenitur in hiſtorijs Romanorum, quòd tempore Conſtantini Auguſti, & Helenæ matris eius inuentum fuit quoddam ſepulchrum, in quo iacebat homo auream laminam habens in pectore, in qua ſcriptum erat: Chriſtus naſcetur ex Virgine, & ego credo in eum. O Sol, ſub Helenæ & Conſtantini temporibus iterum me videbis.* Ita non tantùm *notus in Iudæa Deus*, ſed ſubinde etiam, alijs olim reuelatus, creditusſque de Virgine, velut *Zephyrium ouum*, proditurus, voluit noſtram quoque excitare, ad tam nobile *ouum*, orexin: vt tam profundum myſterium eo appetentiùs crederemus, quo clariùs conſtaret, id etiam quoſdam credidiſſe, in Cimmerijs Gentilium tenebris conſtitutos. IIX.

Incarnati Verbi immutabilis æterni-tas ouo ſubindicata.

EMBLEMA XIII.

DVRATA DVRANT.



1. *OVa, Chriſti natalitio die, nata ſeruari exi-
ſtimantur, diéque Aſcenſionis: ſummo enim
frigore denſatus cortex, non permittit vim
aëris craſſari: ſummo calore exhalat celeriter, quod
cauſſa corruptionis eſſe ſolet. Horum dierum alter,
poſt ſolſtitium æſtiuum, alter, hyemale eſt. Indicio,
non eſſe miraculum, quòd neque hoc ſemper contin-
git, neque ex toto: ſed deficiunt, & concutiuntur ob
inane. In omnibus enim his, quæ facilè mutantur,
obſeruant, ſi caſu quippiam diutiùs maneat, tranſ-
feruntque in religionem. Multas enim religio*

ſan-

fautores habet. Hæc *Hieronym. Cardan. De rer. var. lib. 7. c. 39.* rectè & diſputat, & dubitat: facilè enim ſuperſtitio ſubrepit, vti apud multos Germanos magni facientes, ad futuros effectus, ſi comedant illa oua, quæ vulgò dicuntur, die Antlaß Ayr/quaſi *oua*, in Paſchate, caſu nata, juvent, vt ilia non rumpas, in Pentecoſte. Nec enim tempus Paſchæ, ſed benedictio Eccleſiæ *oua* conſecrat, facitque vt ſanctiora, ita ſæpe etiam ſaniora.

Ceterùm de *ouo diuino*, quod natalitio die eſt natum, dubitari nequit, quòd habeat durationem, cum Verbum divinum & ſit æternum, & nullius capax mutationis. Si enim *æternitas eſt interminabilis vita ſimul tota, & perfecta poſſeſſio.* Boët. *l. 5. de conſol. Proſ. 6.* &, vel Tullio teſte *lib. 1. de nat. Deor. fuit quædam ab inifinito tempore æternitas, quam nulla circumſcriptio temporum metiebatur*; profectò ea vel Deo, adeóque etiam Verbo divino ineſt, vel nulli. Quod proinde nec variari poteſt; ſed dum tempora, & omnia ſubipſo variantur, *manet in æternum*: ſiquidem æterna non mutantur, deſinerent enim eſſe æterna, ſi inciperent mutari. Hinc *Auguſtin. Pſal. 101. Conc. 1. Æternitas*, ait, *Dei ſubſtantia eſt, quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil eſt præteritum, quaſi iam non ſit; nihil eſt futurum, quaſi nondum ſit; ſed non eſt ibi, niſi Eſt.* Nulla ei ſubſtantia, II.

nullum accidens poteſt advenire, *apud quem non eſt tranſmutatio. Iac. 1. 17.*

III. Quare cum Verbum divinum etiam humanam naturam ſuſcepit ſuſtentandam, eiúſque inexiſtentiam, loco propriæ, humanæ, &, vt ita dicam, præventæ hypoſtaſeos, terminandam; ſic eam ſuſcepit, vt ipſum nullam pateretur mutationem in ſe, mutata ſola humanitate, quæ ad Verbum fuit tracta. Quod ſanè ſummè eſt admirabile, & incomprehenſibile in hoc myſterio; Deum incipere eſſe hominem, & tamen non incipere mutari. Sed quiſquis infinitatem Verbi credit, facilè etiam credit, eam infinitatem non tantùm in potentia, intellectione, & voluntatis actu, ſed æquè in ratione hypoſtaſeos vim infinitam continere. Quare, ſicut Deus per infinitam potentiam, nova, ſine ſui ipſius novitate creat, & hoc tempore verè eſt creator, ſine vlla ſui mutatione, licet ante mundum conditum creator non fuerit; ſicut item ſine vlla ſui interna variatione futura contingentia, propter ſuæ intellectionis infinitatem intelligit; & eadem immutabili voluntate amat hominem pœnitentem, qua odit, cum feciſſet pœnitenda, ita quæcunque etiam divina hypoſtaſis, ob infinitam vim in ratione hypoſtaſis, poteſt ſe ad quãcumque naturam terminandam, abſque vlla intrinſeca ſui mutatione, extenſione virtuali exten-

tendere. *Sufficit enim illa habitudo virtualis eminentiſſima, quam ratione ſuæ infinitatis habet, ratione cuius non minùs perfectè vnitur, quàm ſi formalem intrinſecam, & nouam habitudinem ad naturam humanam in aſſumptione acquireret. Leon. Leß. lib. 12. de diu. Perf. c. 5.* Vide *Suarez diſp. 13. Met. ſect. 9. Vaſq. in 3. p. diſp. 19. c. 2.*

Certè ſi cera modulo infuſa excipitur, ipſa, non modulus mutatur: ita humanitas Chriſti eleuata, & ad Verbum attracta, modum inexiſtendi acquiſiuit, Verbo nullam mutationem ſubeunte. Hæc de Chriſto, vt Deo, ſic enim *ouũ* hoc non frigore duratur, ſed durat æternitate. Quin & corpus quoque illius, licèt natum ſit, vt denaſceretur, ita tamen ob temperamenti præſtantiam in vita, & poſt vitam, ſeruatum eſt etiam in ſepulchro, vt ibi nulla vi morbi, hîc nulla putredinis contaminaretur. *Non dabis ſanctum tuũ videre corruptionem*, ait, *Pſ. 15, 20.* IV.

Quod ſi ergo homines ſunt, qui *oua*, Natalitio Chriſti die, nata ſeruant, quòd ſeruari exiſtimentur; cur aliquid Chriſto præferunt, ſæpe *ouo* citiùs corrumpendum? Formæ delectant? amittendæ ſunt, vires ſolantur? amittendæ ſunt. Fidis in Principe? amittes Principem. Chriſtum nunquam amittes, qui vt homo, ſemel mortuus, iam non moritur; vt Deus, æternus eſt, amitti non poteſt deſinendo, ſed deſerendo. V.

VI. Filio Mater vt vel miraculo, quà licebat, accederet, & ipſa cum pareret, inviolata permanſit, quia Virgo permanſit. Quod quia multis annis Theologiæ Doctor capere non potuit, Ægidium (vt *in vita eius* refert *Sur. 23. April.*) ſanctitatis fama clarum adiuit, qui de eius adventu, & morbo diuinitus edoctus obuiā proceſſit venienti, & Ægidium nec dum noſcenti, baculóque, quo ſe ſuſtentabat, terram pulſans, Theologum his verbis antevenit: *Frater Prædicator (erat enim ex alumnis S. Dominici) ſanctiſsima Deipara Maria virgo eſt, ante partum, ſtatímque vt hæc dixit, pulcherimum illic exortum eſt lilium. Iterum percuſſa humo repetit; Frater Prædicator, S. Maria virgo eſt in partu, & confeſtim alterum non minoris pulchritudinis exortum eſt lilium. Tertiò bacillo ſolum feriens, Frater, inquit, concionator, S. Maria virgo eſt poſt partum, ſimúlque tertium extitit lilium formoſitatis & candoris admirandi.* His actis dictiſque aufugit Ægidius, & cum eo dubitatio ex animo Theologi. Itaque vtrumq; credendum, & Virginis Filium Deum, & Dei Matrem Virginem eſſe.

Ouum vtrumque durabile; nec diuinitas mutata eſt naſcendo, nec virginitas pariendo.

Duæ

Digitized by Google

Duæ in Chriſto naturæ duobus Ouis portentoſis repræſentatæ.

EMBLEMA XIV.

NATVRAM SVPERANT OVIS, ET LEO CLAVSVS IN OVO.



MEffret non vulgaris quondam Concio- 1.
nator *ſerm. 2. Epiphan. Domini*, hæc verba habet: *Quidam Doctor nomine Germanus dicit, quemlibet ipſorum (Magorum Chriſtum adorantium) ſpeciale ſignum habuiſſe. Refert enim, quòd vnius Regis vxor peperit filium eadem nocte & hora, qua Chriſtus naſcebatur, qui puer ſtatim vt fuit natus, erectus ſtetit, & dixit: Iſta nocte in Iudæa, natus eſt nobis Saluator noſter, & iſte fuit Balthaſar. Alius rex Melchior habuit pomarium*

Digitized by Google

rium pulchrum, in quo creuit Balſamum. Arbores autem Balſami habent quaſdam domunculas, ad modum malogranatorum, in quibus eſt balſamum. Vna igitur nocte domuncula creuit vltra morem ſolitum, quam Rex ſpecialiter cuſtodiebat: nocte verò qua natus eſt Chriſtus, aperta eſt, & viſa eſt in ea columba, quæ volans dixit: Iſta nocte natus eſt Saluator generis humani. Gaſpar tertius Rex habuit ſtruthionem, qui habuit duo OVA, *quæ longo tempore cuſtodiuit magna diligentia. Nocte igitur, qua Chriſtus natus eſt, aperta ſunt, & in vno repertus eſt leo, & in alio ouis. Et audita fuit vox, quòd hac nocte puer natus eſſet, qui eſſet Deus & homo: per leonem Deitatem, & per ouem humanitatem intellexit.*

II. Hac ſeu hiſtoriâ, ſeu potiùs fabulâ, (qualis & illa, de oue in Nicippi paſcuis leonem pariente, apud *Ælian. l. 2. Var. c. 29.*) ad emblema tamen ſatis idoneâ, præcipuus Religionis noſtræ articulus ſignificatur; ſcilicet Chriſtum, &, ob humanæ naturæ imbecillitatem, *ouem* eſſe *occiſionis, Pſ. 43. 14. 12.* atque *ſicut ouem ad occiſionem ductum. Iſa. 53. 6.* &, ob diuinæ naturæ maieſtatem, *leonem* eſſe; immo & quà hominem, ob ſanguinis, & virtutis generoſitatẽ, leonem eſſe *de tribu Iuda. Apoc. 5. 5.* quin ſimul & ouem, & leonem in vno ſuppoſito, vt eò trahi poſſit, *Leo & ouis ſimul morabuntur. Iſa. 7. 21.*

Chri-

Digitized by Google

Chriſtiana enim fides docet, duas eſſe in Chriſto integras, ac omnibus ſuis naturalibus conditionibus perfectas naturas, humanam & diuinam. Quæ duæ naturæ ita in vnam coaluerunt perſonam, vt vnus & idem ſit verus Deus, & verus homo. *Eſt enim fides recta, vt credamus, & confiteamur: quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei Filius, Deus & homo eſt. Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitus: & homo ex ſubſtantia Matris in ſeculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens. Æqualis Patris ſecundùm diuinitatem; minor Patre ſecundùm humanitatem. Qui licet Deus ſit, & homo, non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus. Vnus autem non conuerſione diuinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum. Symb. S. Athanaſ.* Hinc cum in vna hac perſona omnia reperiantur, quæ ſunt Diuinitatis & humanitatis, fit vt omnia, quæ Filio Dei vero Deo conueniunt, conueniant etiam huic homini, & quæ huic homini conueniunt, conueniant Filio Dei, adeóque vero Deo. III.

Igitur ſicut, ob hanc duarum naturarum in vna perſona Vnionem, dicere poſſumus: *Deus factus eſt homo, mortalis; natus eſt ex Virgine, paſſus, crucifixus, mortuus eſt*, &c. ita dicere viciſſim licet: *Hic homo eſt Deus, eſt Filius Dei, eſt ab æterno ex Patre genitus, cuius & ſapientia eſt, &* IV.

Digitized by Google

cum quo principium eſt; Spiritus ſancti procedentis ab vtroque; eſt Mundi Creator, eſt omnipotens, eſt immenſus, æternus, incommutabilis &c. Quid aio? *dicere licet.* immo decet, immo neceſſe eſt; quia hæc eſt vtriuſque naturæ in Chriſto perfecta *idiomatum communicatio*; ob vnam & eandem perſonam in vtraque natura ſubſiſtentem. Hæc neceſſe eſt dicere, quia neceſſe eſt credere. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret; vt omnis, qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Ioh. 3. 16.* quæ vt clara Dei viſione conſtat, ſic obſcuro fidei lumine inchoatur. *Hæc eſt enim vita æterna: Vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Io. 17. 3.*

V. Quia ergo æternùm cupio viuere, iuuat in hac vita ſic credere. *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Marc. 9. 23.* qui etiam miraculo adiuuiſti veritatem tuam. Vt enim *Chron. Regin. l. 1. ad an. 605. & Carol. Sigon. l. 2. de regno Italiæ 681. 5.* recenſent, cum Conſtantinus Conſtantini filius, in vrbe regia, centum quinquaginta Epiſcopos congregaſſet, inter quos etiam fuerunt Romanæ ſedis Legati; iſtíq; omnes in Chriſto, ſicut duas naturas, hoc eſt, Dei & hominis, ita & duas voluntates atque operationes profeſſi, hæreſin damnauiſſent, quæ vnam tantùm operationem & voluntatem in Chriſto ſacri-

crilegè aſſeuerabat, eâdem horâ tot aranearum telæ deciderunt, vt omnes in admirationem raperentur; & Gregorius Patriarcha Conſtantinopolitanus corrigeretur, animaduertens, hæreticorum ſordes diſſipatas eſſe, velut telas aranearum.

Sed quid mirum ad teſtandam geminam Chriſti diuinam ſcilicet ac humanam voluntatem, telas aranearum cecidiſſe; cum, vt nonnulli volunt, Romæ ad Matris eius virginitatem confirmandam, opus firmiſſimum columnarum, & templũ Pacis illud corruerit, quod *æternum* vocabatur. Admirati ſiquidem Romani tam operoſæ molis excellentiam, ex oraculis Deorum quæſiuiſſe dicuntur, quouſque ea ſtructuræ firmitas eſſet duratura? Reſponſum eſſe aiunt: *Donec Virgo pareret*. Quod quia nunquam fieri poſſe putarunt, *Templum æternum* vocauerunt. At ea nocte, qua de Virgine Chriſtus, tanquam *lapis de monte, ſine manibus exciſus*, feliciſſimo partu prodijt, ita confracta eſſe fertur tota illa machina, vt vix apparerent veſtigia ruinarum. Hæc Petro Damiano aſcribuntur à *Lipom. t. 8.* & *Sur. t. 6*. Sed à Baronio, *initio Annalium* ſolidè refutantur. Non igitur pro hiſtoria accipi volumus, ſed hiſtoriæ ſubiunximus, quia haud abſurdum eſt, emblemata fabulis illuſtrari. VI.

Recens auctor in *ouo* oſtenſurus, *diuini amoris* VII

ris vi effectum eſſe, vt Deus ſuam contraheret immenſitatem, ad humanam deſcendens naturam, vt homo conſcenderet ad diuinam; affert quæſtionem celeberrimam, olim Athenis propoſitam: *Quod maximum pariter, & minimum eſſet?* Ad quam vnus reſpondit, viſum id eſſe, vt qui modicæ oculi pupillæ includat ſolis, lunæ, ſtellarum, magnitudines, quarum quælibet ipſo mari & terra ſit maior. Alter dixit, *cor hominis* id eſſe, quod non vnius tantùm Mundi ſit capax, vt in Alexandro apparuit. Tertius contendit, *intellectui humano* id tribuendum eſſe, qui cum omni careat quantitate, omnia tamen complectitur, & quæ ſunt in Mundo, & quæ in mille Mundis ipſe fingere poteſt. Quartus denique aſſeruit, *ouum* ab Oromaceno depictum maximum eſſe pariter & minimum, *quoniam in eo, nec ceteris ouis maiore, vt refert Cal. Rhodiginus, & affert Pierius Valerianus, viginti quatuor Deos Oromacenus incluſiſſet.* Hunc ceteris Auctor iſte exiſtimat palmam præripuiſſe. Si enim verum illorum fuiſſet Numen, plus vtique erat vel vnum, ne dum tot Deos, quàm omnia cetera, vnius *oui* ambitu comprehendiſſe. Quod cum ita ſit, meritò colligit, *Deum carne veſtitum eſſe maximum pariter, & minimum.* Cum enim eſſet immenſus, & tantus, quantus Pater, *non rapinam arbitratus ſe eſſe æqualem Deo,* tamen in die ſuæ

con-

Digitized by Google

conceptionis, in tantam ſe humani corporis paruitatem arctauit, vt meritò *Numen ouo concluſum* dici poſſet. Immo, vt docet *Magiſter ſententiarum l. 3. d. 2.* tempore ſuæ conceptionis, *adeò tenuis erat, & parua* illi *forma, vt vix humano viſui poſſet ſubijci.* Denique etiam adultus grano ſe, & vermiculo comparauit. Tantus ſimul erat, & tantillus, Filius Numinis & Filius hominis. Certè ex Macrobij ſententiâ hominis corpuſculum, eo tempore, quo anima ei infunditur, non eſt maius, quàm apis: at verò Ariſtotelis *lib. 7. de hiſt. animal.* opinione, non maius, quàm formica. Quare ſaltem in hac paruitate incluſa fuit diuina immenſitas. Ceſſet ergò iam veterum Germanorum perſuaſio, qui, teſtè Tacito *l. de morib. German.* nullum Deo templum ædificabant, quòd dicerent, Deo iniuriam fieri, ſi quis parietibus tam anguſtis diuinitatem eius coarctare claudereque vellet: in minore corpore continetur.

Digitized by Google

Chriſti, tanquam gallinæ ova foventis, labor, & ſolicitudo.

EMBLEMA XV.

PASTOR OVI, GALLINA OVO.



I. VErtumnus, Ovidio *l. 14. Metam. formas Deus aptus in omnes*, apud Propertium, ita loquitur *lib. 4. Eleg. 2.*

Opportuna mea eſt cunctis natura figuris,
In quamcunq; voles, verte, decorus ero.

Si profana liceat ſacris conferre, longè id rectiùs de vero Deo dicetur, qui diuino amore tractus, *omnibus omnia factus eſt, vt omnes faceret ſaluos. 1. Cor. 9. 22.* Itaque homo factus, factus *leo de tribu Iuda, vitis, ouis occiſionis*, deniq; factus eſt PASTOR OVI, GALLINA OVO. Si enim pullis,

Digitized by Google

lis, cur non & *ouis*? vt à primis initijs incipiat, ſi quid vult vltimis faſtigijs perficere. Nec tantùm ait *Ioan. 15. Ego ſum Paſtor bonus*, ſed etiã facit, quod Paſtor in oue perdita quærenda, in humeros ſuſcipienda, & ad cœleſtem caulam reportanda. *Marc. 14. 27.* Non talis Admeti Paſtor Apollo; non talis auis quondam Iuppiter impiè in Cygnum, aut Aquilam verſus.

Itaque & in auem mutatus eſt Chriſtus. In qualem? In eam, quam dixi, quæ non tantùm pullos convocat; ſed etiam ouis incubat, & natiuo calore vitam inſpirat. Priùs enim oportet naſci, quod debet perfici. Quare gallina, quæ de vno eſt ſollicita, etiam de altero eſt anxia. Hanc talem curam ſuam Seruator ipſe indicat. *Quoties volui*, ait Luc. *13. 34. congregare filios tuos, quemadmodum auis nidum ſuum ſub pennas, & noluiſti*, *aut expreſſiùs* Matth. *23. 37. Ieruſalem* &c. *quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Ieruſalem enim, & multi inobedientes fœtus nolunt congregari. Scilicet degeneres pulli. II.

Super omnia eſt, ait, *Plin. l. 10. c. 55. anatum ouis ſubditis atque excluſis admiratio, primò non planè agnoſcentis* (gallinæ) *fœtum: mox incertos incubitus ſollicitè conuocantis: poſtremò lamenta circa piſcinæ ſtagna mergentibus ſe pullis, natura* III.

duce. O quanti homines, quaſi nec Chriſtianè quidem educati eſſent, ita viuunt! & ſe in Stygis profundo mergunt! Hos quoties ſeruator monet, vt ſe tollant humo, & ea quæ ſurſum ſunt, quærant? Obſeruare licet, nullum animal gallinâ frequentiùs erigere caput, cælúmque ſpectare. Nempe & Chriſtus tam fixè in cælum ſuſpiciens orabat, vt iter oſtenderet ſalutis. Immo hodieque pullos ſuos quàm ſollicitè conuocat, omnem gallinæ amorem & laborem ſuperans? Nec per Prophetas tantùm, aut Apoſtolos, aut Angelos nos educauit, vocauit, conuocauit; ſed ipſe triginta tribus annis, Oſirim hunc quæſiuit, incredibili labore; à iuuentute ſua, ſæpe fatigatus, ſæpe eſuriens, ſæpe ſitiens, ſub flagrante ſole, in urente frigore; ſæpe pluuijs, ſæpe lachrymis madidus: plurimas terras peragrans, nunc in oppidis, nunc in vicis; nunc in montibus, nunc in campeſtribus, nunc in deſertis, nunc in ciuitatibus; nunc terrâ, nunc mari; per domos, per ſynagogas; per templa, per plateas; publicè, privatim; paucos, multos, ſummos, imos adhortans; claudos, cæcos, ſanos, ægros doctrina cæleſti imbuens. Nec deerant vulturij, qui calumniarentur docentem, & vitæ eius inſidiarentur: nihil ille motus, non deſtitit, non quidquam de cura ſua remiſit, mortem ipſam pro pullis ſuis ſubiturus.

Vnde

Digitized by Google

Vnde verò nos excluſit, & in hanc lucem produxit, vt Deum conditorem noſtrum, eiúſq; miſericordiam, juſtitiam, leges, præmia, ſupplicia, & totam ſalutis viam, & ipſum deniq; Chriſtum agnoſceremus? nimirum è ſpiſſo ignorantiæ ouo, è tenebris, & erroribus, quibus, ante Chriſti aduentum Mundus erat inuolutus adeò, vt vix pauci non ignorarent, quid vera virtus, quid cælum, quid infernus, quid naturæ, quid Dei lex, quid ipſe Deus, quid eius prouidentia, potentia, bonitásve eſſet. Quid multa? impuram Venerem, fraudulentum Mercurium, Martem homicidam, Iovem adulterum, pro Numine, Mundus adorauit, & imitatus eſt. Ex hac caligine nos Chriſtus eduxit, dum velut pullos ſuos ſub alas congregauit; & quia identidem vſq; ad rauim clamauit, *foris prædicans, in plateis dans vocem ſuam, in capite turbarum clamitans.* Prov. 1. verè dicere potuit: *raucæ factæ ſunt fauces meæ.* Pſal. 28. Viderat, cum è cælo proſpiceret, *omnes declinauiſſe*, & alienam matrem ſecutos eſſe; qui cum ſe in ſtagnum perditionis mergerent, & per Prophetas fruſtra reuocarentur, Deus ipſe incarnatus foras prodijt, atq; Stygio miluo pullos eripuit. IV.

Quod futurum his verbis Ieremias dixit cap. 18. *Perdix fouit, quæ non peperit, fecit diuitias, & non in iudicio, in dimidio dierum ſuorum de-* V.

relinquet eas, & in nouiſſimo ſuo erit inſipiens. Nam mediâ Mundi ætate clamitare cæpit Chriſtus. Appoſitè Euſebius Emiſſenus hom. 11. de Paſchate: *Perdix*, inquit, *diabolus pro nequitia vel multarum rerum comparatione perhibetur. Hæc auis quocunq; caſu vel feræ alicuius incurſu priuata fuerit ouis proprys, inſidiatur alienis, & nidi habitatore depulſo, partus invadit extraneos: quos vſque ad ſpem fætuum genitali tempore cum fouerit, parentem eam præda efficit, non natura: interea verus pater vocanti ac lamentanti ſimilis, ſiluas queſtibus replet: tunc adulta iam ſoboles, voce propry genitoris audita, curam queruli clamoris intelligit, atque ita ad originariam ſedem læta pervolat nutrimenti generis ſui conſcia, & adulteri nutritoris oblita. Sic & diabolus humanum genus, quod non creauerat, occupauerat; quod non genuerat, mẽtito patris nomine, poſſidebat. Sed vbi vocem per ſe ipſum pius auctor emiſit, vbi perditis ſalutifera charitas inclamauit, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, ad paternos ſinus confeſtim auidum cucurrit examen.*

VI. Huius ergo vocem, huius vitam & exempla nos quoque ſequamur, ni degeneres pulli *in ſtagnũ ignis & ſulphuris* Apoc. *20. 10.* mergi volumus; ibi ſcilicet, ubi, vt Horat, *2. Car. 14.* canit,

Viſendus ater flumine languido

Cocy-

Cocytus errans, *& Danai genus Infame*, *damnatúſque longi Siſyphus Æolides laboris.* Quanquam tunc non fabula, nimis vera erimus hiſtoria. Quantum tunc erit chaos inter gallinam Cælo lucentẽ, & pullos in Acheronte aſſandos? Quid enim vetat, meliore ſenſu cœleſtem illum *cygnum* eò referre? qui non tam *cygnus* eſt, quàm gallina, à Poëtis, *cygni* nomine, velut laruâ, tecta & infamata, vel vt Ledæ adulterum, alioqui cælo indignum extollerent: vel vt Apollini adularentur, cui auem iſtam muſicam, & carmina meditantem, aut certè in auſpicijs obſeruatam impiè religioſa antiquitas conſecrauit. Etenim Arabes illud ſidus, quod ab Hygino *Cygnus*, ſeu *Olor* indigetatur, *Gallinam* vocauerunt, Græci ὄρνιν, Latini *Auem*. Quia verò ὄρνις Pelaſgâ linguâ, idẽſonat, quod *gallina*, haud abſurdè quis, *gallinam* cœleſtem intelligat, ubi auem cœleſtẽ audit nominari. Cuius verò ſignum illud cœleſtis gallinæ nos aptiùs admoneat, quàm Chriſti, ad cælum multos evocantis; immo omnes; licet non omnes ſequantur vocantem: ſed, velut degeneres, in ſtagnum ſe mergant, magno & incredibili furore. Non enim maior eſt furor, quàm, cum poſſis viuere, velle perire.

Ova & vulnera Pelicani, charitas patientis Chriſti.

EMBLEMA XVI.

SANGVINE VIVE MEO, SANGVIS MEVS.



1. PElicanus Ægyptia auis, onocrotalus à nonnullis exiſtimatus, in ſolitudinibus maximè Nili naſcitur; fertúrque ab alijs quidem roſtro ſibi pectus tundere, ac ſanguinem prolicere, vt eo calido perſperſa *oua* citiùs matureſcant; ab alijs autem, vt vel à ſerpente, (ſic vult S. Hier. *ep. ad Præſidium*) vel ab ipſius parentis roſtro (ſicut refert Remigius & Hugo *in Pſ. 101.*) occiſi in nido pulli rurſus è vulnere parentis reuiuiſcant; ab alijs, vt, vice lactis, ſan-

ſanguinem excipiant ſitientes. Notum ſchema.

Pelicanum ſolitudinis. Pſ. 101. Hugo ibidem, II.
Chriſtum docet vocari, quòd *ſolus* natus ſit de Virgine viro inuia & incognita: itémque quòd tot annis in ſolitudine & vita priuata vixerit. S. Hieronymus & S. Aug. *in eundem. Pſ.* 101. etiam tertiam cauſſam addunt, quòd, more Pelicani Chriſtus, carni, Mundo, & peccato viuentes occidat, eóſque ſanguine ſuo viuificet, alat, corroboret. Petr. Damian. *l. 2. ep. 18.* & alij complures recenſent, Pelicani pullos, mox, vt incipiunt creſcere, inquietos fieri, & vtrumque parentem impugnare, quare viciſſim à parentibus percuti & occidi, ſed tertio die parentum alterum, inſtillato lateris ſui ſanguine, eos ſuſcitare.

Maximus Græcus ſcriptor, *apud Agellium in* III.
Pſ. cit. tradit, Pelicanum inſidias ſerpentis cauentem, nidum in ſublimi loco ponere, ac vndique quàm diligentiſſimè ſepire: ſerpentem verò pullis exitium machinantem, quò accedere dente non poſſit, fraude peruenire. Nam obſeruare ſedulò, vnde ventus ſpiret, inde enim venenum ſufflare, quod ab infecto aëre ad pullos pervehatur, eóſque interficiat. Pelicanum ergo, ait, vbi mortuos deprehendit, nubem ſpectare, in altum volare, alis latera verberare, ſanguinem eijcere, quo per nubes inſtillato pullos perfundat excitétque.

Digitized by Google

IV. Hos pullos interpretatur Adamum & Euam, nidum Paradiſum ſerpentem diabolum, qui inobedientiæ virus inhalârit, & primos homines peccato occiderit; quos Chriſtus, immenſa in nos charitate cruce exaltatus, percuſſo latere, quaſi per corporis ſui nubem, ad vitam reuocârit; & cum illis nos omnes.

V. Quanquam autem de Pelicano varios varia, nec pro certo, recenſere, videam, tamen præ omni auium genere, eum Epiphanius *Ad Phyſiol. c. 8.* *φιλότεκνον amantem prolis* appellat, eúmque plerique SS. Patrum Chriſto conferunt. Siue igitur *oua*, ſiue pullos ſanguine animat, ſiue vtrumque facit, omnia hæc in Chriſtum quadrant.

VI. Horat. *Epod. 5. 4. vncta oua ſanguine*, ait: & poſt Ariſtot. *l. 3. de gen. anim. c. 1. & l. 6. hiſt. c. 2.* Plinius *l. 10. c. 53.* hæc habet: *Omnibus ouis medio vitelli parua ineſt velut ſanguinea gutta, quod eſſe cor auium exiſtimant, primum in omni corpore id gigni opinantes: in ouo certè gutta ſalit, palpitátque.*

VII. Hominem omnem eſſe *ouum*, vidimus; hoc *ouum* ſanguine Chriſti eſt aſperſum: inde color illi, inde vires, inde vita, inde ablutio peccati, inde ſacramenta. Hoc ſanguine redemti, & velut purpurâ decorati ſumus.

IIX. Quid quòd *oua* Paſchalia, cum varijs colori-

bus

bus imbuantur, maximè tamen *rubra* & peti, & donari ſoleant; nempe vt aurem vellant, & in memoriam reuocent, nos tanquam *precio magno emtos*; *glorificare Deum*, & *in corpore noſtro portare* oportere *1. Cor. 6.* útque appareat, nos *ſtolam* noſtram *in ſanguine Agni lauiſſe. Apoc. 22. 14.*

Aut fortè etiam oua rubra non ſolùm colore ſanguinem, ſed etiam figurâ, & magnitudine vulnera Chriſti ſignificant. Qui enim menſuram lanceæ & vulneris Chriſti vidit, facilè ſibi ſinet perſuaderi, & figuram, & magnitudinem plagæ lateri inflictæ, *ouo* non fuiſſe imparem, cum tam magna fuerit, vt S. Thomas manum ſuam in eam potuerit imponere. *Nec* enim tantùm ille, Io. *20. 25.* dixit, *niſi mittam manum meam in latus eius, non credam*; ſed etiam ipſe Chriſtus: *affer manum tuam, & mitte in latus meum*; vt quodammodo palpes manibus, quàm mihi cordi fuerit homo, & totus Mundus; cuius imaginem, in ouali vulneris figura, pectori meo inſcriptam volui mecum, etiam à Reſurrectione mea circumferre. IX.

Had. Iun. *cap. 7. 1.* refert, Franciſcum Alumnum, in denariolo, ſine notis, perſcripſiſſe ſymbolum Apoſtolorum, & principium Euangelij D. Ioannis: item ſe vidiſſe, ceraſi nucleum in modum quaſilli exſculptum, quo continerentur X.

tur

tur quindecim paria teſſerarum, ſuis punctis affabrè diſtincta. *In nuce incluſam Iliada Homeri, carmen in membrana ſcriptum tradidit Cicero*, inquit Plin. *l.7.c.21.* In laterali Seruatoris plaga D. Thomas, & ſymbolum Apoſtolorum, & totum S. Ioannis Euangelium inuenit, hinc è dubio certus, ex incredulo fidelis factus, poſtquam Euangelicam veritatem etiam palpauit, in illam ardentiſſimæ fidei vocem effuſus dixit: *Dominus meus, & Deus meus!* Quare & ſalutis teſſeram, & omnia in eo vulnere inuenit. Quid multa? *ouum* inuenit, in quo & *paruus*, & *magnus Mundus* continebatur, & adeò cælum ipſum, cum terrâ. Deſinat ergo mirari priſca ætas, in nuce Iliadem, cum iam oſtendere poſſimus, *ouũ* in latere, in *ouo vniuerſum*. Ex quibus rebus de ipſa plagæ menſura licet rationem inire.

XI. Tantum vulnus amoris in pectore ſuo geſſit diuinus Pelicanus, vt nos quoque vulnere & amore ſuo ſauciaret; immo vt, à ſerpente ſaucios & occiſos, ad vitam reuocaret. Quàm meritò igitur, ſi cum pullis non reuiuiſcimus, cum ouis erubeſcimus? Enimuerò ſi nos ea *oua* eſſe nolumus, quæ ſanguine Chriſti incaleſcant; Chriſtus vult eſſe *ouum*, quod nobis ſanguinem ſiſtat, & vulnera noſtra in ſanum coire faciat. Scribunt enim medicinarum periti, detractam ſiue *crudo*, ſiue *cocto ouo membranam*, *labiorum*

fiſſu-

fiſſuris mederi; immo & tibiarum vulnera, quæ curatu difficilia ſunt, remediiſque exaſperantur, conſolidare. Nempe & noſtri pedes, quibus ad cælum eundũ erat, feralibus plagis fuêre ſauciati; & labia rimis ac fiſſuris plena, mendacia, blaſphemias, atque iniquitatem, velut ſaniem loquentia, cruore fluebant. Igitur oui huius membrana coaluerunt. Nam Chriſto ſanguinem nobis aſpergente, aliter & loqui, & ambulare cæpimus; vt mox apparuit in Cleopha eiúſque ſocio, qui poſt mortem Chriſti euntes in Emmaus *loquebantur ad inuicem de his omnibus, quæ acciderant. Luc. 24. 14.* Antea fortaſſe loquebantur, & ambulabant aliter, cum diſputarent: *Quis eorum maior eſſet? Luc. 9. 46.* Apparuit item in D. Thoma, qui *ouo* hoc manibus nondum contrectato; dixit: *Niſi videro in manibus eius fixuram, clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.*

Poſtquam miſit, credidit.

Obe-

Obedientiæ Chriſti, in ovo expreſſæ, meritum.

EMBLEMA XVII.

MOLLE QVOD EST, CEDIT; FRANGVNTVR DVRA.



1. NAturam ars imitatur. Per naturam *oua oſtracoderma ſunt putamine inteƈta teſtaceo; malacoderma, quæ molli obducuntur cute*; ait Cæl. Rhodiginus. Per artem verò *Oua aceto macerata in tantum emolliuntur, vt per annulos tranſeant*, ait Plin. *lib. 10. c. 60.* Ita emolliri docet etiam Serenus *de pane cæliacis pro medicina dando* ſic loquens:

Quem madido farre efficies, ac mollibus ouis;
Quorum teſta fero prius emolleſcat aceto.

Eâdem

Eâdem arte anguſtioris orificij colliq; vitro, ſeu ampullæ immittuntur, acri aceto tam diu infuſo, donec cortex molleſcat; vbi autem ita mollia *oua* per anguſtias tranſierunt, aquâ frigidâ ſuperfusâ, priſtinam iterum duritiē acquirunt. *Iac. Weck. l. 8. c. 2.* Quanquam multi non hac ratione *oua*, aliaq; grandiuſcula ſimulachra vitro includant, ſed vitrum ipſum, dum molle & formabile eſt, flatu ſuperinducant.

Pulcherrima hæc obedientiæ veræ fictæq; eſt imago. Nonnulli enim, vt ſpecie obedientiæ fallant, non ſe obedientiæ accommodant, ſed obedientiam ſibi, quam pro arbitrio & libidine inducunt; de obedientia ſibi placentes, cum confeſſarium, aut alium è ſacro, aut profano Magiſtratu, eò adegerunt, vt imponeret, quod ipſis arridebat, verſoq; ordine, obediret etiã, qui mandare debuiſſet. Quod quàm pernicioſum ſit, Caſſianus *Collat. 2. c. 11. S. Bern. Ser. 3. de Circumciſ.* alijq; luculentè docent. Alia eſt obedientia eorum, qui literam O. hoc eſt *circulum, annulumúe obedientiæ* non ſibi, ſed ſe illi accommodant; qui ſibi quotidie illud vetus adagium ipſi canunt, Si vis *intrare per anguſtam portam, Matth. 7. 3. per annulum traharis, oportet.* II.

Difficile hoc? fiet facile, ſi mortificationis aceto ſinas te, *oui* ritu, macerari: Chriſti exemplũ habes. Quàm hoc *ouũ* per arctũ annulũ tranſiuit? III.

ſiuit? *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Phil. 2. 8.* Per eiuſcemodi annulum cum tranſiſſet etiam Abraham, filium ſuum immolaturus, audiuit Dominum *Gen. 22. 16. quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo vnigenito, propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli.* Longè vtiq; maiorē benedictionē Chriſtus & ſibi, & *ſemini* ſuo, hoc eſt, filijs Dei adoptiuis, obedientiâ ſuâ reportauit. Vt enim ipſe, *macerati oui* inſtar, per anguſtam portam, ad corporis ſui gloriam tranſiret, quid non paſſus eſt? immo *nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam? Luc. 24. 26. Oportuit.* Obedientiæ enim *annulus*, quaſi janua fuit, qua per *templum Laboris*, ad *templum Honoris* adiretur, & *nomen ſuper omne nomen* referretur.

IV. Et hoc quidem ſibi, nobis autem quid meruit? *Vt peccata remitterentur, vt adoptio, & jus vitæ æternæ peccato amiſſum reſtitueretur:* idque non ſemel duntaxat; ſed, quod eſt infinitæ bonitatis, & inæſtimabilis theſauri, meritum, vt, *ſi ſepties*, ſi *ſeptuagies ſepties*, ſi centies, ſi millies, ſi infinities, peccaremus, *ſepties, ſeptuagies ſepties*, centies, millies, infinities, per veram pænitentiam, eadem tanta bona poſſemus recuperare.

Quan-

Digitized by Google

Quantus hic meritorum theſaurus? quantus beneficiorum Oceanus? ratione cuius Chriſtus dicitur *interpellare pro nobis. Rom. 8. 34.* & eſſe *noſter aduocatus, apud Patrem 1. Io. 2. 1.* Totum enim eius meritum ſemper eſt in conſpectu Patris, ac totius Trinitatis, aſſiduè pro nobis miſericordiam, identidem gratiam flagitans; & verò, ni nos ipſi obſtamus, impetrans. Hanc clementiam, apud ſummum Regem meretur Chriſti *obedientia*, & *oratio*, quam in vita mortali exhibuit, eſtq; ſemper in conſpectu & acceptatione Dei. Vt proinde, quia *data eſt ei omnis poteſtas, in cælo, & in terra, Matth. 28.* vel ſic ſatis ſuperque *ſemper viuat, ad interpellandum pro nobis Heb. 7.* quia eius *obedientia* ceteraq; merita à diuinâ perſonâ, tanquam infinitâ, infinitum valorem traxerunt, vnde nunquam exhauriri, vel plenê compenſari poſſunt, vide *Gabr. Vazquez in 3. p. d. 82.* V.

Vnde hæc? ex obedientia. Sed Chriſtus non obediuiſſet, niſi ſe humiliaſſet; ſicut nec *ouum per annulum* tranſiret, niſi *molle & maceratum*. Duræ ceruicis homines, quia cedere neſciunt obedientiæ, franguntur. Ne autem frangantur, macerentur & ipſi, exemplo ſummo Chriſti, non jam quà hominis tantùm, ſed etiam quà Numinis. *Cum enim in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens. Phil. 2.* Quæ fuit VI.

humiliatio & *exinanitio* ipſius Diuinitatis, qua ſe immenſa illa Maieſtas, noſtra cauſſa, tantopere demiſit, vt noſtram mortalitatem induerit. Cum ergo, *tanquam momentum ſtateræ, ſic ſit, ante Deum, orbis terrarum, Sap. 11.* minima Diuinitatis *humiliatio* longè pluris eſt, quàm ſalus noſtra, & vniuerſum bonum creaturæ æſtimanda. Et tamen inuenitur homo, qui tantæ celſitudinis demiſſione, nondum ſe didicit humiliare, vt obediat? nempe quia nondum didicit Diuinitatis, ſed ſuam duntaxat *exinanitionem* æſtimare; *trahendus per annulum*, non obedientiæ, ſed *gehennæ*, & *æternitatis*: quandoquidem cenſet Chriſtum, cuius merita omne præmium excedunt, hoc non meruiſſe, vt illi obediatur. Certè ſi, vt *apud Plautum in Perſa eſt, emere oportet, quem tibi obedire velis*, Chriſto erit vel maximè obediendum, quia nos obedientia, & inæſtimabili ſanguinis precio, non ſolùm emit, ſed etiam redemit.

Morte

Morte Christi nos in vita ſeruatos, quod in gemino ouo editis effigiatur.

EMBLEMA XVIII.

AH MORITVR POLLVX, VT POSSIT VIVERE CASTOR!



Q*Vadam gallinæ*, ait Plin. *l. 10. cap. 53.* 1.
omnia gemina oua pariunt, & geminos interdum excludunt, vt Cornelius Celſus auctor eſt, alterum maiorem. Aliqui negant omnino geminos excludi. At Ariſtoteles *l. 5. de gen. animal.* oſtendit id, iuxta naturam fieri, vt ex eodem *ouo* duo pulli naſcantur, & quidem perfecti, ſi vitelli membrana dirimantur: ijdem ſi cohæreant, & confundantur, fœtum edi monſtroſum. Cauſſam affert *Sect. 10. probl. 60. Mon-*

ſtra, inquiens, *confici ſolent, cum plura ſemina inter ſe cohæreſcunt, confunduntúrque. Vnde aues etiam monſtra edere poſſunt, oua namque vitello pariunt geminato; monſtrum autem ex geminatis illis conſiſtit, quorum vitelli nullâ interiectâ membranâ diſtinguuntur. Quæ omnia*, ait Cardan. *l.7. de rer. Variet. c.39. ob imperfectionem eueniunt, etſi quandoque aliquid ſignificare videantur.*

II. Quid eiuſmodi oua ſignificent, mox expendam, vbi priùs recenſuero, quid de *ouo Tyndario* (licet alij aliter) Poëtæ fabulentur, fortaſſe ex eiuſmodi *monſtroſi oui* occaſione nato. Fingunt enim Tyndari regis Oebaliæ vxorem Ledam, eodem tempore, *duo oua* peperiſſe, è quorum altero, quod ex Ioue in cygnum conuerſo conceperat, excluſi fuerint Pollux & Helena; ex altero, quod conceperat ex Tyndaro, Caſtor & Clytemneſtra. Ex his priores duos immortales fuiſſe, poſteriores, aiunt, extitiſſe mortales. Primum *ouum* Pauſanias in Laconicis refert, oſtendi, apud Lacedæminios, ſuſpenſum tænijs à teſtudine templi. Mortuo igitur Caſtore, Pollux à Ioue fertur impetraſſe, vt ſibi cum fratre, quem vita chariorem habebat, immortalitatem communicare liceret, & vitæ mortiſque vices cum illo alternare.

III. Certè huius nominis ſidera ita in cælo micant, vt vno oriente, alterum occidat; neq; tantùm celebrantur *Tyn-*

Digitized by Google

Tyndaridæ fratres, hic eques, ille pugil,
ſed eorum etiam ſingularis amor prouerbio locum fecit. *Ouum Tyndarium perhibent Poëtæ delapſum cælitus fuiſſe*, ait Plutarch. *l. 2. qq. conuiu. q 3.* alludens ſcilicet ad alteram fabulæ opinionem, quæ Lunam ipſam pro gallina habet. Nam, teſte Athenæo, Neocles Crotoniates ſcripſit, è Luna prolapſum *Helenæ ouum*; plus vtiq; quàm prodigioſum, vt quod tanto caſu non fuerit fractum. Quin & cum magnæ parentis oſſa poſt tergum ſparſit Deucalion, *paulatímq; animâ caluerunt mollia ſaxa*, lapides priùs in *oua* conuerſos, quàm in homines, innuunt Poëtæ; ita enim rigore ſenſim poſito, in *oua* priùs emollita, quàm in hominum membra commutata ſaxa intelliguntur. Hucuſque vel de Naturæ portentis, vel de Poëtarum commentis.

Fas ſit magna paruis, & ſacra profanis, componere, fabulíſque explicare veritatem. Longè maius portentum eſt, Chriſtum, qui eſt omniũ gentium, non modò virtute, ſed etiam diuinitate princeps, quàm *ouum*, de cælo deſcendiſſe; & duas naturas in vna perſona, quàm duos vitellos in vnâ teſtâ reperiri. Sed hoc in Chriſto diuina potentia fecit. Illud magis ſtupendum, hominem, ob peccatum morti addictũ, & quidem etiam æternæ, ita ab immortali Deo amatum, vt de cælo deſcendens quodammodo no- IV.

biſcum ſuam diuideret immortalitatem. Nam, *vt nos diuinitatis ſuæ tribueret eſſe participes*, mortalis factus; & verò etiam mortuus eſt. Et quamuis Chriſto *mors vltra non dominabitur. Rom. 6. 9.* ex immortali tamen mortalis factus eſt, & hinc iterum tranſijt ad immortalitatem, quaſi, more Pollucis, gemelli Caſtoris gratiâ, vices alternaret. Quare & nos ipſi viciſſitudinē hanc ſubijmus, vt mortem, illius beneficio, cum vitâ mutaremus, & tanto maiore beneficio, quia de morte æternâ tranſlati, vitæ capaces facti ſumus ſempiternæ, vt cum Chriſto, velut ſidera in cælo, fulgeamus.

V. Hoc ergo beneficium, ne ingrati paruo æſtimemus; æſtimemus, quid ſit *in tenebras exteriores*, carcerem triſtiſſimum, omni luce, omni ſolatio carentem, ad famem, ſitim, amaritudinem, fœtorem cadauerum, laruarum horrificos aſpectus, conuicia, fletum, triſtitiam, incendia, & omnium ſenſuum tormenta damnari; ídque abſque vlla ſpe liberationis; non aliquot menſes, aut annos, aut annorum milliones; ſed perpetuò, ſed ſine fine, ſed quàm diu Deus erit Deus. Quæ mala, per nullum vnquam hominem ſatis diu multûmque defleta ſunt. Mare hîc quoddam eſt malorum. Immo hæc infinita calamitas eſt, quare & infinita miſericordia fuit ab ea liberari; & quidem ita, vt Deus in

ſuo

Digitized by Google

ſuo corpore pænas exſolueret, quæ noſtris ſceleribus debebantur.

Hoc verò tam immenſum beneficium Chriſtus in omnes omnino homines cōtulit. Quamuis enim nos, ob originis peccatum, flammarum ſupplicia, aliorúmque ſenſuum cruciatus non mereremur, pœnâ damni ſatis puniti; attamen quia originariæ culpæ veniâ non impetratâ, in multa lethalia peccata neceſſariò eramus lapſuri, quæ æterno igne puniuntur, nequaqam potuiſſemus æterna illa tormenta euitare. Euitauimus ergo illius immenſâ clementia, & charitate, qui cum frater noſter & fieri, & dici voluiſſet, ob infinitam perſonæ ſuæ dignitatem, infinitam noſtram miſeriam, & ſuppliciorum noſtrorum funeſtam æternitatem compenſauit. Prodigioſum ergo, non monſtroſum eſt *ouum*, quod duas naturas in vnâ perſonâ repræſentat, cuius incredibilem vim ac beneficentiam, nullus hominum dicendo aſſequetur; quidquid enim dixerit, minus erit. VI.

Laudat D. Greg. *l. 3. dial. c. 1.* S. Paulinum Nolanum Epiſcopum, qui Wandalis, è Campaniâ, in Africam, multos abducentibus, cum omnes opes ſuas, pro captiuis redimendis, profudiſſet, tandem, vt viduæ filium liberaret, memorabili charitatis exemplo, ſe tanquam man- VII.

cipium à feminâ illâ vendi voluerit, certè permutari volens paſſus ſit. Quid Chriſto debebimus, qui, vt nos à diriſſimâ ſeruitute redimeret, *ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens*, ac tandem etiam vendi 30. argenteis voluit? Denique ab eodem Greg. *l. 3. dial. c. 37.* Sanctolus ſe ipſum, pro diacono, in mortem tradidiſſe, ſed à S. Io. Baptiſta, liberatus eſſe fertur. Chriſtus pro nobis morti ſe obtulit, nequaquam liberatus. Morte ſuâ vitam nobis obtinuit, & ſanguine ſanguinem ſtitit, ſi medicinam non reſpuimus; *verum* vel hinc *ouum*.

IIX. Aiunt enim medici, *teſtam oui cineratam, atque in vino epotam ſanguinis eruptionibus mederi*: quin eundem *cinerem mulierum menſes cum myrrhâ illitum ſiſtere*; dummodo ſine membranâ comburatur. Nempe *ſanguis* noſter, qui nos polluit, peccatum eſt noſtrum, quo *ſanguine* liberari voluit ille, qui dixit *Pſ. 50. Libera me de ſanguinibus*: quo etiam *facta eſt Ieruſalem quaſi polluta menſtruis Thren. 1. 17.* Hunc *immundum ſanguinem* ſanguine Virgineo abluit Chriſtus; qui corpore ſuo, velut *teſtâ oui*, mortem excepit, inde contritus, vnde mortuus. Ah tam nobilem teſtam, in ſpecie vini, immo & panis ſchemate (cum vtique etiam inibi totus ſit Chriſtus) toties ſumimus, & *ſanguinis* noſtri eru-

Digitized by Google

eruptiones nondum ſiſtimus? Sed identidem peccatis nos inquinamus, vt dicere neceſſe ſit: *Et facti ſumus, vt immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruata vniuerſa iuſtitia noſtra. Iſa. 64. 61.*

Cur abluenda tot, ſacrato ſanguine,
Fert oua noſtrum ſeculum?
Sunt pauca pura puta, multa putida;
Caſtorum vt illa, ita iſta Caſtorum.

Digitized by Google

Oua Oceano, Chriſtus Mundo pacem inducit.

EMBLEMA XIX.

NAVITA DE PORTV NVNQVAM SECVRIVS EXIT.



1. *A*LCYONES, ait Ælian. *l.9. de hiſt. anim. c. 17. ſuam grauitatem ſentientes, nidum ad excipiendos pullos machinantur. Ad eum verò non lutum opus eſt, non tectum & domus, vt hirundini, quæ cum hoſpes non vocata adventat, tum matutino tempore cantu moleſta importuno, ſuauiſſimũ ſomnum interrumpit. At neque corpore tantùm Alcyones in aperto ac libero mari, ad nidi ſtructuram, legendis contexendíſque Belonæ ſpinis incumbunt, ſed ineffabili etiam vi ingenÿ ſolertiaq́ propoſitum*

poſitum perficiunt. Spinas enim partim rectas, partim obliquas, vt mulieres ad textrinā eruditæ ſubtegmini ſtamen, intertexunt: & rotundum paulatim, non omnino tamen, ſed oblongum, & ſinuoſum, inſtar naſſæ cuiusdam, efficiunt. Perfectum in mare deferunt, vbi fluitans ab incurſantibus vndis earum opus probatur, tum partes, quas aqua incidens oſtendit non firmas eſſe, reſarciunt. Cetera quæ rectè connexa iunctáque ſunt, neque ſi percutias ſaxo, rumpi, neque ferro diſcindi poſſunt, non magis quàm lineus ille thorax, qui Mineruæ Lindiæ conſecratus carminibus celebratur. Os verò nidi non planè conſpicuum, & alijs omnibus inacceſſum, ſolam illam ſuſcipere poteſt, neque per idipſum quidquam ex mari intro influere poteſt, adeò ſubtiliter conſtructum eſt. Ibidem vndis circumlata Alcyon, vt ferunt, pullos nutrit.

At ne putes, vndis procelloſis fatigari, ſcribit idem Auctor *lib. 1. de hiſt. cap. 36. Cum pariat Alcedo, maria tranquilla & venti quieſcunt, & quamvis media hyeme pariat, non deeſt tamen, ad incolume, vt ita dicam, puerperium, ei tranquillus aër. Et eo quidē tempore dies Alcyonios celebramus.* Ita avis una pro Salſipotente Iouis fratre poteſt eſſe, Vt *calū vultu tempeſtatéſq; ſerenet. 1. Æneid.* aut ſerenitatem nunciet. Vide & *Ariſtot. lib. 5. de hiſt. c. 8. Plin. l. 10. c. 32. & lib. 18. c. 26. Plutarch. lib. quæ prudentiora &c. Dioſcoridem lib. 5. c. 136.* II.

c. 136. S. Baſilius *orat 8. in Hexaem.* ita loquitur: *Alcyon auis eſt, quæ mare accolit: quæ cum ſit in maris littore parere ſolita, deponit oua in arena, & media hyeme nidum componit, quo maximè tempore ventorum impetu mare tempeſtuoſum eſt. Sed tum venti ſe remittunt, compeſcitur ipſum mare, cũ Alcyon ſeptem diebus incubat: excludit enim pullos totidem. qui cum cibum appetunt, ſeptem alios dies ad pullorum incrementum minutiſſimo animali liberalis Deus elargitur. Omnes itaque qui ſe mari committunt, id obſeruant, eóſque dies Alcyonios nominant. Quæ tibi conceſſa ac tradita ſunt, à diuina prouidentia, eius etiam vis eluceſcit in ijs animalibus, quæ rationis expertia ſunt, vt te commonefacerent, ad ea petenda ab eo, quæ tibi ad ſalutem conferrent. Quidnam etiam, quæſo, vel quod fidem excedat alioquin, non eſt tua paratum cauſa, qui ad Dei factus imaginem ſis; cum propter eam tam minutam auem vaſtum illud ac terrificũ mare ſedetur, & hyeme media, Dei iuſſu, coërceatur?* Hæc S. Pater.

III. Poteſt autem rectè etiam Chriſtus *Alcyon* vocari, qui cum mare huius Mundi, in antiquæ legis hyeme, magnis fluctibus eſſet periculoſum, Deo hominibus, & his Deo offenſis compugnantibúſque more procellarum, venit pacem compoſiturus, tanquam *Princeps pacis Iſa. 9.6.* Hinc vbi nidum ſuum primò inter fœnum

&

& ſtipulas,in præſepio, deinde etiam in horrida ſpinarum corona poſuit, omnia tranquillauit. Hinc nato Angeli cecinerunt : *Pax hominibus Luc.2.14.* Et quando *Matth. 8. 24. motus magnus factus eſt in mari, imperauit vento & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Denique, poſtquam capite ſuo nidamentum è ſpinis geſſit, Apoſtolis ſuis dixit. *Pax vobis Io. 20.21.* itemq; velut Alcyon, *Io. 21.1. manifeſtauit ſe Ieſus ad mare Tiberiadis*, ibiq; *oua*, & pullos, hoc eſt, fideles ac diſcipulos genuit. Iacobo. *c.1.18.* dicente, *Voluntariè nos genuit verbo veritatis*, & Patri reconciliauit.

Quantum autem hoc ſit beneficium, nemo agnoſcit, qui non perpendit, quid ſit, Deum habere inimicum, aut pati tempeſtates ab iraſcente Deo excitatas. Nunquam profectò ad portum æternæ felicitatis enauigabit, qui Alcyonia nō obtinet, & Numen placatum. Omnia Angelorum, omnia omnium hominum bona opera, ne vnum quidem peccatum mortiferum ſufficiunt compenſare, ſi Alcyon hæc deſit, & gratiam non aſpiret. Quare meritò S. Paulus antiquam legē, itemq; opera ſolis naturæ viribus facta tantopere deprimit, Chriſtum autem & legem gratiæ extollit. Hæc enim & jubet, & juuat pariter; hæc dat vires, hæc pace inter Deum & homines facta, mirificam quandam inducit ſerenitatem. IV.

Quod

Quod etiam quiuis in ſe experitur, qui peccatô antè turbidus, & conſcientiæ procellis inquietus, illico magnam ſentit animi pacem ac tranquillitatem: vbi enim Chriſtum in pectus admiſit, affectuum malorum tentationumq́, fluctus ceſſant, & piarum cogitationum *oua* generantur. Excludat Chriſtum, qui mauult bellum; pax animo nunquam erit, in quo cæleſtis Alcyon non erit.

V. Eiuſcemodi tempeſtatem deſcribit Io. Crombecius. *l. 2. de ſtudio perfect. c. 2.* in viro potente ac opulento, ob facinus admiſſum, mirificè inquieto. Ita enim conſcientia hominem ſtimulis identidem fodiebat, ita Eumenides agitabant, eaſq́; faces admouerant, vt nullo loco poſſet conſiſtere. Nempe, vt vlcera antè, quàm aperiantur, vehementiſſimè vrunt; ita ſcelera nullam quietem relinquunt, quàm diu teguntur. Et tamen ita obſtinatè verecundus erat homo, vt mori, immo æternùm damnari, minùs ei graue videretur, quàm vlcus illud detegere per confeſſionem. Antuerpiæ aliquando ex Eccleſiaſte intellexerat, neminem vllum obligari ad ea peccata confeſſione expianda, quę memoriâ excidiſſent, factaq́; diligenti inquiſitione, in mentem non venirent. Huius doctrinæ veritatem, in proprij erroris fulcrũ traxit. aptã enim crimini ſuo tegendo viam ratus, nihil non laboris ac di-

li-

ligentiæ adhibuit, vt peccati memoriam ex animo eijceret. Actũ egit. nam ipſe conatus obliuiſcendi memoriam roborabat. Et tamen pergebat velle obliuiſci. Primùm ergo, vt iſtorum mos eſt, ſomno, vino, ludo, & omnis generis oblectatione, mentem conatus eſt aliò auertere, ac tanquam nouus Salomon, *omnia quæ deſiderauerunt oculi eius, non negauit eis: nec prohibuit cor ſuum, quin omni voluptate perfrueretur. Eccl. 2. 10.* Sed fruſtra. omne enim gaudium luctu, velut felle permiſtum, oſtendebat verè de talibus dictum: *vermis eorum non morietur. Iſa. 66. 24.* Nec dum tamen ille cum conſcientia certare deſinebat. Itaque ſicut qui è *limo profundi* eluctari cupiens, ſemper magis ſe mergit; aut ſicut ceruus in retia ſe implicat explicando: ita ille, dum peccata peccatis cumulauit, vt ipſa confuſione peccatorum, peccatum illud oblitteraret atq; vnius recordatione, alterius memoriam obrueret; ſemper illud ipſum peccatum, velut clauum nouo mallei ictu memoriæ magis infigebat. Vt ergo ſpina altiùs fixa, acriùs pungit, & ſagitta profundiùs adacta ceruum per omnia auia & deuia agit; ſic hunc hominem ſcelus admiſſum adegit, vt ſemper fieret inquietior. Pacem igitur, quam domi non habuit, ad exteras nationes longè profectus, foris quæſiuit. Cenſuit enim animũ, locorum mutatione, mutandum. Sed verè

tè Iſidorus *l.2. Sent.c.26. omnia fugere poterit homo, præter cor ſuum, non enim poteſt à ſe quiſpiam recedere: quocunq; enim abierit, reatus ſui conſcientia illum non derelinquet.* Ita viro iſti contigit; à patria, non tamen à conſcientia receſſit; hac Furia vbiq; eum comitante. Inter hæc nullam rem curioſam non vidit, nullum ſpectaculum non ſpectauit, vt tanta rerum varietas memoriam præteritorum expungeret. non expunxit. Inter omnia atrox ille animi tumultus perſeuerauit. Vt nihil omitteret, animum appulit ad ſtudia litterarum, & quidem earum, quę plerumq; totum hominem ſibi vendicant, & attentione, atque illecbrâ non ſolùm alijs curis omnibus, ſed etiã ſibi ipſi auferunt, qualis eſt Matheſis, cuius eam præcipuè partem, quę *Perſpectiua* vocatur, addiſcebat. Sed ſine emolumento. Nam nocte dieq; ſuum in pectore teſtem ſentiebat rodentem, & interturbantem. Audit tandem, *contritione peccata* tolli. Quare ſe pijs operibus dedit: in cinere & cilicio pænitentiam agit, egentibus ſtipem largitur. Nihil proficit. In dies ſæpius ſæuiuſq; roditur. Et quia, vt ait S. Greg. Naz. *in plag. grand. conſcientia domeſticum & verum tribunal eſt*, ſe ipſo judice nuſquam abſoluitur, tandem mortis conſilium ſuſcipit: neque ibi æſtum declinaturus. Vltimum & vnicum pacis remedium fuit Confeſſio; quæ quàm mirabili modo ei fuerit

per-

Digitized by Google

perſuaſa, auctor prolixè docet, in hunc ferè modum. Intemperiæ cum hominem ad vltima perduxiſſent, conſilium cepit, ſuimet, nocte proximâ, necandi; ſatius eſſe ratus, mortem ferre, quàm aſſiduè his facibus agitari Furiarum. Ea eſt flagitioſorum cæcitas, vt cum vitâ exiſtimēt ſupplicia ſua finienda; pænaſq; inde incurrant, vnde vitant. Igitur, velut œſtro actus, rhedam conſcendit, domumq; repetit tumultu plenus. In via dum eſt, dumque ad laqueum properat, atq; inde ad Orcum, diuina benignitas reſpexit errantem. Eius enim clementi prouidentiâ factum eſt, vt quidam de Societate noſtra Pater, ſocio comite, per Brabantiam iter faciens, homini deſperabundo occurreret. Sicut ergo *Act. 8. 27. Æthiops, eunuchus, potens Candacis reginæ Æthiopum rogauit Philippum, vt aſcenderet, & ſederet ſecum*; ita & hunc Patrem, multò iſte, ipſo Æthiopie nigrior, è rheda conſpicatus importuniſſimis inuitationibus coëgit, curruque accepit.

Quid non prodeſt verſari cum pijs, aut colloquijs ſanctis intereſſe? Pater, vt vecturæ precium referret, ſermoneq; vtili viam condiret, varia cæpit de Deo diuiniſque rebus ſermocinari. Ad quæ rhedæ Dominus nihil reſpondit, ſed tacitus dicentem audiuit, fixiſſimis oculis identidem obſeruans vultum nutúmq; omnem diſ- VI.

Digitized by Google

ſerentis. Inter multa alia, quæ Pater diſputabat, Deo linguam regente, ventum eſt etiam ad illud argumentum, quo oſtendebatur, quanta vis eſſet in ſcelerum Confeſſione. Hîc repentè taciturnus ille auditor, vlcus ſibi tangi ſenſit, doloréque victus, vocem non habuit in poteſtate. Ruptâ igitur ſilentij pertinaciâ, cum ſtomacho dixit: *Itane verò? neſciebam, me tibi tam notum; nec dum ſcio, vnde me nôris.*

Cui Pater, *Oculis meis antehac nunquam te aſpexi; neq; auditione aliquid de te accepi. Sed mos eſt noſter, eiuſcemodi narratiunculis, vbi ſeſe fert occaſio, imbuere audientes, ne vanis inutilibusq; ſermonibus diem perdamus. Itaq; nihil exiſtimes à me dictum, tui tangendi gratiâ. Niſi fortè quid monſtri, aut morbi in animo alis, à quo cupis liberari. Equidem paratum habes, qui te adiutet.*

VII. *Adiutet?* ait ille. & cum paululùm conticuiſſet cogitabundus, *ſed quis*, inquit, *adiutabit, ſi confiteri detrectauero? Stat ſententia, jam obfirmaui animum, ſi mille annos vixero, ſi inferorum pœnas ipſâ æternitate longiores ante ipſos mihi oculos videro parari, nunquam tamen confitebor. Ceterùm ſi abſq; hoc, vt confitear, opem mihi ferre potes, haud ægrè mihi patiar fieri medicinam.* Sacerdos, quia cenſuit ſenſim tractandum tam delicatum ægrotum, diſſimulatâ tantiſper confeſſione, hominem bono animo eſſe jubet, ſuppetere

tere & alia remedia, per quæ venire poſſit ad ſanitatem.

Refrigeratus hac promiſſione miſer, palàm, quod res erat, edixit: Necem ſe ſibi proximâ nocte conſciſcere voluiſſe, niſi auxilij ſpes alluxiſſet. Animi tumultuantis verbera ſe porrò ſuſtinere non poſſe. Itaque ſi, ſine confeſſione, cum Deo in amicitiam redire queat, nihil tam aſperum aut difficile fore, quod detrectet. Adiecit ordine, quæ ad latrantem conſcientiam ſopiendam feciſſet; fruſtra vbique fuiſſe. IIX.

Morbo hominis probè intellecto, promittit Pater, ſe confeſſionis peragendæ mentionem nullam facturum, & tamen auxilio futurum, ſi ille, ad pauculos dies, velit ſibi obſequi, & ad præſcriptum viuere. Conuentum. Igitur vbi domum venère, rogat Patrem, quid imperet? Pater, quòd exiſtimaret oppreſſum mærore animum, nocte præcipuè illa ferali, hilaritate reſtaurandum, jubet eum conuiuium adornare, & quàm lætiſſimè, inter amicos, agere. Remotis menſis ſecundis, recurrit ad Patrem conuiuij magiſter, &, quid jam jubeat, quærit? Iubet eum quieti ſe reponere, & ſine cura dormire; ſe cum ſocio, pro eo, ad Deum precibus jactatis, vigilaturum. Abijt nox. redijt hoſpes, & imperari ſibi cupit. Suggerit illi Pater quædam, quæ ſpem accendant, & animum gaudio diſpo- IX.

Digitized by Google

nant; hæc certis horis diſtribuit meditanda.

X. Ita abit vnus, abit alter dies. Tandem jubet eum in conſcientiam examuſſim inquirere; ſceleraque omnia annotare, non quaſi ad confeſſionem deferenda; ſed vt de ijs doleat in memoriam reuocatis. Quod vbi factum, abduxit eum in ſiluam, & ſocio, per interuallum ſubſequente, interrogauit, an omnes animi ſui latebras excuſſiſſet? ac ne fortè incautum aliquid lateat, ipſe per omnes criminum claſſes ſermonem trahit, quidquid horrendum, triſte, atrox, nominat; tandémque ad illud ipſum ſcelus deſcendit recenſendum, quod alter confiteri tantopere erubeſcebat; ſed tamen gauiſus, ab alio nominari: *Illud, illud ipſum eſt, quod prodere non audeo, inquit. Atqui in libris meis longè ſunt his deteſtabiliora*, ait Pater. *Poſſum te & ab hoc, & à funeſtioribus abſoluere. Et ſi vis, iam confeſſus es; cetera, quæ ſcripſiſti, adde, & negocium confeciſti.* Procubuit in genua, recenſuit reliqua, & vix abſolutus incredibili voluptate mentis & vocis oſtendit, quantum bonum ſit Pacis, per Confeſſionis ſacramentum à Chriſto inſtitutum, impetratæ.

Ouum

Digitized by Google

Ovum à ſole elevatum, Fidei diuinæ imago.

EMBLEMA XX.

SI EXALTATVS FVERO A TERRA, OMNIA TRAHAM AD ME IPSVM. Ioan. 12. 32.



Q*Vi corticem vacuum rore comple*, ait Io. I.
Bapt. Port. *l. 2. c. 14. ſed Maio menſe eum accipe (alio enim tempore, vt æſtate, & autumno, verus ros non eſt, vt phyſicis conſtat rationibus) & in meridie Soli oppone, & ab eo eleuabitur. Et ſi difficilis aliquando fuerit aſcenſus, baculi, vel tabulæ adminiculo, dum aſcendere incipiat, facilius eleuabitur.* Idem ſcribit Iac. Weck. *l. 8. c. 2*. Et ſunt qui artem hanc vtroque pollice lau-

dent, quamuis difficultate non carentem. Ego, etſi dignam non putem, propter quam vadimonium deſeratur, tamen exiſtimo non eſſe inidoneam ad id, quod inſtitui explicandum.

II. *Ouum* eſt homo, tot tantíſque, quæ huc vſque recenſuimus, beneficijs cumulatus, vt captum humanum ſuperent. Et tamen vult per ea innoteſcere Deus: credenda ſunt ergo fide diuinâ. Ac vel idcirco res tam ſublimes nobis propoſuit ſumma illa ſapientia, vt non ſolùm, velut *inania oua*, noſtram agnoſceremus inanitatem ac imbecillitatem, eáque propter intellectum noſtrum in obſequium fidei captiuatum Deo ſubijceremus; ſed etiam vt infinitæ illius potentiæ, ſapientiæ, ac bonitatis altitudinem venerantes, mentem noſtram humo tollere, & ad cæleſtia eleuare deſideraremus. Similes ijs auiculis, quæ in Mexicana regione *Cinzones* dicuntur, & teſte Henrico Salmuth *in tit. 1. lib. 2. Guidonis Pancirolli Nouor. Repert. pedibus carent, & rore tantùm viuunt: ex quarum pennis Chinenſes artificioſiſſimè picturas concinnant.* Nam quia alioqui *ſine pennis volare haud facile eſt*, vt Comicus ait *in Pœnulo*, inſuper & pedibus caremus, quibus cælum ſcandamus; & *rore diuinæ gratiæ* diuinitus flagitato viuendum, vt quæ deſideranda ſint, intelligamus.

III. Hoc egit Deus; non cæco perſpicua, non in-

tri-

triuijs obuia, ſed alta, & humanum captum ſuperantia propoſuit credenda: & ſapienter egit. Si enim obuia ea nobis, & non potiùs tam ardua, ac vim naturæ ſuperantia patefeciſſet; neque æſtimare Numinis maieſtatem, neque cogitationem attollere à terrenis didiciſſemus. Nunc, tantis myſterijs, ſupra noſtræ naturæ gradum ac ſortem euocamur, atque ad ſupernaturalem Dei viſionem, rerum ſupernaturalium fide præparamur. Cum enim ſempiterna illa beatitudo hominis naturam mille paraſangis excedat, neceſſe eſt, vt ea quoque, quæ illuc ducunt, & conducunt, eandem excedant; vt ſupernaturalis ſit via, qua ad Patriam ſupernaturalem peruenitur. Quare ſicut *inane ouum*, proprijs ſuis viribus, nequit in altum aſcendere, ita neque homo diuinæ gratiæ rore deſtitutus vitam æternam poteſt conſequi; immo nec ea, quæ ad vitam ducunt.

Clarè id Chriſtus indicauit: *nemo*, inquiens IV.
Io.6.44. poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. Inde nimirum fides venit, quò tendit: & quanquam maximè in diuinis litteris commendatur, ſumméque neceſſaria eſt, non aliunde tamen poteſt, niſi diuina illuſtratione haberi. Hæc ſi adeſt, iam incipimus, velut *ouum rore inſtructum*, ad ordinem ſupernaturalem ſubleuari. Primus enim ad diuina ſupernatura-

Digitized by Google

lis motus eſt, per fidem. Hinc, velut Sole trahente, & rore aſcendente, opus eſt inſpiratione diuina, & motione interna. *Trahe me poſt te*, ait ſponſa *Cant.* 1. 4. *& curremus.*

V. Talis inſpiratio eſt, vt velis, *de prima rerum cauſſa, de Mundi gubernatore, ſcelerum omnium punitore, vel virtutum æterno remuneratore* cogitare, *articulos fidei examinare, orare, vt lumen veræ religionis accipias, augeas, ſerues.* Eiuſcemodi inſpirationi, velut Soli radium calorémque affundenti, & trahere incipienti, vt poſſit obtemperari, Deus intus adiuuat, & irrorat, ſimúlque hominem diſponit ad recipiendas inſpirationes altiores, paulatímque magis ac magis trahit, & ſublimat, dum ſcilicet articulos credendos ei ſufficienter proponit, nempe *vt ſpiritu prophetico tot ſeculis ante in diuinis litteris prædictos, vel in figuris ſignificatos; vt à paucis, plebeis, nulla philoſophia ſeculari eruditis, ſed ſolo Spiritu ſancto afflatis Apoſtolis, tota ſeculi ſapientia reluctante, Mundo perſuaſos; vt tot miraculis: tot Martyrum ſanguine, tot ſanctiſſimorum hominum virtute, tot eruditiſſimorum, per tot ætates & tempora conſenſu, teſtimonióque traditos & confirmatos; vt denique nihil à recta ratione alienum, omnia ad vitia extirpanda, vitámque honeſtiſſimè inſtituendam, Deum cognoſcendum, & laudandum neceſſaria continentes.*

Hæc

Hæc dum in propoſitis fidei myſterijs conſi- VI.
derantur, incipit homo iudicare, *ea ob diuinam auctoritatem, iuxta rectam rationem, eſſe credenda.* Et quamuis eo ipſo credat, qui ita iudicat eſſe credendum, facilè tamen poſtea ſequitur voluntas electióque credendi, ob diuinam auctoritatem: facilè, inquam, diuino auxilio adiuuante, ſine quo, non ſolùm difficile eſt, ſed etiam ſupra naturam, tam velle credere, quàm reipſa credere. Vt ergo ſic poſſit velle credere homo, immittit Deus præuiũ quendam diuinitus affectum, quo erga primæ veritatis auctoritatem inclinetur, vt velit credere. Accedente poſtea illuſtratione, velut interna locutione, trahitur intellectus ad firmiter conſtantérque aſſentiendum, & re ipſa credendum, ſi quidem (libera etiam tum) voluntas ita imperârit.

Quæ quia nec ipſa poteſt efficaciter velle VII.
credere, ſine præuia motione & affectu ad credendum, indiget & ipſa, vt trahatur ad imperandum, vt intellectus, actu fidei, myſterio aſſentiatur. Hinc dixit Chriſtus: *Nemo poteſt venire ad me*, & mea myſteria credenda, *niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Inter potiſſima enim credenda, quibus ad cælum aſcendimus, eſt Chriſtus, &, velut *baculus ouium fulciens*, crux Chriſti: per quam, velut erectum vectem, ipſe prior aſcendit, atque in gloriam ſuam intra-

Digitized by Google

uit; vt nos & fide, & imitatione ſequeremur.

VIII. Quocirca dudum dixit: *Io. 3. 16. Sic Deus dilexit Mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret; vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et alibi *Io. 12. 32. Ego ſi exaltatus fuero à terra,* (*id eſt cum crucifixus fuero*, ait S. Auguſtin. *in Appendice ad ſermones de diuerſis ſerm. 75.*) *omnia traham ad me ipſum.* Exaltatus fuit ergo in Cruce, immo & in Reſurrectione, in Aſcenſione; ad hæc credenda trahit, id eſt, vocat (vt *cit. loc.* exponit S. Aug.) & vt trahat, intellectum luce, voluntatem diuini affectus rore perfundit. Felix qui ſequitur trahentem: nam eum ſequitur, qui *in ſole poſuit tabernaculum ſuum. Pſ. 18. 6.* & quidem meridiano. *Cant. 1. 7.* Nam etſi fides obſcura, clara tamen ſunt motiua credulitatis, vt nemini hîc liceat caligare; & difficile ſit, ad tantum Solem non incaleſcere.

OVUM

Ouum præ ſcorpione datum, ſpei ſymbolum.

EMBLEMA XXI.

SVM PATER, HAVDQVAQVAM DABO DETERIORA PETITIS.



NOn trahitur tantùm, ſed aſcendit quoq; 1.
ſemper magis ac magis *ouum rore vege-*
tum. Ita nec hominem *fides* ſolùm à ter-
renis eleuat, ſed itur *de virtute in virtutem. Pſal.*
83. 8. Quippe ubi quis fide eſt illuſtratus, eius
lumine videt, Deum eſſe infinitè juſtum, videt
item plecti peccata æternis pœnis; & cum non
ignoret, ſe multorum criminũ eſſe reum, dam-
nationis timore percellitur. Mox ergo timor
iſte altiùs eum promouet, vt incipiat funem re-

ducere

ducere, & circumſpicere, qua via poſſit tantùm malum declinare, nec iam terrea, ſed ferrea mœnia quærat ſaluti ſuæ tuendæ. Nam ne haſtam abijciat, ne ad laqueum currat, fides ei divinæ miſericordiæ exhibet immenſitatem.

II. Rurſúmq; eadem fides ei offert etiam modũ è tantis malis eluctandi, Chriſti ſcilicet Redemptoris merita, atque Sacramenta, per quæ Chriſti merita hominibus applicantur. Quare ſpem concipit, per eiuſcemodi remedia, Infernum evadendi, & cœleſtis vitæ conſequendæ. Hinc iterum aliæ atque aliæ virtutes germinant. Tum enim talis homo, quia perpendit divinam bonitatem, quæ nobis tanta bona præſtitit, & à tantis malis acerbiſſima Chriſti Paſſione ac morte liberauit, incipit illam tam immenſam bonitatem admirari, & iam propter ſeipſam amare: ac proinde etiam ex animo dolere, quòd in illã peccârit, ſeriò etiam ſtatuere de moribus emendandis, de divinis mandatis poſthac obſervandis, de Sacramentis uſurpandis. Ita ex impio uſque ad *iuſtificationem* promovetur. *Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 6.*

III. Vt ergo in *ouo Fides* ſupra, ita hîc (præſertim cum *ouum* ſit animal potentia) ſpes indigetatur, ad cuius actum producendum neceſſaria eſt intellectui lux divina ſecum adferens quandam voluntatis affectionem, quæ ad ſperandum

adiu-

adiuvet. Qua de cauſſa tam *ſpes*, quàm *fides*, & ipſa etiam *charitas* à Deo eſſe dicitur.

Audi S. Auguſtin. *Serm. 29. de Verb. Dom. Fidem ab ipſo accepimus: Sicut Deus inquit, vnicuique partitus eſt menſuram fidei. Et ſpem ab ipſo accepimus, cui dicitur: In quo ſpem dediſti mihi. Et charitatem ab ipſo accepimus, de quo dicitur, Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Et paulò poſt: Quis eſt veſtrum, à quo petit filius ſuus panẽ, nunquid lapidem porriget ei? aut quis eſt veſtrum à quo petit piſcem, nunquid ſerpentem porrigit ei? Aut à quo petit ouum, nunquid porriget ei ſcorpionem? Si ergo vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris, quanto magis pater veſter, qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe?* Et iterum. *Pone ergo tria, panem, piſcem, ouum. Maior autem horum panis. Ideò panem bene intelligimus in trib. charitatem. Propterea pani lapidem oppoſuit, quia duritia contraria eſt charitati. Piſcem fidem intelligimus. Dixit quidam ſanctus, & nos dicere delectat: Piſcis bonus, pia eſt fides. Viuit inter fluctus, nec frangitur, nec ſoluitur fluctibus. Viuit inter tentationes tempeſtatéſque huius ſeculi, pia fides. Sauit Mundus, & integra eſt* (loco infra citando etiam addit, fidem ſignificari in piſce, *propter aquam baptiſmi*) *tantum contrarium fidei ſerpentem illum obſerua. In fide enim deſponſata eſt illa, cui dicitur* IV.

citur

citur in Canticis Canticorum: Veni de Libano ſponſa mea, veniens & pertranſiens ab initio fidei. Ideò & deſponſata, quia deſponſationis initium fides eſt &c. Et paulò poſt: *Reſtat ſpes, quæ, quantum mihi videtur,* ovo *comparatur. Spes enim nondum peruenit ad rem. Et ouum eſt aliquid, ſed nondum eſt pullus. Quadrupedes ergo pariunt filios, aues autem ſpem filiorum. Spes ergo ad hoc nos hortatur, vt præſentia contemnamus, futura expectemus: ea quæ retro ſunt obliuiſcentes, cum Apoſtolo in anteriora extendamur. Sic enim dicit: Vnum autem, quæ retro oblitus, in ea quæ antè ſunt, extentus, ſecundùm intentionem, ſequor ad palmam ſupernæ vocationis Dei, in Chriſto Ieſu. Nihil ergo tam inimicum ſpei, quàm retro reſpicere: id eſt, in eis rebus, quæ præterlabuntur & tranſeunt, ſpem ponere: ſed in his, quæ nondum datæ ſunt, ſed dandæ quandoque, quæ nunquam tranſibunt. Quando autem ſcatet tentationibus Mundus, velut pluuia Sodomæ ſulphurea, metuendum eſt exemplum uxoris Lot. Retro enim reſpexit, & ubi reſpexit, ibi remanſit. In ſalem conuerſa eſt, vt prudentes condiret exemplo. Apoſtolus Paulus de hac ſpe ita loquitur; Spe enim ſalui facti ſumus. Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes. Quod enim videt, quis, quid ſperat? Si autem quæ non videmus, ſperamus, per patientiam exſpectamus. Quod enim videt quis, quid ſperat? Ouum eſt. Eſt ouum: & nondum pullus eſt, & teſtudine*

tectum

Digitized by Google

tectum eſt: non videtur, quia operitur: cum patientia expectetur, ferueſcat, vt viuiſcat. Intende, extendere in anteriora, obliuiſcere præterita. Quæ enim videntur, temporalia ſunt. Non reſpicientes, inquit, quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna. In illa ergo quæ non videntur, extende ſpem, expecta, ſuſtine: noli retro reſpicere. Ouo tuo ſcorpium time. Vide quia de cauda percutit, quam retro habet. Non ergo ſcorpius perimat ouum tuum, mundus iſte ſpem tuam, vt ita dicam, veneno eo contrario, quo retrario.

Hæc Auguſtinus, qui alijs verbis idẽ habet *Epiſt. 121.* Ait enim: *ouum vt eſt animal in ſpe, ipſam ſpem exprimere poteſt: & vt non videtur, quod eſt in ouo, ita ſpes eſt de his, quæ non videntur. cui opponitur ſcorpio, qui cauda mordet: quia deficiunt à ſpe, qui retro reſpiciunt.* Sed & quod Chriſtus dixit. *Luc. 11. 12. Si petierit ouum, nunquid porriget illi ſcorpionem?* alijs verbis, in adagio, ſolet iactari: nam *pro perca ſcorpium* cepiſſe, dicitur, qui optima captans, peſſima cepit. V.

Ad-

Adoptio Diuina quomodo per charitatem facta, quomodo per ovum & pullum indagata?

EMBLEMA XXII.

NVSQVAM EST TVTIVS ESSE, QVAM SVB ALIS: SED NON SVB ALIS OMNIBVS.



I. V*T mater criſtata ſolet, quo tempore miluus Inſtruit inſidias*,

ita amans noſtri Chriſtus fauet, fouet, protegit, & pro nobis, contra rapacem illum, ex Acherunte vulturium duellat. Qui iam dudum ſe matri comparauit. *Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum*, ait *Iſa. 49. 15. vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen*

Digitized by Google

men non obliuiſcar tui. Nec matri tantùm ſe contulit, ſed criſtatæ quoque matri. *Matth. 23.37.* In quem locum S. Auguſtinus *ſerm. 29. de Verb. Dom.* hæc ſcribit: *Nos ouum noſtrum ſub alis illius gallinæ ponamus; Euangelicæ gallinæ, quæ clamat Hieruſalem, Hieruſalem, illi falſæ & perditæ, quoties volui colligere filios tuos, tanquam gallina pullos ſuos, & noluiſti? Non vobis dicatur, Quoties volui, & noluiſti. Illa enim gallina diuina ſapientia eſt: ſed aſſumſit carnem, vt pullis congrueret. Videte gallinam hiſpidam plumis, dimiſſis alis, voce fracta & quaſſa, & laſſa, & languida congruere pullis ſuis. Ouum ergo noſtrum, id eſt ſpem noſtram, ſub alis illius ponamus. Animaduertiſti fortè, quomodo gallina concîdat ſcorpionem. Vtinam ergo & ipſos blaſpemantes, in terra reptantes, de cauernis prodeuntes, & malè pungentes, illa gallina concîdat & deuoret, atque in corpus ſuum traÿciat, & in ouum vertat.*

Quod fit, quando peccatores, oſtenſis per fi- 11
dem periculis, ex ipſo timore remedia quærentes, & ſpem inuenientes, ac indè amare Redemptorem, odiſſe eius offenſam incipientes, pœnitentiámque agentes in filios adoptat, atq; ius vitæ æternæ donat, remiſsâ peccati iniuriâ, domitóque miluo illo, qui eos rapinæ ſuæ deſtinârat. Quàm miſeri, qui ſub his alis colligi nolunt? nolunt enim, ex inimicitia Dei, & ſta-

Digitized by Google

tu æternæ damnationis, euehi ad eam dignitatem, vt ſint filij & *hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti.* Nam in Chriſto Deus vnum hominem in filium naturalem aſſumſit, ita totâ Diuinitatis plenitudine in illum refusâ, atque vnitâ, vt per eundem adoptet, filióſque Dei efficiat omnes eos, qui Chriſto, tanquam naturali Dei filio, per fidem, ſpem, & charitatem, pérque ſacramenta, tanquam *palmites viti*, inſeruntur. Etſi enim charitas dilectióque per ſe, aut vi ſua naturali, nequeat nobis dare boni dilecti poſſeſſionem, neque efficere, vt illud ſit noſtrum bonum, & intra nos conſtitutum; ex benigna tamen Dei ordinatione (tanquam vinculum quo ſpiritus Dei nobis vnitur, & in nobis permanet, aut velut vltima diſpoſitio meritumúe de congruo, Deum alliciens, vt nobis ſpiritum ſuum donet) filios nos Dei efficit.

III. Itaque qui, velut pullus, ſub alas Chriſti conuolat, & *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 1. Io. 4.* hoc eſt, manet in vnione cum Deo, & Deus manet in ipſo, tanquam eius ſpiritus, & diuinum donum vitam illi impertiens. Quàm primùm enim quis Chriſto inſeritur, etiamſi antea *ſcorpio* fuerit, in *ouum* Chriſti vertitur, & à Spiritu Chriſti, qui eſt eius diuinitas, velut animatur, & viuificatur, adeóq; filius Dei efficitur.

Qui

Qui enim ſpiritu Dei aguntur; hi ſunt filij Dei, IV.
Rom. 8. 14. Eodem enim ſpiritu viuunt, ait Leon. Leſſ. *l. 12. de diu. perf. c. 11.* (Vide etiam Suar. *l. 6. de Grat. c. 2. n. 5. & l. 12. de Trin. c. 5. n. 12.*) *quo Deus ipſe, & quo Chriſtus filius Dei naturalis viuit: etſi hic Spiritus diuerſo modo iſtis communicetur: perſonis enim diuinis communicatur per identitatem, idque vel immediata neceſſitate, vt Patri; vel per æternam generationem, aut ſpirationem, vt Filio, & Spiritui ſancto: humanitati verò Chriſti per hypoſtaticam vnionem; nobis per quandam extenſionem, qua, mediante dono gratiæ iuſtificantis, incipit eſſe noſter ſpiritus, noſtra vita, nos inhabitans, ornans, mouens, regens, & omnes vitales functiones Deo placentes in nobis excitans & edens. Itaque hoc Spiritu diuinæ perſonæ viuunt naturaliter, cum ſit illorum eſſe, & vita naturalis: humanitas Chriſti quaſi naturaliter, propter ſubſtantialem vnionem: nos verò omnino ſupernaturaliter. Eſt enim vita noſtra, vt ita dixerim, ſuperuitalis, & eſſentia ſupereſſentialis.* Quod ſanè diuinus Spiritus non facit immediatè, per ſe nos informando, ſed per dona gratiæ, ſiue per gratiam habitualem, quam nobis infundit. Itaque, vt quis ſit filius Dei, non debet eſſe ſpiritus diuinus, aut illo tanquam forma informari, ſed debet illum habere inhabitantem, & per gratiam habitualem vnitum. Tum dicitur talis non iam *ſcorpius*,

ſed diuinæ *gallinæ ouum*: non *filius gehennæ*, ſed Dei. Ceterùm quàm aptè ſe Chriſtus gallinæ compareret, oſtendit eleganter, in doctiſſimo & accuratiſſimo ſuo opere *part. 1. Conc. 4. de S. Stephano* Matthias Faber, vir clariſſimæ eruditionis.

Si Gallina Deus, peccator Pullus & Ouum;
Ah quàm non ſoboles digna parente ſumus!

Ovorum

Digitized by Google

Ovorum defenſio, ſui proximíque dilectio.

EMBLEMA XXIII.

SICVT CVRA MEI, SIC EST MIHI CVRA MEORVM.



Ciconiæ, ait Claudius Ælian. *lib. 1. de hiſt. animal. c. 37. ouis ſuis perniciem molientes Veſpertiliones ſapientiſſimè vindicant. Quũ hæ itaque ſolo ſuo contactu oua ipſa ſterilia efficiant, hoc remedio utuntur ciconiæ. Platani folia in nidos ſuos inferunt, ad quæ accedentes Veſpertiliones, torpore comprehenſi perniciem afferre non queunt.* Ita amor prolis auem docet, non ſolùm roſtro contra hoſtem dimicare; ſed etiam artes colere, modóſque varios inuenire, quibus res 1.

Digitized by Google

efflictim amata in incolumitate conſeruetur.

XI. Scilicet, vt Veſpertilio ex *ouo* non venit, *Plin.lib. 10.c. 61.* & tamen auium aliarum *oua* perdit, ita *rectores tenebrarum Eph.6.12.* nec ipſi bonarum cogitationum, affectionúmque *oua* pariunt, nec ſine inſidijs abire ſinunt, ſi alij pepererunt. Sed noſtrũ eſt, ſicut nos ipſi ſub gallinæ alis, contra miluium Acheronticum, protegimur, ac fouemur, ita, contra eiuſcemodi Veſpertiliones, alios quoque protegere, ac fouere, imitaríque ciconiam, etiam ob alios mores ab antiquis dictam *pietaticultricem*. Immo officij noſtri eſt, vt filij Dei efficiamur, ritu ipſius Dei, proximo curando, remedia excogitare. Hoc quippe eſt, filium Dei eſſe, Dei virtutem imitari; hoc Deo charitate connecti, ſi charitate proximo connectamur.

XII. Hæc eſt altera diligendi formula: *Dilige proximum tuum, ſicut te ipſum, Luc.19.18.* Nos ipſos autem ita diligimus, vt & à Deo, & à proximo protegi cupiamus. Quare meritò dictum eſt: *omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Matth.7.12.* Non ergo verè diligit proximum, qui non, vt res ſuas, ita etiam defendit alienas. Nec Deum quidem verè diligit, qui non diligit proximum, cum, teſte S. Auguſt. *l.8. de S.Trin.c.8.* dilectio Dei, tanquam cauſſa, dilectionem proximi in ſe contineat.

neat.

neat. Quiſquis enim verè Deum diligit, etiam quæ Dei ſunt, propter Deum, diligit; immo & mandatum Dei diligit ſeruátque, qui Deum diligit. Hinc *1. Ioan. 4. 20.* dicitur: *Si quis dixerit, Quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt, qui enim non diligit fratrem ſuum, quē videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.*

Ciconiæ ſanè ſe ipſas, in prole, amant, cum Platani folia, naturæ induſtriâ, contra Veſpertiliones adhibent. Et homines quoque, vt ſe ac *oua*, pignoráque ſua tueantur, quid non animo adinveniunt? At hæc eſt menſura charitatis, vt eâdem diligentiâ utantur, in alio quoque proximo, proximíque rebus tuendis. At quis eâdem induſtriâ proximum curat, qua ſe ipſum, aut ſuos? Quem tamen proximum *qui diligit, legem impleuit, Matth. 7. 12.* quia *plenitudo legis eſt dilectio. Rom. 13. 8.* & *finis præcepti eſt charitas. 1. Tim. 1. 5.* IV.

Etſi enim duo charitatis præcepta, nempe *diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*, &: *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum*: ac *in his duobus mandatis uniuerſa lex pendeat & prophetæ*; tamen non ſolùm omnia mandata cetera huc tendunt, vt Deum diligamus, quantùm poſſumus, & V.

omnia bona, quæ nobis ipſis optamus, optemus & proximo; ſed etiam hæc ipſa duo mandata ita ſe mutuò velut catena trahunt, adeóque ſequaciter inferuntur, vt verè *qui diligit proximũ, legẽ impleat.* Qui enim Deum diligit, diligit pertinentia ad Deum, eiúſque mandata obſeruat. Et *ipſe Chriſtus dixit*, ait S. Auguſtin. *tract. 9. in 1. epiſt. Ioan. 4. 20. Dedi vobis præceptum, vt diligatis inuicem: quomodo diligis eum, cuius odiſti præceptum? Quis eſt, qui dicat: Diligo Imperatorem, ſed odi leges eius? In hoc intelligit Imperator, ſi diligis eũ, ſi obſeruentur leges eius per prouincias. Lex Imperatoris quæ eſt? Mandatum nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis? Dicis ergo te diligere Chriſtum? ſerua mandatum eius, & fratrem dilige. Si autem fratrem non diligis, quomodo eum diligis, cuius mandatum contemnis?* Ergo qui diligit Deum, diligit proximum, quia ſeruat Dei mandatum.

VI. Sed & qui diligit proximum, diligit Deum. Nam, *vt perfecta iuſtitia ſit diligere proximum, Deum in cauſſa habere neceſſe eſt*: inquit S. Bern. *tract. de dilig. Deo, alioqui proximum purè diligere, quo modo poteſt, qui in Deo non diligit? Porrò in Deo diligere non poteſt, qui Deum non diligit. Oportet ergo Deum diligi priùs, vt in Deo diligi poſſit & proximus.* Qui enim proximum propter Deum diligit, Deum magis diligit. *Propter quod enim*

unum-

vnumquodque tale, illud magis tale eſt. 1. Poſt. c. 2. Ariſt. Hinc fidenter & verè ait Apoſtolus: *Gal. 6. 2. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Illud neceſſe eſt ergo, vt *onera alterius* portemus, & eum diligamus, etiamſi ſit nobis oneroſus. Proximus enim eſt *omnis homo,* teſte S. Auguſt. *Serm. 59. de temp. Omnes proximi ſumus conditione terrenæ natiuitatis, & mortalitatis, & etiam ſpe cæleſtis hæreditatis: quia neſcimus quis quid futurus ſit, quoniam aut Iudæus, aut hæreticus, aut Paganus, fortè enim per miſericordiã Dei conuertetur ad Deum, & inter ſanctos primum locum habere merebitur.* Diligendus eſt ergo, & res eius haud aliter defendendæ, quàm noſtræ; hoc eſt, ſicut ciconia ſua *oua* defendit viribus, induſtria, vigilantia, à quibus ſterilitatem omni ſtudio amolitur. Hæc eſt menſura proximum diligendi, vt eum ſicut nosipſos, diligamus. O quantum à menſura hac quotidie abſcedimus! non ciconiæ, ſed noctuæ appellandi!

Vt ſe quisq; iuuet, quas non excogitat artes?
Alterius cauſsâ, quàm citò feſſus erit?

Ova calore, opera charitate promota.

EMBLEMA XXIV.

SI CALEAS INTVS, NVLLA NOCEBIT HYEMS.



1. D*Ecimo ſexto anno regni Dauidis Scotorum regis: ſalutis autem anno* M. CCC. XLVII. *in Albione inſula, oues non pepererunt, corui atq; monedulæ hyeme quidem pullos eduxerunt, æſtate non.* ait Hieronym. Cardanus *lib. 2. de rer. Variet. c. 13*. Deinde rationem naturalem ſubiungens, *cur hyeme corui oua poſuerint, æſtate autem minimè*, ait: *Quoniam calida fuit ea hyems, & præcox, vt ita dicam. Aues autem calore oua edunt. Vnde & ars docet ruſtica, oua gallinarum plurima hyeme habere, ſi in calido loco alantur.*

Quid

Quid igitur mirum eſt, calidam temperiem cæli a-ues ad pullos edendos excitaſſe? tum maximè, ſi cibi calidi acceſſerunt? Et paulò poſt: *Ita arbores quaſdam igne fouemus in hyeme. Exhauſtis igitur viribus in hyeme, nihil mirum eſt, aut fuit, aues in æſtate ceſſaſſe.* E qua hiſtoria, haud obſcurum eſt arbitrari, ſi cum partu etiam vires creuiſſent, geminato calore, fœcunditatem quoque fuiſſe geminandam.

Sicut prorſus quidquid ex calore charitatis fit, apud Deum, meretur augmentum charitatis. Quàm enim quiſque plurimis illum ſtudijs colit ac amat, tam maximè donis ille præmiiſque ſolet redamare; amat enim amantem, immo prior diligit, vt diligatur, itáque dilectus flammam refundat luculentiorem. Ergo, vt calor *oua*, ſic charitas opera promouet; quæ quia non adimunt, ſed addunt charitati vires; ſemper creſcunt, ſi ſinantur creſcere. *Probatio dilectionis*, ait D. Gregorius, *hom. 30. in Euang. exhibitio eſt operis: Verè enim diligimus: ſi, ad mandata eius, à noſtris nos voluptatibus coarctamus.* Si enim, vt docet S. Auguſtin. *l. 3. de doctr. Chriſti. c. 10.* charitas eſt *virtus diuinitus infuſa, qua Deus propter ſe diligitur, proximus autem propter Deum*, nonne velut ignis facit nos calere, immo ardere? hoc eſt, Deum & proximum ardenter diligere? & tantò ardentiùs proximum, quantò ar- II.

dentiùs

dentiùs ipſum Deum? Pulchrè Dorotheus *diſcurſ.6. de non iudicando*, & S. Bonau. *in ſtim. p. 2.c.7.* docent, ſicut duæ lineæ à circumferentia ad centrum ductæ, eò ſibi, quò centro fiunt viciniores; ita arctiùs inter ſe ſemper coniungi eos homines, qui arctiùs Deo coniunguntur. Itaque pari gradu creſcunt Dei proximíque dilectio.

III. Quid autem eſt illud, *Deum & proximum diligere*, niſi ad Dei honorem, & proximi ſalutem opera multa, velut *oua*, producere? Hoc charitatis calore impletus S. Franciſcus Xauerius, cum Deus illi oſtendiſſet, quantum pro eius honore laboris ſupereſſet exhauriendum, ingenti pectoris æſtuantis ſingultu ingeminauit illud: *Ampliùs Domine, ampliùs*: *Ignis* iſte *nunquam dicit ſufficit. Prou. 30. 16.* Semper *plus*, *ultra* quærit. Quare meritò D. Bern. *tract. de diligendo Deo.* ait: *Cauſſa diligendi Deum, Deus eſt, modus, ſine modo diligere.* Qua de cauſſa *toto corde animáque*, & *omnibus* eum *viribus diligere* iubemur. *Matth. 22.35.* qui eſt modus ſine modo: proximos autem eo modo; quo nos ipſos diligimus.

IV. Itaque tam proximi, quàm Dei dilectio (velut calor frondes, aut *oua*) opera charitatis producit. Quid enim cupimus, ſi cupimus nos diligi? nempe nobis benè optari, & fieri ab altero. Ergo & Deum tunc demum, aut proximum, di-

ligi-

ligimus, ſi ei, bona optemus, & quà fas eſt, exhibeamus. *Charitas Dei dicta eſt*, ait S. Aug. *l. de Spir. & lit. c. 32. diffundi in cordibus noſtris, non qua nos ipſe diligit, ſed qua nos facit dilectores ſuos; ſicut iuſtitia Dei, qua iuſti eius munere efficiamur; & Domini ſalus, qua nos ſaluos facit, & fides Chriſti, qua nos fideles facit.* Vbi de habitu diligendi ſermo eſt, qui à Deo in cor noſtrum diffunditur, ſicut calor cæleſtis in plantas, vel animantes; vt frondeant, vel pariant.

Ex iſto diligendi habitu, poſtea actus diligendi effunditur à corde noſtro, in Deum & proximum; quia teſte Apoſtolo *1. Tim. 1. 5. finis præcepti charitas*; ſeu opera Charitatis; eò etiam tanto potentiora, quia vis eorum quodammodo duplicatur, cum & ab altero, qui amatur, aliquid accedat. Idem enim vult: & *Non caret effectu, quod voluêre duo.* Porrò nemo amante minùs eſt ocioſus: nec vlla res vehementiùs agit quàm charitas. Cuius opera, velut *oua*, producentis, illuſtre exemplum recenſet Ruffinus Aquileienſis Presbyter *c. 5. libri, qui de vitis Patrum eſt.* In vrbe enim refert, Thebaidis Oxyrincho, ciues tanto omnes inter ſe charitatis incendio arſiſſe, vt religioſorum potiùs, quàm ciuium ſeptum, & cœnobium quàm vrbs fuiſſe videretur. Primores huius ciuitatis ne negligerent opera charitatis, certos ſolebant conſtitue- V.

re,

Digitized by Google

re, qui in aditu ac portis ciuitatis, totos dies excubarent; & quemadmodum alij ſe occultant, ad hoſpites declinandos; ita illi, multóque magis inuigilarent, ad aduenas excipiendos; ſaliebántque gaudio, ſi peregrinos nacti eſſent ad hoſpitia deducendos. Tantáque flagrabant paſſim omnes charitate, vt certatim quiſque domum ſuam pertrahere niteretur, quem nouum, in præſens, hoſpitem vidiſſet aduenisse. Quod & ab Abraham, ac Lotho patriarchis legimus factitatum, qui præ foribus peregrinos operiebantur, & ad ſe diuertere cogebant. Nunc fores clauduntur, & dominus domi eſſe negatur; immo ſi fortè, per feneſtram proſpiciens, arbitratur ſe non noſci, ipſe ſe negat eſſe domi. Quod homines nunquam facerent, niſi frigidi eſſent, & totam hyemem in corde ferrent, loco charitatis.

Cum calor ingentes doceat perferre labores,
Quàm meritò frigus dicitur eſſe pigrum?

Oua

Digitized by Google

Ova plumis fota, miſericordiæ ſymbola.

EMBLEMA XXV.

FIAM LIBENTER NVDVS, VT CHRISTVM TEGAM.



Viuere palumbes ad XXX. *annum, aliquos ad* XL. *habemus autores,* ait Plin. *lib. 10. c. 35. Nigidius putat, cum oua incubat, ſub tecto nominatam palumbem relinquere nidos. Pariunt autem poſt ſolſtitium.* Hæc ille, ſolſtitium hibernum, intelligens. Nam Andr. Alciatus, *embl. 193.* hos verſus habet: 1.

Ante diem vernam boreali cana palumbes
Frigore nidificat, præcoqua & oua fouet:
Mollius & pulli vt iaceant, ſibi vellicat alas.
Queis nuda hiberno deficit ipſa gelu.

Alio-

II. Aliorſum hæc ille, in Medeas, & Prognas ſcilicet, matréſque in propriam ſobolem crudeles vibrat. Ego opera miſericordiæ nos eo exemplo doceri extſtimo: qui ſi *miſericordes* fuerimus in homines, miſericordiam Dei inveniemus, nec iam longâ tantùm cum palumbe, ſed æternâ etiam vitâ digni. *Matth. 5. 7.* Neque ſine cauſſa dixit Saluator. *Luc. 16. 9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cùm defeceritis, recipiant vos ad æterna tabernacula.* Quo pacto autem amicos facere poſſumus tales; aut miſericordiam exhibere luculentiùs, quàm vt, palumbem imitati, plumas & alas nobis vellamus, noſque ipſos nudemus; vt pauperes Chriſti integamus?

III. Præceptum id eſt, ſub æterni ignis comminatione, arbori fructum bonum non facienti, latum. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi*, ait Ioannes *1. Ep. 3. 17.* & *viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* Et *Luc. 3. 33. Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.* Merces verò cælum, pro tunica, promittitur. *Tunc* enim, vt eſt *Matth. 25. 34. dicet rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: eſuriui enim & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere:*

Digitized by Google

bere: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & cooperuiſtis me &c. Quidquid enim pauperi fit, fit Chriſto.

Quod vel in S. Turonenſi Epiſcopo, Martino apparuit; qui adhuc Catechumenus, cum Ambiani mendicum ſua veſte texiſſet, vt eſt apud. *Sur. in eius vita*, vidit poſtea ipſum Chriſtum, in eadem veſte, & audiuit dicentem: *Hac me veſte Martinus Catechumenus contexit.* Illud quoque fuit haud paullo memorabilius, quod de S. Ignatio noſtro, veſtem precioſam exuente, eámq; pauperculo donante, vt ipſe vili pannucia, ſaccóque contectus incederet, refert Ribad. *lib. 1. cap. 4.* Ob hanc, & multas præterea cauſſas, in pauperes benigni fuêre Franciſcus, Eduardus, Oſwaldus, Gregorius, Iulianus, Chryſoſtomus, & Otho Bambergenſis Præſul, Bernardinus, & vel maximè Ioannes Eleemoſynarius. IV.

Immò ipſe S. Paulus, cuius *2. Cor. 8. & 9.* illa ſunt: *In præſenti tempore, veſtra abundantia, illorum inopiam ſuppleat: vt & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum.* Plura etiam *1. Cor. 16.* Et S. Gregorius uterque, Nazianzenus, & Nyſſenus, quorum ille unam, iſte duas *orationes de pauperibus amandis*, ſcripſit. Quos iuvare, multis nominibus præclarum eſt, tametſi miſericordia, cuius eleemoſyna actus eſt, finem aliū V.

K non

non habeat ex natura ſua quàm vt quoquo modo miſerorum miſeriam ſubleuet, hæc tamen ipſa ſubleuatio multos habet effectus, & priuilegia, quæ totis oſtijs in hominem miſericordem immittuntur.

VI. Nam I. Colitur hoc genere Deus, tanquã hoſtia: immo, vt eſt *Prov. 21. 3. Facere miſericordiam, magis placet Domino, quàm victimæ.* II. Miſericordia *ipſa eſt, quæ purgat peccata*, ait Raphaël *Tob. 12. 8. & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam.* III. Cur ergo non etiã mortem felicem? *Pſal. 40. 1. Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* IV. Cur non judicium clemens? *Matth. 25: 34. Eleemoſyna*, enim teſte Chryſ. *hom. 33. ad pop. Christi adſtat tribunali, non tantùm patrocinans, verùm & ipſi perſuadens Iudici, vt reo patrocinium præſtet, & pro eo ſententiam ferat: & licet millies peccauerit, coronat, & victorem promulgat.*

VII. Hinc refert *hom. 32. in Euang.* S. Gregorius, duos Martyres, peregrini habitu, piæ cuidã feminæ apparuiſſe, quæ pro more eleemoſynam porrigeret, itáque eam affatos eſſe: *Nobis modò opitularis, tibi nos extremo, & periculoſiſſimo Mundi die opitulabimur.* V. Non Purgatoriũ tantùm, ſed Gehennæ quoq; flam̃am exarmat. *Eccli. 3. 33. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna*

reſi-

reſiſtit peccatis. VI. Adeò Numini placet eleemoſyna, vt Apoſtolus *Phil.4.18.* eam vocet *odorem ſuauitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo.* Vis videre, quàm placentem? Ribadeneira *in vita S. Catharinæ Senenſis* ſcribit, eam, cum ei aliud nihil eſſet ad manum, crucem argenteam pauperi dediſſe; cum qua proinde Chriſtus Catharinæ ſe ſpectabilem dederit, addideritque, ſe illam olim crucem, in extremo Iudicij die, toti Mundo oſtenſurum.

VII. Cæli minacias placat, ianitores conciliat. Chryſoſt. *hom. 36. ad pop. Tanta vis eſt eleemoſynæ, cum multa fiducia ſuos introducit alumnos: eſt enim cæli nota ianitoribus ſponſalis thalami fores obſeruantibus, quin & venerabilis &c.* Hinc rex Franciæ Robertus, teſte Baron. *Ann. 1033. & Bodin. lib. 6. de Repub. cap. 2.* quocunque iret, plauſtra pauperum circumvehebat, tanquam exercitum, vt aiebat, quo cælum iret expugnatum: Dicebátque, *hoc eſſe genus hominum, quibus Deus cæleſtis regni portas tradidiſſet, ijs aperiendas, qui in ipſos miſericordiæ viſcera priùs aperuiſſent.* IIX.

IIX. Deum imitatur, & *ubi Deus curam miſericordiæ inuenit,* ait S. Leo *Serm. 10. de quadrag. ibi imaginem ſuæ pietatis agnoſcit.* IX. Miſericordia, dum dat, nihil perdit; multùm, imò centuplum lucratur. *Prov. 28. 27. Qui dat pauperi, non indigebit: qui deſpicit deprecantem ſuſti-* IX.

nebit penuriam. Luc. 6. 38. Date, & dabitur vobis. Vnde eleemoſyna ſemen vocatur. *2. Cor. 9. 10.* Exempla ſunt, *in vita S. Ioan. Eleemoſynarij, apud Sur. tom. 1. Sophronium Prat. ſpir. cap. 195. & c. 185.* & alios. Illud ſolùm aduertas velim, ne Palumbem liberalitate tantùm, ſed etiam humilitate imiteris; ſed ex illa fabula, in qua *Nigidius putat, cum oua incubat, ſub tecto nominatam palumbem relinquere nidos,* hiſtoriam facias; nec nominari cupias, aut *tuba ante te canas, cum facis eleemoſynam. Matth. 6. 2. ſed te faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra, quid faciat dextera tua.* Dare, vt dare videaris, non eſt pauperum miſereri, ſed ventos aucupari; nec cælum, ſed laudes emere, ah nimis citò perituras.

Vt benè ſit pullis, proprias è corpore plumas
Vellere, ſollicitæ non dubitatis aues.
Quid faciunt homines? auibus contraria. Sæpe hos,
Vt caleat nidus, pluma aliena tegit.

Ovó-

Ovorum coctio, & diuini Amoris acquiſitio inter ſe ſe pariantur.

EMBLEMA XXVI.

HIS ARTIBVS OVA CALESCVNT.



E Xiſtimant quidam, diuturna rotatione oua funda impoſita excoqui: quod Babylonios feciſſe comperio, teſte Cœlio Rhodigino. Sed non eſt difficultas excoquere, ſi rotentur celerrimè: verùm vt tam diu celeritérque rotentur, labor. Cardan. *l.7. de rer. Var. c. 39.* Et ſubſcribit Vlyſſes Aldrouandus *lib. 14. Ornitol. c. 1.* his verbis: *Præter iam dictos ſimplicis coctionis modos, vnus ſupereſt, quo Babylonios venatores vſos Cœlius teſtatùr: is autem eſt talis: Oua cruda funda imponebant, & tam diu rotabant, donec ex eiuſcemodi mo-* I.

tu coquerentur. De hac autem circumactione, vibratione, ſeu vertigine aſſidua, qua *oua* rotata coquebantur, Cœlius agit *Antiq. lect. 5. c. 12.* itémque Suidas, & complures, qui non ſolúm laudant Babylonios, quòd *oua* ſine coquo & foco, ſed etiam eodem, quo pugnabant inſtrumento, præpararent. Libya quoque ne, vt in prouerbio accuſatur, *ſemper adferre mali quidpiam* videatur; in ardenti ſabulo, areníſque æſtuantibus *oua* coquit. Alij refuſis de ſpeculo concauo radijs, *ouum centro radiorum admotum*; alij, *in calce viuâ, affuſione frigida ad calorem excitatâ*, coquunt. Alij alijs modis, *ſub cinere, ſub axilla* &c. id conſequuntur.

II. His ijſdem ferè modis homines diuina charitate incaleſcunt. I. Si à fortuna alijſúe caſibus rotentur, tum enim Deus dulceſcere, cum Mundus amareſcere incipit. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine. Pſ. 82. 17.* II. Si, vt *ouum*, nos rotari ſinamus; & patientia fulti, à charitate nos ſeparari non ſinamus. Hinc *charitas patiens eſt*, S. Cypr. *l. de bono patient.* *Tolle charitati patientiam, & deſolata non durat.* Sanè nec proximo *ſeptuagies ſepties* ignoſcere, nec *cum eo pacem ſeruare*, nec *inimicum diligere* quis poteſt, ſi non *oui* inſtar ſinat ſe rotari, omniáque velit ſuſtinere. Quod ſi ſuſtineat, ſentiet ſe ſemper magis magíſque incaleſcere, & plura pati velle.

III. Si

III. Si velut à ſpeculo radium, ita à proximo recipiat charitatem. Teſtatur, *poſt Metaphraſtem 14. Maij. Baron. An. 318.* S. Pachomiũ adhuc militem, & nulla tum fidei noſtræ arcana doctum, ea re maximè ad Chriſtum & Chriſtianam religionem adductum, quòd videret Chriſtianorum charitatem; tum ſcilicet, cum Conſtantini Magni militibus ſtipem & annonam, quæ eos defecerat, quærentibus, videret quoſdam, ſingulari beneuolentiæ ſignificatione, paſſim certatímque in domos ſuas ultro inuitantes, & neceſſaria omnia offerentes; peregrinam hanc & inſuetam vulgò liberalitatem admiratus, quæſiuit: *Ecquodnam id genus hominum, tam præter conſuetudinem communem beneficum?* Vbi, Chriſtianos eſſe, intellexit. *Pape,* inquit, *non poteſt, non optima eſſe religio, quæ ita ad charitatem inſtituit homines; eam ergo complecti quid vetabit?* Innumera ſunt veteris & noui Teſtamenti exempla, quibus oſtenditur, Deum miſsâ cælitus charitate, velut *ignitis linguis*, homines, per homines incendiſſe. III.

IV. Si, velut affusâ frigidâ latens in calce æſtus extinguitur; ita prauæ cupiditates, amórq; proprius mortificetur, qui amori diuino è diametro repugnat. Clarè S. Aug. *l. 14. ciuit. Fecerunt,* inquit, *ciuitates duas amores duo, terrenam ſcil. amor ſui vſque ad contemptum Dei; cæleſtem* IV.

verò amor Dei vſque ad contemptum ſui. Denique illa in ſe ipſa, hæc in Domino gloriatur. Illa enim quærit ab hominibus gloriam, huic autem Deus conſcientiæ teſtis maxima eſt gloria. Extincto igitur amore ſui, velut *calce viua aquis perfuſa*, calor ſubit diuinus. Quod teſtatur idem Auguſtinus *lib.83.qq.q.36.* dicens: *Nutrimentum charitatis, eſt imminutio cupiditatis: perfectio, nulla cupiditas. Quiſquis igitur eam nutrire vult, inſtet minuendis cupiditatibus.*

V. V. Si, vt *oua* ſub cineribus caleſiunt & coquuntur, ita per humilitatem, veniamus ad charitatem. *In nullo enim hæ virtutes*, ait S. Ambroſ. *ep.84.l.10. ab inuicem diuiduntur, & ambarum tam indiſcreta connexio eſt, vt qui in vna earum conſtruitur, ſimul vtraque potiatur. Sicut enim pars charitatis eſt humilitas, ita pars humilitatis eſt charitas. Et ſi illa recolamus, quæ ſine bono charitatis infructuoſa eſſe Apoſtolus definiuit, inueniemus eadem ſimilem habere charitatem, ſi eis humilitas vera defuerit. Quem enim fructum habebit, aut cum inflatione ſcientiæ, aut cum humana gloria fides, aut cum iactantia largitas, aut cum elatione Martyrium?* Et S. Aug. *ſer.10.de verb. Dom. cogitantem magnam fabricam conſtruere celſitudinis, de fundamento priùs* iubet *cogitare humilitatis*, nam iuxta *1.Cor.13.5. Charitas non inflatur, non eſt ambitioſa.*

VI. Si,

Digitized by Google

VI. Si, velut *oua*, ſub alis Chriſti crucifixi calefiamus, & ſemper memores, nos Deo incoram aſſiſtere, beneficia eius perpendamus. S. Bern. *ſerm. 20. in Cant. Eſt quod me plus mouet, plus vrget, plus accendit. Super omnia, inquam, reddit amabilem te mihi,* IESV *bone, calix, quem bibiſti, opus noſtræ redemtionis. Hoc omnino amorem noſtrum facilè vendicat totum ſibi, &c.* Plus enim in Mundo reparando, quàm fabricando laborauit. In digito nos condidit, in brachio redemit. VI.

Ecce quot, & quantis oriuntur ab artibus ignes!
Quàm varijs fas eſt incaluiſſe modis!
Sæpe ſerena dies diuinum accendit amorem,
Sæpe hic ex ipſis naſcitur ignis aquis.
Non homo, ſed glacies ergo eſt duriſſima, quiſquis
Inter tot flammas frigidus eſſe poteſt.

Digitized by Google

Ouum inſulſum, inſulſus & imprudens homo.

EMBLEMA XXVII.

QVANDOQVE ANIMA PRO SALE, QVANDOQVE SAL PRO ANIMA EST.



1. CVm Iob *cap. 6. v. 6.* oſtendere vellet, ſe inter tot adverſa, meritò aliquid ſolatij quæritare, dixit: *Aut poterit comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditum?* quaſi ita argumentaretur; ſi nemo non in *ouo*, alioqui lacteo & delicatiſſimo nutrimento, ſalem ſaporémque quærat; immeritò contra me ſtomachamini, qui non deliciarum, ſed malorum meorum quæro condimentum. Eo enim in loco, *iuxta Hebræum R. David, R. Leui. Pagnin. Regia* ita legunt: *Aut*

eſt

eſt ſapor in ſaliua, vel in albumine oui, aut uitelli? Scilicet liquidum & pellucidum, inſtar ſaliuæ in *ouo*, eſt *albugo*; craſſius quod eſt, vitellus eſt. Sicut ergo *album*, aut *croceum oui*, etſi ex ſe alimentum præbeat lacteum, temperatiſſimum, & nutritioni aptiſſimum, miniméq; excrementoſum, tamen ſine ſale aceſcit, & ſtomachum mouet.

Ita nulla etiam virtus ſine ſale ſapientiæ ſapit; & vt Iuuen. *ſat. 10.* canit. *Nullum Numen abeſt, ſi ſit prudentia.* Eam ob cauſſam *Eccli. 32. 24.* dicitur: *Fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebit.* Et Ariſtoteles *6. Eth. 13*: *Conſtat neque propriè bonum eſſe ſine prudentia, neque prudentem ſine morali virtute quempiam eſſe.* Tullius quoque *2. Tuſcul. Sine prudentia*, ait, *ne intelligi quidem ulla virtus poteſt.* S. Bern. *Serm. 49. in Cant.* idem docet, his verbis: *Tolle diſcretionem, & virtus vitium erit, ipſáque affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur exterminiúmque naturæ.* Idem tradit S. Auguſt. *lib. 1. de morib. Eccl. c. 24.* additque prudentiæ excubias eſſe, atque diligentiſſimam vigilantiam, *ne ſubrepente paulatim mala ſuaſione fallamur.* Quin, teſte Caſſiano *Collat. 2. c. 4. Omnium virtutum generatim, custos, moderatrixque, diſcretio eſt.* Ac D. Ambroſius *lib. 1. de offic. c. 24.* affirmat, ſcriptores virtutum Cardinalium, primo II.

loco,

loco, conſtituiſſe *prudentiam*, *quæ in veri veſti-gatione verſatur*, *& ſcientiæ plenioris infundit cu-piditatem*. Eſt enim prudentia, vt ſcribit S. Aug. *lib. 83. qq. q. 31. rerum bonarum, & malarum, & neutrarum*; ſeu, vt vult *lib. de lib. arb. c. 13. ap-petendarum, vitandarumúe ſcientia*.

III. Cuius idem S. Pater, *priore loco*, tres ponit partes. Prima eſt memoria, *per quam animus re-petit illa, quæ fuerunt*. Secunda *intelligentia*, *per quam ea perſpicit, quæ ſunt*. Tertia *prouidentia*, *per quam futurum aliquid videtur antè, quàm fa-ctum eſt*. Adiungit S. Thom. *2.2. q. 49. docilitatẽ*, qua conſilijs audiendis, libris legendis, vel ex-perimentis capiendis, diſcimus, quid ſit, agen-dum: *ſolertiam*, quæ eſt celeris coniectatio; *ra-tionem*, ſeu cognitionem vnius ex alio; *circum-ſpectionem*, ſeu accuratam circumſtantiarum conſiderationem: & *cautionem*, ſeu adverſus mala bonis conſilijs obſtantia proviſionem.

IV. His prudentia conſtat, quæ ad tres diver-ſas actiones ſuas faciliùs parturiendas, teſte Phi-loſopho *6. Ethic. c. 9. & 10.* tres habitus ſecum affert: *Eubuliam*, quæ iuuat in medijs, ſeu con-ſilijs, ad finem obtinendum inveniendis: *Syneſin*, quæ iuuat, vt bene iudicemus de ijs, quæ lege aliqua definita ſunt: *Gnomen*, qnæ acuit judi-cium, in ijs, quæ nulla lege conſtituta, tamen in praxin veniunt. Ita actiones prudentiæ ſunt

con-

Digitized by Google

conſilium de medijs, *iudicium* de electione aptiorum mediorum, itemque *imperium*, quem actũ præcipuum prudentiæ eſſe docet Ariſt. *6. Ethic. c. 5. & 8.* (licet recentiores eum actum eſſe dicant volũtatis, vide Theophil. Raynaud. *Moral. diſcip. diſt. 3. n. 428.*) quo ratio voluntati imperet, vt quod inventum judicatúmque eſt, exequatur.

Ex quibus fit clarum, id quod ſal eſt *ouo*, aut cibis ceteris inſulſis, eſſe quoq; prudentiam ceteris virtutibus. Hanc Chriſtianis omnibus eſſe perneceſſariam, oſtendit ritus ille, quo infanti, in baptiſmo, ſal in os inditur. Et Apoſtolis Mundo cæleſtem ſapientiam allaturis Chriſtus dixit: *Vos eſtis ſal terræ. Matth. 5. 13.* nempe id docuerunt, vnde Chriſti doctrinâ omnia aſpera condiantur, & vigorem acquirant. Quia *prudentia Spiritus, vita, & pax. Rom. 6. 8.* & vera prudentia, ſemper ſociam habet Dei cognitionem. *Fuit in S. Abraham primo loco prudentia*, ait, S. Ambroſ. *l. 1. de offic. c. 25. de quo dicit ſcriptura: Credidit Abraham Deo, & reputatũ eſt illi ad iuſtitiam. Nemo enim prudens, qui Deum neſcit. Deniq; inſipiens dixit, quia non eſt Deus.* Hac prudentia quia impij, & peſſimorum conſiliorum certi carent, meritò in eis dicitur, nec *mica ſalis* eſſe. Quod aliò dixit Catullus, cum dixit: *Nulla, in tam magno eſt corpore, mica ſalis.* Et fortè idcirco V.

quo-

Digitized by Google

quoque malus dæmon, etiam cum opiparam ſuis aſſeclis menſam inſtruit, plerumq; ſalem non apponit, vt vel hinc appareat, omnem illicitam voluptatem eſſe inſulſam, & rationi repugnantem: certè profanam, vt menſa eſt, ſine ſale. Ouidij. *1. Faſtor.* ſunt illa:

Antè, deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica ſalis.

Nunc Deum homini quod conciliat, prudentia eſt, ſine qua homo *ouum* eſt, ſed inſulſum.

Cur tot ſtulteſcunt homines? vis noſcere cauſſam?
Quòd delectentur, non ſale, ſed ſalibus.

Ovorum

Digitized by Google

Ovorum cuſtodia, iuſtitiæ doctrina.

EMBLEMA XXVIII.

ZELAVI SVPER INIQVOS. Pſal. 72. 1.



PRudentia ſine iuſtitia nocet, ait S. Ambroſ. *lib. 2. de Abraham.* Iuſtitiæ ſymbolum eſt aquila, quæ, quoad viuit, neque nidum, neque locum mutat, ſed vnoquoque anno ad eundem reuertitur. Ariſtoteles *9. Hiſtor. c. 32.* docet, *diuturnitate eiuſdem nidi viuacitatem declarari*; quod verum non eſſet, ni ei perpetuò idem eſſet. Quare, teſte Aldrouando, *lib. 1. ornith.* hinc obſeruatum eſt, aquilam alioqui bene conſtitutam, ob connatum tamen aërem, & domeſticum cælum, longè diutiùs viuere. Idem auctor *eod. lib. pag. 36.* poſt Plin. *l. 10. c. 3.* 1.

&

& Holcot. *in lib. Sapi. lect. 36*. de aquilis ſic loquitur: *maxima difficultate fouendis, ad excluſionem, ouis dant operam, nec omnino pullos excluſuræ eſſent, niſi Aëtitem lapidem in nidum importarent. Ipſæ enim adeò exæſtuant, vt oua prope excoquantur (incaleſcunt enim tantopere, ac ſi bulliant) quare neceſſe erat eius lapidis refrigerio feruorem temperari, & peculiari, qua pollet vi, accelerari partum. Et cum binos tantùm lapillos, nempe marem & feminam (vt quidam volunt) in nidum inferant, binos etiam tantummodo pullos pariunt. Alij ideò hoc fieri dicunt, vt lapidum pondere depreſſius firmiùs conſiſtat nidus.* Alij occultam vim lapidi ineſſe fingunt, contra ventos; contráque tempeſtates, à quibus nidum faciant immunē.

II. Hieroglyphicè, per aquilam, quæ lapidem in nidum, hoc pacto, infert, ſignificatur homo, qui alicubi firmas ſedes fixit; ſed maximè, qui ſe firmat æquitate. Nam hac ſe homo tuetur, contra iniurias, non iam cæli, ſed terræ, & hominum: hac nimium ardorem vindictæ temperat, ne vt Terent. *in Heautontim*; ait, *ius ſummum, ſumma* fiat *malitia*; & à ſella iudicis, ad ſcenam veniatur crudelitatis. Sine hoc lapide, videas nihili ferè cauſſa, ſeruos virgis variatos, aut loris bubulis variegatos; ſubditos, vſque ad ſanguinem emunctos; curias ipſas, non iuſtitiæ conclauia, ſed ſtabula ſæuitiæ nominari. Meminit

Digitized by Google

minit talis lapidis etiam, Lucan. *l. 6. Quæq́ ſonant fœtâ tepefacta ſub alite ſaxa*, & S. Hieronym. *in c. 65. Iſaiæ*, vbi hanc vim *amethyſto* tribuit, quæ gemma cenſetur non tantùm reſiſtere ebrietati, ſed etiam virulenta animalia à nido auerruncare. *Aëtites* autem etiam hodie parturientibus adhibetur, ad accelerandum partum, magnitudine *ouo* par, aut ferè maior, colore, vel rubeus, vel puniceus, vel cinereus. Hoc ergo, aut ſimili lapide, aquila *oua* temperat. Pro quibus etiam acriter pugnat cum dracone. *Hic aquilæ conſectatur oua*, ait Plin. *l. 10. c. 4. auiditate malefica, at illa ob hoc rapit, vbicunque viſum, draconem.* Idem *in Theriacis* ſcribit Nicander, & *l. 1. de diuin.* Cicero, eúmque imitatus Maro *l. 11. Æneid.* & Ouidius 4. *Metam.*

Iuſtitiæ itaque typus eſt aquila, & aquilæ tam nidus, quàm lapis, ardórque pugnandi. Si enim, vt poſt Ariſtot. *5. Ethic. c. 1. & 3. Politic. 5.* definit D. Ambroſ. *1. offic. c. 24. iuſtitia eſt, quæ ſuum cuique tribuit, alienum non vendicat, &c.* Profectò aquila ſuo nido contenta, nec, more iniuſtiſſimorum paſſerum, aut cuculi, ampliter habitatura, alienos nidos occupans, egregiè docet eos, qui per fas & nefas agrum agro, ſiluam ſiluæ, domum domui adijciunt, ſuis rebus contentos eſſe oportere; neque tam numero ædificiorum, & pratorum, ac latifundiorum, III.

quàm æquitate homines ornari. Pulchrè S. Aug. *in Pſ. 64.* illa verba: *Sanctum eſt templum tuum, mirabile in iuſtitia: Non dixit*, ait, *templum ſanctum tuum mirabile in columnis, mirabile in marmoribus, mirabile in tectis auratis, ſed mirabile in iuſtitia. Habes foris oculos, vnde videas marmora & aurum, intus eſt oculus, vnde videatur pulchritudo iuſtitiæ.*

IV. Hinc aquilæ nidus foris petra eſt, intus gemma eſt, *amethyſtus* ſcilicet, aut *aëtites*. Quid enim aliud *aëtites*, quàm ſcrupulus iuſtus & religio vellicans conſcientiam, refrigeranſque nimiam aut habendi, aut vindicandi cupiditatem? quæ *oua* conſiliáque ſancta omnia deſtruit, vbi non temperatur. Cuius rei tanta exemplorum occurrit multitudo, vt in hanc ſiluam ingredi non ſit conſultum; nî prolixus eſſe, nimiò ſtuderem. Multis certè lapides hi pondus addunt, vt nihil detrahant de ponderibus iuſtis; aut ut reſtituant, ſi detraxerunt. Denique vt eſt in *Proverb. 16. 11. pondus & ſtatera, iudicia Domini ſunt, & opera eius: omnes lapides ſacculi abominabiles regi, qui agunt impiè, quoniam iuſtitia firmatur ſolium*, ſicut nidus aquilinus.

V. Cum autem iuxta Philoſophum *5. Ethic. 1.* iuſtitia vel *particularis* ſit, quæ ius ſuum alteri reddit in particulari, vel *generalis*, quæ ſuum cuique tribuit, habito reſpectu ad bonum commu-

ne

ne Principis, vel Reip. quæ & *legalis* dicitur (eò quòd ſit conforme legibus, agere ea, quæ conducibilia ſunt communitati; ſiquidem leges ea præſcribunt, quæ communitati congruunt) fit ut iuſtitia ſubinde pro *ouis*, hoc eſt, pro particulari alterius iure; aliquando contra draconē, hoc eſt, contra publicum hoſtem Reip. debeat, more aquilæ, depugnare; neque verò parcere perniciosis. Iniuſtus enim eſt, qui patitur iniuſtos. Siquidem Iuſtitia etiam ita diuiditur, vt non tantùm *commutatiua* dicatur, qua quiſque rectè ſe habet, in commutationibus rerum, ſua cuique reddendo *ſecundùm Arithmeticam proportionem*; ſed etiam *diſtributiua* alia vocatur, quæ *ſecundùm geometricam proportionem* rectè diſtribuit, vel benè acta remunerando, vel malè geſta puniendo. Itaque non eſt innocens, quisquis diſſimulat nocentes. nec ſuccenſendum aquilæ, ſi perſequitur dracones.

Quisquis DRACONES *odit*, AQVILÆ *amet mores*.

Digitized by Google

Ova non è quovis cibo provenientia, & ab Americis vetita, Abſtinentiæ Temperantiæque præconia.

EMBLEMA XXIX.

OVA NOCENT QVANDOQVE, OVIS QVANDOQVE NOCETVR.



I. G*Allinæ vinaceis ſterileſcunt, hordeo ſemicocto, & plura pariunt oua, & maiora. Nihil autem melius hyeme, quàm locus tepidus, Sol, granaq́ calidiora, & vermes, qui è fimo oriuntur. Cardan. lib. 7. de rer. variet. c. 35.* Temperantiæ hæc effigies. Quanti enim, immo & quãtæ, non vinaceis, ſed vinis mediciniſque eſcarijs ſterileſcunt? cum interim, qui *hordeo ſemicocto* victitant, atq; viliſſimis ciborum, ſæpè ventre

tre ad inſaniam raſo, & corpore ſint firmiores, & vultu habitiore? Ananias, Miſaël, Azarias, contemto *cibo regio*, leguminibus veſcuntur, & aquam bibunt *Dan. 1.15. Poſt dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores, præ omnibus pueris, qui veſcebantur cibo regio*, quibuſq; ad menſam plenam roſtrum deligabatur.

Danieli *Dan. 14. 35.* in lacum Leonum à Deo, non ficedulæ, non perdices aut phaſiani mittuntur, ſed *meſſorum prandium, vt arbitror*, inquit Hieronymus, *ruſticanum*. Eliſæus 4. *Reg.* 4. 39. ad herbarum agreſtium dapes inuitat filios Prophetarum. Feſſo ſubter juniperum Eliæ per dapiferum Angelum epulas Monarcha cæli exhibet, 3. *Reg.* 19. 6. *Collyridam panis*, & pro maſſico, *vas aquæ*. Per totos 40. annos populus Iſraëliticus *mannâ & aquâ* ſatur vitam duxit, & robuſtus fuit: vix *Num. 11. 34.* carnes concupiuit, & mortem graſſari vidit. Ipſi primi parentes eorumq; nepotes, & pronepotes, ad duo annorum millia, arborum fructibus & terræ oleribus, vitam ſuſtinuerunt. Et quando homines aut fortiores, aut longioris ætatis fuerunt? II.

Quàm paternè monet Spiritus *S. Eccli. 37. 32. Noli auidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam, in multis enim eſcis infirmitas, & auiditas appropinquabit vſq; ad cho-* III.

ſteram. Quod vtique dici potuiſſet illi, de quo nonnemo ſcribit: *Dabo ego conuiuam, qui vna cœna ſorbere XXV* oua *poterat, & tamen eſurire. Ergo huic homini hecatombe ouorum opus erat, cuiuſmodi ferculum apud Athenæum Ephippus nominat, & cum bellarijs deuoratum.* Ad aliquod abſtinentiæ genus conſuefacere nos vult Eccleſia, cum certis temporibus, Ouis, lacticinijs, alijsq; nonnullis cibis interdicit. Contra quam prohibitionem ne quid fiat, rectè faciunt, & multi ex obligatione officij, qui ſoliciti ſunt.

IV. *Americis* (ait Henricus Salmuth *in tit. 1. lib. 2. Guidonis Pancirolli Nouor. Repert.*) *nullus ouorum in cibo vſus: quippe cum hæc pro venenatis habeant. Ideoq; non obſtupeſcunt tantùm, ſi quis oua coram illis ſorbeat; verùm etiam acriter eum increpant, quod minimè ferendum ſit, vt quis gallinam in ouo comedens pullationem anteuertat.* Quæ vltima ratio ſi valet, neque vitulinâ quidem veſci oportet, ſed expectandum erit, donec è vitulo bos fiat. Prior tamen cauſſa, etſi ex errore, & falſa veneni ſuſpicione naſcitur; tamen vtique oſtendit à cibis corpus occidentibus abſtinendum. Quantò magis ab illis, qui animæ mortem inferunt, non quia ipſi mali, ſed quia eorum vſus, contra Eccleſiæ præceptum, malus & venenatus?

V. *Non enim fratres, leue peccatum eſt*, ait S. Ambroſ.

Ambroſ. *Serm. 25. Fidelibus indictam Quadrageſimam à Domino, non ieiunare, & ieiunia conſecrata ventris voracitate diſſoluere. Scriptum eſt, qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Si vis ergo Chriſtianus eſſe, debes, quod Chriſtus, facere. Ille qui peccatum non habebat, Quadrageſimam ieiunauit, tu non vis Quadrageſimam ieiunare, qui peccas? Ille, inquam, peccatum non habebat, ſed pro noſtris ieiunauit peccatis. Qualis ergo apud conſcientiam tuam Chriſtianus es, cum Chriſto pro te eſuriente, tu prandes? Cum Saluatore pro te ieiunante, tu reficeris? Non igitur, ſicut dixi, leue peccatum eſt, indictum violare ieiunium.* Et S. Hieron. *in c. 10. Danielis, Hoc docemur exemplo*, ait, *tempore ieiunij à cibis delicatioribus abſtinere (quod ego puto dici panem deſiderabilem) nec carnem comedere, &c.*

Immo nec *oua*, quia & hæc inter cibos delicatiores. Nam S. Hieronym. *lib. 2. contra Iouinianum*, vt malos Chriſtianos ventris ſui idololatras, rubore perfundat, *ex Chæremone Stoico* memorat, veteres Ægypti Sacerdotes ſe ſe non *carnibus* tantùm, ſed & *ouis lacteq́;* ſolitos abſtinere; cum nominent *ouum* quidem *carnes liquidas*, *lac* verò *ſanguinem colore mutato. Lactis* autem vocabulo *butyrum*, *caſeum*, aliáque *lacticinia* comprehendebant. Quæ omnia etſi non omnino parem alendi vim habeant, aut æquè ſint de- VI.

licata, ac carnes, veniunt tamen à carne, eique ſunt affinia. Quare licet, in multis locis tempore Quadrageſimæ, ob inopiam piſcium, & aliorum ciborum, non prohibeantur, prohibentur tamen in plurimis. jure, Sanctè, & morè Sanctorum.

VII. D. Hieronymus *ep. 22.* Scribit, pro luxuria reputatum, ſi monachus non jam magnas ſtruices patinarias ante ſe haberet, ſed ſi vel coctum aliquid comederet. Egeſippus teſtatur, Iacobum fratrem Domini *vino & carne* abſtinuiſſe. Apud Clementem Alex. *l. 2. pædagog. c. 2.* Matthæus Apoſtolus *ſolis oleribus & pane* vitam tolerauit. Euſebius *l. 2. hiſt. c. 22.* teſtis eſt, Marci Euangeliſtæ diſcipulos *pane, ſale, hyſſopo & aqua* contentos fuiſſe. Paulus primus Eremita *dactylis*, initio, tum *dimidiato pane per coruum miſſo*, ſemel integro, cum hoſpite Antonio, lautè vixit, vt ſcribit *in eius vita* Hieronym. Caſſian. *l. 2. Collat. 19.* affirmat, ex ſententia Abbatis Moyſis refectionem ordinariam Monachorum à Senioribus ſtatutam, duo *paximatia*, ſeu duos paruulos panes, quos, ait, *vix libra vnius pondus habere certiſſimum eſt.* Quid multa! Chriſtus conuiuium celebratiſſimum *Io. 6. 11.* è duobus tantùm ferculis, *pane & piſce* parauit, vt iſtos centum ferculorũ epulones in ruborem daret. Dedit.

Quod

Digitized by Google

❧ Quod Ethnici quoque fecerunt. Nam & Varrò in Satyra περὶ ἐδεσμάτων cænarum ciborumq́; exquiſitas delicias, & pleraque id genus, quæ helluones iſti terra & mari conquirunt, expoſuit incluſitque in numeros ſenarios. *Genera autem,* ait Gellius *l. 7. c. 16. Noct. Attic. nominaq́ edulium, & domicilia ciborum omnibus alijs præſtantia, quæ profunda ingluuies veſtigauit, quæ Varro opprobrans executus eſt, hæc ſunt fermè, quantum nobis memoriæ eſt: Pauus è Samo, Phrygia attagena, grues Melicæ, hædus ex Ambracia, pelamis Chalcedonia, murana Tarteſſia, Aſelli Peſſinuntij, oſtrea Tarentina, pectuſculus Chius, elops Rhodius, ſcari Cilices, nuces Thaſiæ, palma Ægyptia, glans Iberica: Hanc autem peregrinantis gulæ, & ſuccos inſuetos inquirentis induſtriam, atque has vndique verſum indagines cupediarum, maiore deteſtatione dignas cenſebimus, ſi verſus Euripidis recordemur, quibus vtebatur ſæpiſſime Chryſippus Philoſophus, tanquam edendi irritationes quaſdam repertas eſſe, non per vſum vitæ neceſſarium, ſed per luxum animi, parata atq; facilia faſtidientis per improbam ſatietatis laſciuiam.* IIX.

L 5 Ova

Ova ſine coniugio nata, Temperantiæ fructum denotant.

EMBLEMA XXX.

VT VARIA, SIC FOECVNDA VIRTVS CASTITAS.



1. *IN animalibus quædam prouenire ex ouis, abſq; maſculo, tametſi maſculus ſit in ea ſpecie, multi crediderint. Etenim vt de piſcibus dicam, vbi mas nullus eſt in eo genere, haud inconuenit; immo fermè neceſſarium eſt, abſque maſculo oua fœcunda eſſe: at vbi adeſt mas, aut rariſſimum, aut omnino eſſe non poteſt, vt fœcunda ſine maſculo ſint oua. In plantis autem, quoniam plurimis modis proueniunt, ſexuum perfectio generationem expolit, non impedit.* Hæc Cardan. *lib. 6. de rer. variet. c. 22.*

22. De apibus in confeſſo eſt, eas *oua* virgines parere.

Nempe etiam caſtitas fœcunda eſt, & multiplex: cum ſit enim quædam virtus temperantiæ, vitio libidinis repugnans, teſte S. Auguſtino *ſerm. 240. de temp. ad omne bonum vtilis eſt*; & merito ſuo coronanda. Quam ubi Angeli vident, illico conclamant lætiſſimè, *Manibus date lilia plenis*. Tantam ergo caſtitas prolem habet, quantam vtilitatem. *Doctiſſimi viri vox eſt*, ait *in fin. lib. 1. aduerſ. Iouin.* S. Hieronymus, *pudicitiam inprimis eſſe retinendam, qua amiſſa omnis virtus ruit. Hæc pauperem commendat, diuitem extollit, deformem redimit, exornat pulchram; bene meretur de maioribus, quorum ſanguinem furtiua ſobole non vitiat: bene de liberis, quibus nec de matre erubeſcendum, nec de patre dubitandum eſt; bene inprimis de ſe, quam à contumelia externi corporis vindicat.* II.

Eſt itaque triplex caſtitas à qua fructus prouenit. *Centeſimum fructum*, inquit S. Hieronymus *in c. 13. Matth. virginibus, ſexageſimum viduis & continentibus, triceſimum caſto matrimonio deputamus.* Vt ergo alij piſcium coniugio, alij ſine coniugio ſunt fertiles; ita alij hominum frugi frugiferíque ſunt hoc, alij illo genere caſtitatis. Nam niſi & ſua coniugibus caſtitas eſſet, Suſanna non fuiſſet tantopere laudata. *Dan. 13.* III.

Neque

Neque Iudith quidem, ni eſſet & caſtitas viduarum, cui *Iudith. 15.* Summus Pontifex Ioachim ait: *Eò quòd caſtitatem amaueris, & poſt virum tuum, alterum neſcieris: ideò & manus Domini confortauit te, & ideò eris benedicta in æternum.* Magnus in hac vidua fructus caſtitatis, ita confortatam eſſe, vt ictu validiſſimo belli ducem contruncaret. Idem fructus olim apparuit, in Godefrido Bullonio, qui, vt refert *Th. Sallius c. 8. prax. ſpir.* in recuperanda Palæſtina eo manuum robore depugnauit, vt equites cataphractos, vno ictu, medios ſecaret; interrogatus, vnde illi tantæ eſſent vires, reſpondit: *Nunquam hac dextera molliori aliquo, ac turpiori contactu effæminata eſt.*

IV. Denique præcipuam eſſe *Virginum caſtitatem*, Iſidorus Peluſiota *ep. 391.* indicat, dum eam *Soli* comparat, ſicut *caſtitatem viduarum lunæ, coniugatorum ſtellis.* Quod ipſum tam clarè, quàm copioſè docet S. Paulus *1. Cor. 7.* ex cuius ſententia Virgo *beatior erit, ſi ſic permanſerit:* immo ex ipſius Chriſti doctrina *Matth. 22. 30.* Virgo eſt *ſicut angeli Dei in cœlo.* Quamuis enim Chriſtus de reſurrectione loquatur, poſt quam homines *neque nubent, neque nubentur, ſicut Angeli*; rectè tamen S. Cyprian. *de habitu Virginum* ſcribit: *Quod futuri ſumus, iam vos eſſe cæpiſtis: vos reſurrectionis gloriam in iſto ſæculo iam tenetis:*

per

Digitized by Google

per ſæculum ſine ſæculi contagione tranſitis, cum caſtæ perſeueratis, & virgines, Angelis Dei eſtis æquales. Quod & D. Hieronym. *ep. 22. ad Euſtoch.* affirmat his verbis: *ſtatim, vt Filius Dei ingreſſus eſt ſuper terram, nouam ſibi familiam inſtituit, vt qui ab Angelis adorabatur in cælo, haberet Angelos & in terris.*

Habuiſſe autem tales innumeræ clamant hiſtoriæ. Nam, præter Ioannem Apoſtolum, qui teſte S. Hieronymo *l. 1. contra Iouinian.* & S. Auguſt *tract. vltim. in Io.* virgo permanſit, Caſimirus Poloniæ Regis filius, *apud Cromerum l. 29. rer. Polon.* & Michaël Verinus octodecim annorum adoleſcens, *apud Angel. Politian. l. epigr.* maluerunt mori quàm fœdari, quod in muſtelæ emblęmate Alphonſus XI. Rex Legionis & Caſtellæ, alio ſenſu vſurpauit, cum gentilium ſanguine manus inficere nollet. Sed & puellarum virginum ingens eſt chorus, Agnetes, Cæcilias, Theclas, Barbaras, Catharinas, Eulalias, Agathas, Apollonias, & mirabiles illas, Potamianam, *apud Pallad. hiſt. Laus c. 1.* Euphraſiam, *apud Niceph. l. 7. hiſt. Eccl. c. 13.* cogita, quarum omnium admirabilis virtus oſtendit, nequaquam ſterilem eſſe Virginitatem. V.

Sed nihil tam illuſtre, quàm quòd etiam in hoc genere, ſicut *in plantis, ſexuum perfectio generationem expolit, non impedit*, ita coniugium virgini- VI.

ginitatem: quæ longè ſit illuſtrior atque admi-rabilior, ſi in eo ſtatu ſeruetur illibata, qui vo-luptati & occaſionem præbet, & facultatem. At Deus etiam tales Angelos habet. Tales enim (vt partim attingam) fuêre Eduardus III. Rex An-gliæ cum Edita. *Baron. An. 1066.* Iulianus cum Baſiliſſa *Metaphraſt. 9. Iulij.* Alphonſus II. Rex Galliciæ cum Berta ſorore Caroli Magni. *Baron. An. 783.* Marcianus Imperator cum Pul-cheria *Cedren. in compend. hiſt.* Henricus II. Im-perator cum Kunegunde. *Baron. An. 1204.* Bo-leslaus Rex Poloniæ cum Kinge filia Belæ Regis Hungariæ. *Cromer. l. 9. & 10.* Elzearius comes Arianus cum Delphina *Sur. 27. Septemb.* Hi etſi fortaſſe conſilium ſuum diu hominibus clam habuerunt; ante ſuperos tamen, omnes virgi-nitatem ſuam, tanquam venuſtiſſimæ cæleſtis Paradiſi arbores, ab ipſo matrimonio expoli-uerunt; ipſam Dei matrem Virginem imitati caſtitate; immo & fœcunditate. Nam in multis alijs Chriſtum pepererunt, quos caſtos vel ſer-uarunt, vel fecerunt exemplo. Quis enim non magna caſtis præmia deberi cenſeat, ſi videat eorum ſpe tantos, & tantas, etiam à lici-ta voluptate abſtinere?

Forti-

Fortitudo in fragili ovo contenta.

EMBLEMA XXXI.

RECTA NON FRANGVNTVR.



ALexander Aphrodiſæus *l. 2. Probl. 49.* 1.
hanc quæſtionem ponit: *Cur ouum preſſum vtroq; extremo ambab. manibus frangi nequit? preſſum latere facilè frangitur?* Et reſpondet: *quoniam per angulos tantummodo ſuos manibus renititur opprimentibus. Eſt enim angulus, quod quaq; in ſtructura validius conſtet. Adde quòd preſſum per extrema, parte minima ſentit: preſſum per latera, parte ampla conflictatur, vt facilè poſſit deſtrui.* Puteanus *orat. 20.* eandem cauſſam ita indicat: *Cauſſam natura conditioq; ligni, non obſcuram ſinet, quod frangi tranſuerſum poteſt,*

rectà

rectà non poteſt. hîc enim quia longitudo fit craſſities, prementi reſiſtit, quidquid extenſum eſt, & in vnum robur coaleſcit, ac conſpirat. Subtilior ratio à poris ſumatur, qui neruis ſuis, vt ſic appellem, diſtincti, ſecundùm longitudinem, non craßitiem excurrunt. Rupturam *igitur compreſſio facit, cum in inane incidit; ſed ipſa inanis eſt, cum in ſolidum nititur, etſi procurrentibus poris, & velut comitibus interſtinctum.*

II. Cardanus eandem reddens rationem *l. 7. c. 39. de rer. variet. Non alia,* inquit, *cauſſa, quàm lignorum, quæ tranſuerſim franguntur, non autem rectà. Videtur igitur alia ratio, quam Ariſtotelis, ſcilicet, quæ à poris deducitur: rectum enim, vt rectum eſt, non frangitur, ſed priùs oportet inflecti. Oua igitur à capitibus compreſſa, & quantò minùs fuerint rotunda, non franguntur, quoniam ſecundùm rectum fit compreßio. Rectum autem non frangitur, quia in ſe colligitur, & partes ſibi inuicem occurrentes tuentur ſeſe. Itaq; fit vt rectum tantam habeat craſsitudinem, quantam longitudinem: longiora tamen faciliùs franguntur, quia faciliùs flectuntur: initium enim fracturæ flexio eſt. Ergo duæ cauſſæ, cur ſic frangantur oua, ſic autem non, erunt: ſcilicet pororum poſitio, quæ ſecundùm latitudinem eſt: & hanc vocamus neruos, vt in lignis, & lapidibus maximè onyche inter gemmas: & vt recta fiat compreſsio aut non; ita fractura fit, quoties compreſ-*

ſio

ſio fit ſuper inane. nam res ipſa totum pondus ſuſtinere cogitur &c.

Ac paulo infrà. *Oua igitur tranſuerſim facilè compreſſa franguntur, quoniam nerui ſunt per longum extenſi, & propter maiorem obliquitatem. Nihil verò habere quod ſubſidat vtriq; compreſſioni in ouo commune eſt.* Plin. *l. 29. c. 3.* de ouis loquens: *Firmitas*, inquit, *putaminum tanta eſt, vt recta nec vi, nec pondere vllo frangantur, nec niſi paululum inflexa rotunditate*; vt proinde vel ciſta, vel pyramis lignea *quatuor ouis ſurſum verſis & æqualiter erectis* poſſit imponi; tanta eſt firmitas in tantanta fragilitate, ſi peritum nanciſcatur architectum. III.

Homine quoque quid fragilius, ſi obliquum inuenias? nec verbum ſuſtinet ſcabrum animo patiente; ad verbera autem etiam exclamat, niſi eum diuina gratia, & quæ vel teſte Ouidio *2. de Ponto, tendit in ardua virtus*, erigat. Hæc adeò neceſſaria eſt, vt Chriſtus *Io. 15. 5.* dicat, *ſine me nihil poteſtis facere. Non ait, ſine me parum poteſtis facere, ſed nihil poteſtis facere*, inquit S. Auguſt. *tract. 81. in Io. Siue ergo parum, ſiue multum, ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt. Magna commendatio gratiæ, corda inſtruens humilium, & ora obſtruens ſuperborum.* Ex nobis ergo *oua* ſimus fragilia; nec quidquam poſſumus æternæ ſalutis ſine gratia dignum facere. Hæc autem IV.

Digitized by Google

tem ſi adſit, habitualis quidem per Eccleſiæ Sacramenta à Deo animæ *infuſa*, vt docet Concil. Trid. *Seſſ. 7. can. 6.* vel per eadem, vti & per bonorũ operum exercitium aucta, vt eſt ibid. *Seſſ. 6. c. 24.* hominem Deo gratum efficit, animæ dat vitam, &, elutis peccati maculis, mirificum quendam ſplendorem confert, ſecúmque vehit jus æternæ hæreditatis, & omnium virtutum chórum.

V. In quo eſt fortitudo quoque, virtus à S. Ambroſio *in c. 6. Luc. Cardinalis*, hoc eſt, principalis appellata, eò quòd, ſicut oſtium in cardine, ſic omnis vitæ honeſtæ ratio in illa, & reliquis moralibus virtutibus verſetur, boníque operis ſtructura vniuerſa his fundamentis, nitatur, & velut angulis claudatur. *Eſt enim angulus, quod quaque in ſtructura validiùs conſtet.* Non ergo ſola gratia actuali, ſed etiam quadam animi fortitudine erigimur; &, *vt rectum non frangitur*, ita efficimur etiam hoc cæleſti dono fortiores. Nam teſte S. Proſpero *l. 3. de vita contempl. animi fortitudo ea debet intelligi, quæ non ſolùm diuerſis pulſata moleſtijs inconcuſſa permaneat, ſed etiam nullis voluptatum illecebris reſoluta ſuccumbat.*

VI. D. Auguſtino lib. 83. qq. *Fortitudo eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio,* vſque adeò virtus ex *oui teſta murum* poteſt *aheneum* facere. Nec jam verba tantùm, ſed martyria

ria ipſa ſuſtinet, & preſſuras, quisquis ita ſtat, vt ſe ſe conformet lapidi angulari Chriſto. Hic angulus validos facit, vt *omnia poßint in eo*, qui *ouo* fuerunt fragiliores. Quamobrẽ & Senecæ *epiſt. 114. fortitudo eſt munimentum humanæ imbecillitati inexpugnabile: quod qui circumdedit ſibi, ſecurus in hac vitæ obſidione perdurat.* Hoc munimento humana imbecillitas adeò firmatur, vt nullo caſu terreatur, nullo pondere frangatur. Gloriatus eſt, apud Plutarch. *in Apopht. Rom.* Scipio Africanus, *ſe inter ſuos milites habere trecentos, quorum quiuis, eo iubente, de turri ſe in mare percipitaturus eſſet.* Habuit & Chriſtus eiuſcemodi trecentos Fabios. Nam, vt refert, *in vita S. Cypriani*, Pontius Diaconus, cum impius Præſes, accenſo calcis clibano, & thure juxta prunas inibi appoſito, trecentis Chriſtianis dixiſſet, *optionem eos habere, alterutrum eligendum eſſe*; trecenti illi, Chriſtum Dei filium confitentes, impauido ſaltu, ſe ſe in ignem coniecerunt, inter vapores puluereæ calcis demerſi.

Nec hos trecentos tantùm habuit Chriſtus, ſed penè innumerabiles, quos omnes natura, ritu *oui*, fragiles, gratia, more adamantis, fortes fecit, dum erexit. Hinc ait Apoſtolus *1. Cor. 15. 58. ſtabiles eſtote, & immobiles*; quia ſicut *ouum rectum* ponderi non cedit, & ſpectantes attonitos facit fragilitatis ſuæ firmitate; ita, teſte Tul- VII.

tem ſi adſit, habitualis quidem per Eccleſiæ Sacramenta à Deo animæ *infuſa*, vt docet Concil. Trid. *Seſſ. 7. can. 6.* vel per eadem, vti & per bonorũ operum exercitium aucta, vt eſt ibid. *Seſſ. 6. c. 24.* hominem Deo gratum efficit, animæ dat vitam, &, elutis peccati maculis, mirificum quendam ſplendorem confert, ſecúmque vehit jus æternæ hæreditatis, & omnium virtutum chorum.

V. In quo eſt fortitudo quoque, virtus à S. Ambroſio *in c. 6. Luc. Cardinalis*, hoc eſt, principalis appellata, eò quòd, ſicut oſtium in cardine, ſic omnis vitæ honeſtæ ratio in illa, & reliquis moralibus virtutibus verſetur, boníque operis ſtructura vniuerſa his fundamentis, nitatur, & velut angulis claudatur. *Eſt enim angulus, quod quaque inſtructura validius conſtet.* Non ergo ſola gratia actuali, ſed etiam quadam animi fortitudine erigimur; &, *vt rectum non frangitur*, ita efficimur etiam hoc cæleſti dono fortiores. Nam teſte S. Proſpero *l. 3. de vita contempl. animi fortitudo ea debet intelligi, qua non ſolùm diuerſis pulſata moleſtijs inconcuſſa permaneat, ſed etiam nullis voluptatum illecebris reſoluta ſuccumbat.*

VI. D. Auguſtino lib. 83. qq. *Fortitudo eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio,* vſque adeò virtus ex *oui teſta murum* poteſt *aheneum* facere. Nec jam verba tantùm, ſed martyria

ria ipſa ſuſtinet, & preſſuras, quisquis ita ſtat, vt ſe ſe conformet lapidi angulari Chriſto. Hic angulus validos facit, vt *omnia poßint in eo*, qui *ouo* fuerunt fragiliores. Quamobrē & Senecæ *epiſt. 114. fortitudo eſt munimentum humanæ imbecillitati inexpugnabile: quod qui circumdedit ſibi, ſecurus in hac vita obſidione perdurat.* Hoc munimento humana imbecillitas adeò firmatur, vt nullo caſu terreatur, nullo pondere frangatur. Gloriatus eſt, apud Plutarch. *in Apophth. Rom.* Scipio Africanus, *ſe inter ſuos milites habere trecentos, quorum quiuis, eo iubente, de turri ſe in mare percipitaturus eſſet.* Habuit & Chriſtus eiuſcemodi trecentos Fabios. Nam, vt refert, *in vita S. Cypriani*, Pontius Diaconus, cum impius Præſes, accenſo calcis clibano, & thure juxta prunas inibi appoſito, trecentis Chriſtianis dixiſſet, *optionem eos habere, alterutrum eligendum eſſe*; trecenti illi, Chriſtum Dei filium confitentes, impauido ſaltu, ſe ſe in ignem coniecerunt, inter vapores puluereæ calcis demerſi.

Nec hos trecentos tantùm habuit Chriſtus, VII. ſed penè innumerabiles, quos omnes natura, ritu *oui*, fragiles, gratia, more adamantis, fortes fecit, dum erexit. Hinc ait Apoſtolus *1. Cor. 15. 58. ſtabiles eſtote, & immobiles*; quia ſicut *ouum rectum* ponderi non cedit, & ſpectantes attonitos facit fragilitatis ſuæ firmitate; ita, teſte Tul-

Digitized by Google

lio *2. de Orat. Magna laus, & admirabilis videri ſolet, tuliſſe caſus ſapienter aduerſos, non fractum eſſe fortuna, retinuiſſe in rebus aſperis dignitatem.* Porrò rectè S. Auguſtinus ait, *fortitudo eſt conſiderata periculorum ſuſceptio; fortis* enim, vt docet Ariſtot. *3. Ethic. 7.* pro dignitate, &, vt ipſa ratio jubet, tam patitur, quàm etiam agit. Hæc rationis rectitudo ni adſit, audacia, aut temeritas, non fortitudo dicenda eſt ſuſceptio periculorum. Sic & indidem conſequens adeſſe debet juſtitiæ rectitudo: ſcitè enim dixit, *apud Plutar. in Apophtheg. Lacon.* Ageſilaus rex, fortitudinis nullum eſſe vſum, niſi adſit juſtitia. Quod ſi omnes eſſent juſti, nihil opus eſſet fortitudine.

Vt ergo *ouum* firmum non eſt, niſi rectum,
ita nemo ſine Themide eſt validus
Hercules, ſed furioſus
Oreſtes.

For-

Digitized by Google

Fornax pullorum mater, in ovis maturandis, patientiæ eſt magiſtra.

EMBLEMA XXXII.

PRODEST CALVISSE.



SCaliger *Exercit. 6. c. 2. Ad Cairum*, inquit, *furnos conſtruunt, alij alio multiplice fornice impoſito; in quorum tholi ſupremi medio foramen eſt: per quod caloris vis, quæ immodica poſſet officere, ſubit atque exhalat. In immo ignem accendunt temperatum. Ouorum multas centurias in fornicum ſuperiore planicie diſponunt. Statis diebus erumpit turba: quos illi non numero, ſed menſura venales habent. Modiolū ſtatuunt ſine fundo, quem vt complerunt, tollunt. Neque hæc fabula eſt, ſed fabulæ illi ipſi, qui negant.* Confirmat rem, & ar- 1.

tem munit Plin. *l. 10. c. 55.* cuius hæc ſunt: *Nuper inde* (ex Iuliæ Auguſtæ augurio) *fortaſſe inuentum, vt, oua in calido loco impoſita, paleis igne modico fouerentur, homine verſante, pariterque & ſtato die illinc erumperet fœtus.*

II. Eadem affirmat Paulus Iouius *lib. 18. hiſt. Apud Ægyptios*, inquiens, *magna copia eſt pullorum gallinaceorum. Nam apud illos gallinæ ſua oua non incubant: ſed ea in clibanis, tempore ſenſim adhibito, ita fouentur, vt mirabili arte compendióque pulli intra paucos dies progignantur, ſimul & educentur &c.* Et Tragus: *In Ægypto, circa Alcairum, oua arte excluduntur: clibanum parant cum multis foraminibus, quibus oua diuerſa Gallinarum, Anſerum, & aliarum auium imponunt, tum fimo calido integunt clibanum, & ſi opus fuerit, ignem circumquaque faciunt, ſic oua ſuo quæque tempore matureſcunt.*

III. Quid hæc *oua*, aliud ſignificant clariùs, quàm homines de quibus dicitur *Eccli. 27. 6. Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis?* Et *Zach. 13. 9. Ducam tertiam partem per ignem, & vram eos, ſicut vritur argentum & probabo eos, ſicut probatur aurum.* Rurſúmque *Prov. 17. 3. ſicut igne probatur argentum, & aurum camino: ita corda probat Dominus.* Denique *Eccli. 2. 4. Omne quod tibi applicitum fuerit* (S. Aug. *l. de patientia c. 14.* legit, *omne quod tibi ſu-*

per-

peruenerit, & inde probat, illicitum eſſe, propter ulla mala, ſeipſum occidere) *accipe: & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, & homines veri receptibiles in camino humiliationis.* Itaque ſicut *oua Cairi in furno* animâ paulatim caleſcunt, & perficiuntur, vt inde euolent ad menſas regum; ita mortales, dum aduerſis exercentur.

Talia *oua*, taléſque pulli fuerunt tres illi pueri, apud Danielem *c.3*. qui de fornace, non tetrici, quaſi eis cor guttatim contabeſceret, non more ciniflonum fuliginoſi, ſed longè ſplendidiores prodierunt. Nec illi tantùm, ſed tota antiquorum Patrum veneranda phalanx, Abel, Noë, Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Moſes, Iob, Dauid, Tobias, Machabæi, Hos omnes fornax tribulationis excoxit. Quin & ipſum Chriſtum *oportuit*, in hoc furno, *pati, & ita intrare in gloriã ſuam. Luc. 24. 26. in quo*, ut loquitur Tertullianus *lib. de patient. Deus ſpiritum ſuum cum tota patientia collocauit.* IV.

Nemo queratur de innocentia ſua. Innocentia neminem, in hac vita, facit ab aduerſis eximium; immo quo innocentior quiſque, eò Deo videtur aptior ad perfectionem, quæ in patientiæ palæſtra potiſſimùm conſiſtit. *Patientia enim opus perfectum habet.* Iac. 1. 2. Hæc *æternum* V.

Digitized by Google

gloria pondus operatur in nobis. 2. Cor. 14. 17. & quanto maior eſt, tanto maius præmium reportat. Enimuerò ignis tribulationis momentaneæ in hac vita, ſi vis, ignem æterni illius camini *Matth. 13. 42.* extinguit. Quis renuat excoqui? Aurum prodit lucidius, argentum purgatius; fœnum in igne cineratur, & perit.

VI. Neque eſt, quòd queraris *furnum* tibi deeſſe, in quo poſſis patientiam exercere. Res precioſiſſima quidem eſt, *furnus* iſte, ſed Dei beneuolentiâ, vbique occurrit. Si enim patientia, *ea eſt virtus, quâ, æternæ mercedis ſpe nixi, omnia dura moleſtáque læto animo perferimus*; nuſquam deerit iſte *furnus*, cum moleſtijs totus Mundus repleatur, & iam fortunarum iactura, iam amicorum, charorúmque orbitas, iam corporis dolores, iam famæ læſio, iam alia mala nos urant; iam ab hominibus, iam à Dæmonibus; iam ab ipſo Deo immiſſa, vel certè, quotieſcunque nos arietant, permiſſa: ut nunquam ſit conquerendi, ſemper promerendi locus.

VII. Itaque in hac patientiæ fornace ſi de *ouo* vis in Dei pullum maturari, ſi in ſplendorem dari, ut aurum, tuum eſt, vt æſtues, & rebus aſperis non reluctêris, ſed eas, velut calorem viuificum, admittas: neque de vindicta cogites, aut odium odio reponas; immo vt eum, qui te læſit, colloquaris, diligas, tanquam verum tuum bene-

facto-

factorem, honores, eíque te beneficum exhibeas, & pro eo, cum S. Stephano, immo ipſo Chriſto ores. Nulla res nos facit patientiores, & ad ignoſcendum promptiores, quàm ſi ſeriò cogitemus, apud Deum, nobis profuiſſe, qui apud homines malè fecit. Immo &, apud homines illuſtres facit, quiſquis exagitat fortes & patientes; vnà enim & ſuam malitiam, & illorũ oſtendit virtutem. Herculem ipſum Poëtæ, niſi poſt tot labores, in cælum nunquam extuliſſent. Magis profuit illi nouerca perſequens, quàm Deianira blandiens. Quanquam non fuit magnum recipi in cælum Poëtarum. Verè cæleſtia regna ſcandunt, quos ignis tribulationis excoquit, & non iam Cairi, ſed Mundi fornax inuenit probatos. Ergo

Cur ignem hunc fugitis, mortales, corda probantem?
FORNAX *eſt pueris, non metuenda viris.*

Digitized by Google

Gallinæ partum, feſtuca; animæ, crux adiuuat.

EMBLEMA XXXIII.

DOLOR EST MEDICINA DOLORIS.



1. *PArituram ſe ſe gallina clamore prodit, eandemq; peperiſſe ſe teſtatur. Quod ſi impediatur*, ait Vlyſſ. Aldrouand. *lib. 14. ornith. c. 1. mox tamen ſibi relicta abſoluit. Eiuſmodi cantum Columella ſingultum appellaſſe videri poteſt, dum ait: Parituras ſe gallinæ teſtantur* multiſonoræ, & *crebris ſingultibus, interiecta voce acuta. Sunt qui dolere eas, cum pariunt, arbitrantur.* Ariſtoteles ſine dolore eas parere, ob teſtam, quæ in partione mollis eſt membrana, innuit. Ambroſius Nolanus, tum maximè dolere exiſtimat, non quòd

quòd exiens *ouum* lædat, ſed quòd locus vacuus aërem capiens dolorem quendam moueat.

Putean. *orat. 20.* ait: *Oua ipſa cantu, non gemitu aut quodam potiùs ſingultu præueniunt; oſtendunt, non abſcondunt: prorſus vt generi humano, cui viuunt, etiam pariant.* Et mox. *Quæ dico, non è longinquo arceſſenda ſunt: quiſq; domi ſuæ videt. Et quid mortalibus hac voce jucundius eſt, qua vera auium regina tam ſuaui contubernio nobis vernacula, & pediſſequa beneficium ſuum quotidie gracillat, ſiue pronunciat? nidum conſcenſura id agit, inde reſiliens iterum agit. Idem ouum quia & onus, & miraculum eſt, ſic meritò prædicatur. Ita me Deus, pipat, glocidaſq; gallina, ſed natura loquitur: illa onus ſuum, hæc miraculum.* Oppianus in *Ixeutic.* tradit, faciliùs parere, ſi *feſtucam* è terra ore apprehenſam dorſo impoſuerint, quæ opinio ſine ſuperſtitione non creditur. *Scio tamen*, ait, *loc. cit.* Aldrou. *gallinas parientes eiuſmodi feſtucas ſæpe ore contrectare, pericarphiſmumq; Plutarcho dici, cum gallinæ, vt ſcribit Theophraſtus, quod Ariſtoteles etiam poſuit, & eſt à Plinio repetitum; edito ouo, ceu religione quadam ſeſe, & oua luſtrant:* immo, vt arbitror, feſtucâ roſtro apprehensâ ſilentium ſibi imponunt, & clamorem impediunt, ne ipſæ impediantur. II.

Nempe quæuis anima, ſicut *mulier, cum parit, triſtitiam habet. Io. 16. 21.* alia quidem ita, III.

vt

vt ingemiſcat, & dolorem voce prodat, aut opem imploret, ac liberari cupiat cruciatu; alia verò, ne ſingultiat, ſubſtramen, aut *feſtucam*, hoc eſt, crucem mordicus apprehendit, dorſôq; & humeris imponit, ac Chriſtum læta ſequitur, memor illius, Matth. *16.24. ſiquis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Ne exiſtimes*, ait S. Chryſ. *hom. 53. quod paſſio malorum ſufficiat, adiungit cauſſam patiendi, cum dicit:* Et ſequatur me, *vt propter eum omnia ſuſtineas, & alias eius virtutes addiſcas, hoc eſt, enim ſequi Chriſtum. Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem. Hebr. 12.2. Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur. 1. Pet. 2.23.* Et quamuis clamans expirârit, non fuit tamen ille clamor doloris, ſed amoris. Tanta enim voce, quanto affectu Spiritum ſuum Patri commendauit. Quin & idcirco vocem ſuam altiùs ſuſtulit, vt, tanquam gallina, pullos ſuos ſub alas conuocaret.

IV. Qui proinde alacritatem illam ſtudent imitari. Quare & ipſi in cruce laudes Dei alto clamore celebrant, ritu parientium gallinarum. Ita crucem ferendo faciunt leuiorem. Nam *nulla eſt tam facilis res, quin difficilis fiet, quam inuitus facias* ait Clitipho Terentianus *in Heautontim*. Pari modo nihil difficile eſt amanti. Non eiulat, ſed cantat, cum ægrotat. Ita B. Seruulus

ille

ille apud S. Greg. *l. 4. Dial. c. 14.* cùm eum paralyſis omnibus membris captũ lecto affixiſſet, & ſimul inopia preſſiſſet, morbo maximè ſæuiente, maximè Deo gratias agebat, nec vllum faciebat finem laudandi diuinam bonitatem. Hic ſingultus fuit gallinæ ſalutem parientis. Qualem etiam de S. Coleta totos quinquaginta annos atrociter afflictata, *apud Sur. 6. Mart.* & de S. Lydwina Virgine Schiedamenſi, in Hollandia, *apud eundem tom. 1. die 14. April*, legimus, quæ ab anno ætatis decimo quinto, per triginta octo annos, omni genere morborum & dolorum acerbiſſimè torta dicere ſolebat: *Age mi Deus, grauiora immitte : pudet enim me mei pigetq́ꝫ, cum tenue hoc quod patior, cum immenſa illa vi tormentorum, quæ mea cauſſa toleraſti, conferens intueor.* Ita & D. Bernardus dicere ſolebat *Serm. 1. de Epiph. Non interroges, ô homo, quæ pateris, ſed quæ paſſus eſt ille.*

Plinij verba ſunt *lib. 10. c. 53. Decem diebus oua matureſcunt in vtero. Vexatæ autem gallina, & columbæ, penna euulſa, aliáue ſimili iniuria, diutiùs*, calore nimirum ab *ouis* ſeuocato. Aliter res fit in homine, cui *vexatio dat intellectum Iſa. 28. 19.* & cruces opem conferunt in ſalute parienda. Hinc qui in re Spirituali rectiſſimè ſapiunt, crucem, velut feſtucam auidiſſimè arripiunt, eâ tanquam naui, è fluctibus huius vitæ, ad cæle- V.

ſtem

ſtem portum emerſuri. Multi enim perirent fe-
lices, qui ſaluantur calamitoſi.

VI. Qua de cauſſa ille, qui ad S. Thomæ Cantua-
rienſis tumulum ſanitatem impetrârat, vt refert
Moral. l. 5. c. 4. cùm ſecum ambigere cœpiſſet,
eſſétne recuperata valetudo animæ ſuæ vtilis,
poſtliminio ad ſacros cineres & ſepulchrum D.
Thomæ recurrit, ſuppléxq; ſeriò flagitauit, ne
ea ſanitas reſtituta animæ obeſſet, potiùs corpo-
re ægrotaturus, quàm de ſalute periclitaturus.
Et illico eum Sanctus denuo exaudiuit, jam re-
ctiùs precantem. Nam mox vbi preces abſoluit,
finem etiam habuit nocitura ſanitas, & morbus
rediјt animæ profuturus. Verè Chryſoſtomus
*hom. 18. ad pop. Sicut exigua ſcintilla in mare im-
menſum delapſa facilè extinguitur; ſic quantacun-
que aduerſa Deum timenti illidantur, velut in va-
ſtum lætitiæ pelagus incidentia extinguuntur; &
pereunt.* Ergo qui Deum timet, crucem amat;
& cum mala patitur, patientiam ſilentio ornat;
vel ad Deum clamat, & dum cruces ambit, ignes
extinguit; illúdque frequenter habet in ore,
Hîc vre, vt in æternum parcas. Bellè etiam Ioan.
Dauid. *in Veridico Chriſt. c. 37.* obſeruat, *oua*
colligentes non curare, etſi tam gallus, quàm
gallinæ garritu & clamoribus omnia comple-
ant; ita obloquijs neminem à recto abſterreri
oportere. Nunc autem quàm multi multa bona
face-

facerent, ſi mali non obſtreperent? Contra quos audentiùs eſt eundum. Ex æquo eſt crucis amatori, benè facere, & malè audire. Dudum monuit ſummus Magiſter, vt crucem ſuam tolleret, qui ſequi ſe vellet. Monet, id & magiſtra non ſumma. Siquidem

Criſtata auis, quicunq; doctrinam crucis
Non apprehendunt, erudit.
Paritura lignum comprimens roſtro docet,
CRVCEM tenendam mordicus.

Ovo-

Digitized by Google

Ovorum tranſlatio periculi fugam docet.

EMBLEMA XXXIV.

NON PLACET ISTA DOMVS: MIGRABO.



1. IN Græco epigrammate Archias Poëta hirundinem, ad Medeæ ſtatuam nidos figentem, de periculo argutè admonet ijs verſibus, quos aliter Borbonius, aliter *l. 3. epigr.* Marullus, aliter Alciatus *embl. 54.* Politianus autem ſic Latinè expoſuit.

Medeæ ſtatua eſt, miſella hirundo,
Sub qua nidificas; tuóſne credas
Huic natos, rogo, quæ ſuos necauit?

Quaſi dicas, *qui ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit*

erit? *Eccli. 14. 5.* Quia igitur Medea, vt eſt apud Ouid. 7. *Metam.* ab Iaſone repudiata, proprios, quos ex eo liberos ſuſcepit, interemit, exiſtimat Poëta nec ſtatuæ quidem eius credendum. Sed fruſtra, & memorem monet, dum auem monet, vt de nidi ſecuritate ſibi conſulat. Quippe ſtatuas, quæ motu carent, non mordere vel aues norunt. De quibus etiam iam olim ea fuit opinio, quòd in domo ruitura non nidulentur.

Carolus Sigonius *de Occid. Imp. l. 13.* refert, Attilam, obſeſſa diu Aquileia in Italia, deſperata quaſi victoria, caſtra iam mouere in animo habuiſſe, atque in poſterum diem profectionem indixiſſe; *interim autem*, ait, *oblato permotus auſpicio reſtitit, quippe ciconiam quandam pullos ſuos è turri ſubinde mœnium exportantem, & contrà morem ſuum in agrum deferentem notauit. Quod viſum ille continuò militibus abire parantibus indicauit, atque, vt erat auguralis diſciplinæ peritus, videtíſne auem illam, inquit, quæ nidum ſuum contrá naturam deſtituit? pro certo habetote, illam tacito naturæ ſenſu imminentem vrbi ruinam, præcipientem, ſibi, natiſque conſulere. Vos autem ſi viri eritis, pauliſper reſiſtetis, ac certum, qui inſtat, expugnatæ opulentiſſimæ vrbis fructum haurietis. Neque verò illud inane fuit augurium.* Nam vrbs, ob rei frumentariæ difficultatem relicta, & ad eam ipſum mænium partem, qua nidus ciconiæ hæ- 11.

ſerat, capta, miſerandum in modum direpta, & ad ſolum euerſa fuit. Ita aues ſubinde præſagæ fiunt.

III. Certè adeò ſunt cautæ, vt ſi *oua* ſua animaduerterint eſſe reperta, fætúmque periclitari, illa ungue paruo ſuſpenſa, per aërem, aliò transferant, & in tutum migrent. Sæpiſſime etiam, ubi odoratu cognoſcunt, *oua* ſua fuiſſe ab humana manu contrectata, & illa, & totum nidum deſtituunt. Cuius mihi rei cauſſam videtur Plinius *lib. 10. c. 54.* ſubindicare, cum de *ouis* hoc præceptum dat: *Concuti verò experimento vetant, quoniam non gignant confuſis vitalibus venis.* Et humores conuerſione *ouorum* (quæ ex Varronis & Columellæ ſententia ſubinde neceſſaria eſt, vt æqualiter concaleſiant) facillimè vitiantur. *Quod vel inde conſtat*, ait Aldrouandus, *quia cum gallina in occulto incubat, oua omnia fœcunda fiant: manibus verò hominum tractata plurimùm corrumpantur.* Conradus Hereſbachius *lib. 4. de re ruſt.* ſibi compertum eſſe tradit, quaſſata claudos produxiſſe pullos. Nolunt ergo aues *oua* ſua tractari.

IV. Quam cautionem utinam & homines imitarentur, atque æternæ ſalutis ſcopulos, Syrtes, Charybdes, Scyllas, Sireneſúe non ultro quæritarent. Quot cæci mortales filias ſuas, aut filios Medeis credunt relinquuntq; ſeducendos?

Quot

Quot opes ſuas viri opulenti ingratiſſimis hæredibus diripiendas, aut luridiſſimis dilapidatoribus exponunt abliguriendas? cum tamen Dominus dicat *Matth. 6. 19. Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra; vbi ærugo & tinea demolitur: & vbi fures effodiunt, & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo &c.* In quem locum S. Hieronym. *Hoc autem*, inquit, *non ſolùm de pecunia, ſed de cunctis poſſeſſionibus ſentiendum eſt.*

Ergo & conſilia noſtra, tanquam oua; & corpora noſtra, & negotia noſtra, & ſtudia noſtra, & labores noſtri, & anni noſtri ac tempora noſtra in tuto collocanda ſunt. Et, uno verbo, vitanda pericula. Sollicitè Apoſtolus, *2. Tim. 2. 16.* ait, *profana autem, & vaniloquia deuita: multùm enim proficiunt ad impietatem; & ſermo eorum, vt cancer ſerpit: ex quibus eſt Hymenæus, & Philetus.* Et mox: *diſcedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini.* ubi hoc ponit pro ſecundo ſignaculo firmi fundamenti, ſcilicet *fugam iniquitatis, & hæreticorum*, quorum conſortia ſemper ſunt periculoſa. Malum enim, vt loquitur S. Dionyſ. *c. 4. de diu. nom. cum ſit defectio à bono, ſua infirmitate & pondere ſemper ad aliud, & aliud malum progreditur.* Hinc omnes SS. Patres monuerunt, hæreticos, quaſi peſtes, fugiendos. V.

VI. Sicut enim de Core, Dathan, & Abiron, Moſes *Num.16.* dixit, *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne involuamini peccatis eorum:* ita S. Antonius, *apud D. Athanaſium*, adeò execrabatur Arrianos, vt ſuis ediceret: *Hæreticorum, & ſchismaticorum venena vitate, meúmque circa eos odiũ ſectamini. Scitis ipſi, quòd nullus mihi pacificus ſermo cum eis vnquam fuerit.* S. Cyprianus *l. 1. ep.3. Declinent*, inquit, *fortiter, & euitent dilectiſſimi fratres noſtri verba & colloquia eorum, quorum ſermo vt cancer ſerpit, nulla cum talibus commercia, nulla conuiuia, nulla colloquia miſceantur, ſintq́ ab eis tam ſeparati, quàm ſunt illi ab Eccleſia profugi.* Et, teſte Euſebio *l.4.hiſt.c.13. Tantum Apoſtoli & eorum diſcipuli habuerunt timorem, vt neque verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulterauerunt veritatem.* Certè D. Ioannes eodem cum Cerintho balneo noluit lauari, & *nec Aue* eiuſcemodi dici voluit. *ep. 2. 10.* ne dum libros eorum volutari; quos proinde rectè prohibuit Eccleſia, vt videre eſt apud Niceph. *l.8.18.* Socratem *l.1.c.6.& 24.* Quid ni? cum etiam Ethnici Romæ libros exuſſerint religioni aduerſantes, teſte Liuio *l.10.* & Lacedæmonij ſcripta Archilochi impudica vrbe exegerint, vt refert Val. Max. *l.6.c.3.*

VII. Neque enim hæreſis tantùm, ſed etiam libi-

dinis

Digitized by Google

dinis vitium fugâ eſt ſuperandum. Hinc Apoſtolus, *1. Cor. 6. fugite*, inquit, *fornicationem*; fugîte pedibus, ſi in domo veſtra eſt occaſio, & velut *oua* transferte ſupellectilem veſtram, mutatéque domicilium: fugite manibus, vt ne veſtem quidem attingatis Sirenularum: fugite oculis, vt ne aſpiciatis quidem, quod fas non eſt concupiſcere: fugite mente, ne, dum cogitationi cogitando reſiſtitis, imaginationem cupiditatémque magis accendatis. Quis è domo non fugit, quam videt ardere? æternum tibi incendium inſtat, & non fugis? *Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum*, clamat ille *apud Virg. 3. Æn.* & ſi ianua non patet, rimam quære. Sic fugit Ioſeph impudicam, *Gen. 39. 12.* & vel in carcerem nidum ſuum tranſtulit, vt caſtitatem in cuſtodia haberet. Imitare hoc exemplum, quiſquis periclitaris. *Quid tibi neceſſe eſt*, ait Hieronym. *ep. 47. in ea verſari domo, in qua neceſſe habes quotidie aut perire, aut vincere? quis vnquam mortalium iuxta viperam ſecuros ſomnos capit? quæ etſi non percutiat, certè ſolicitat. Securiùs eſt, perire non poſſe, quàm iuxta periculum non periſſe.*

Hanc fugam aues docent, inter quas rurſus ſunt ciconiæ; de quibus *in Magn. Spec. Exemplor. diſt. 9. ex 62.* narratur, cum Gregorius IX. Pontifex ante initum Pontificatum Apoſtolicæ IIX.

ſedis legatus, in Lombardiæ quadam ciuitate, diſſidentes inter ſe ſe magnates vellet conciliare, & vna quidem pars arbitrio eius ſe ſe ſubmitteret, altera verò nihil de pace ſtatuenda audire vellet, excommunicatum eſſe Capitaneum, diſſenſionis auctorem, & pacis repudiatorem. Hoc fulmen vbi contemſit Capitaneus, ciconiæ tremuerunt, quæ turribus & caminis illius nidos ſuperſtruxerant: quippe illico infeſtam ſedem deſeruerunt, nidóſque ſuos in alterius Capitanei, qui Legato Pontificis obtemperare paratus erat, domum tranſtulerunt. Hoc poſtquam vidit contumax ille, non iam de pelui fulgur, aut brutum fulmen in ſe directum exiſtimans, veniam ſubmiſſus petijt, vinculóq; anathematis enodatus totũ ſe in Legati voluntatem tradidit. Ac ne putes priùs temerè ciconias migraſſe, poſtquam Capitaneus iſte in Legati, & Dei gratiam rediuit, redierunt & ciconiæ ad domum illius, nidóſque ſuos reportârunt. O vtinam & tu, adoleſcens, aut vir, aut quiſquis es, aues has imitareris; &, cum, ex habitatione, vel honeſtatis, vel religionis tibi periculum imminet, diceres: NON PLACET ISTA DOMVS; MIGRABO.

Humi-

Humilitas inſtruitur à Struthione ova ſepeliente.

EMBLEMA XXXV.

OCCVLTARE IVVAT; SIC CONSERVATA VIGEBVNT.



AVium grandiſsimi, & penè beſtiarum generis. Struthiocameli Africi vel Æthiopici, altitudinem equitis inſidentis equo excedunt. celeritatem vincunt: ad hoc demum datis pennis, vt currentem adiuuent: cetero non ſunt volucres, nec à terra tolluntur. Vngulæ ijs ceruinis ſimiles, quibus dimicant, biſulcæ, comprehendendis lapidibus vtiles, quos in fuga contra ſequentes ingerunt pedibus. Concoquendi ſine delectu deuorata mira natura &c. Præmia ex ijs oua, propter amplitudinem, pro qui- 1.

buſdam habita vaſis, conoſq; bellicos, & galeas ad-ornantes penna. Hæc de Struthione *Plin. l. 10. c. 1. S. Gregor. in c. 29. Iob. & Iſidor. lib. 12.* addunt, cum *oua* pariendi tempus eſt, ſuſpicere Struthionem, & Pleiades obſeruare; quas ſtellas vbi oriri deprehendit, plus quàm Mathematica arte, tum demum effoſa arena, ſcrobem facere, & in eam *oua* ſua deponere, rurſúmque ſabulo operire, & vix vno alteroúe paſſu digreſſum obliuiſci prorſus, vbi ea defoſſa reliquerit (ob quam rem D. Greg. *31. Mor- c. 16.* ſcribit, *oua* Struthionis fuiſſe Apoſtolos, ex Iudæis ortos, ſed à Iudæis derelictos) quare nec ea poſtea quærere. Ergo quod parens negligit, natura compenſat. Nam calore ſolis arena tepefactâ, &, quantum neceſſe eſt, vegetante lucis radio irrigatâ, *oua* haud ſecus, quàm à matre incubante, excoquuntur, & collecti in tutelam, tanquam genuina proles, recipiuntur. Ita ſobolem, quam in *ouo* contemſit, de *ouo* egreſſam peperiſſe ſe cum lætitia meminit. Illud ſtoliditati aſcribitur, quòd cum collum frutice occultauerit, latere ſe exiſtimet. *Plin. loc. cit.*

11. In homine ſapientiæ fuerit, ita ſe abſcondere, vt dum *lux* eius *lucet coram hominibus*, & opera eius vſque ad glorificationem Patris cæleſtis *videntur*, *Matth. 5. 16.* ipſe tamen nolit videri; neque aſpiciat, ad humanas, ſed ad diuinas

laudes,

laudes, tanquam ad Pleiades in cælo orientes. Si enim diuinæ laudes, velut Pleiades, te aliquid moliente, oriuntur, tunc tempus eſt, rem gerendi, tunc florere, tunc lucere, tunc *oua* parere, conſilia promere licet, & telam ordiri, magnorúmque ſemina ſpargere negociorum. Quod ſi verò etiam feliciter, quod concepiſti, es enixus, tunc vel maximè Struthiocamelum imitare; animal excelſum; grande, & criſtis adeò præditum, vt de ijs etiam bellatorum caſſides adornentur; *ouis*, vaſorum inſtar, opulentum; currendi celeritate; jaculandi certitudine; concoquendi mira indole laudatum; ſed in his omnibus tantis titulis non jactabundum, non ſuperbum. Scit ſe corporis mole grauatum à terra non tolli; eaq; de cauſſa nec ſupercilium tollit, & criſtas, ſine criſtis, erigit; nec ſuas laudes canit; immo adeò *oua* tam grandia & vtilia non oſtentat, vt ea ſabulo abſcondat.

Vtinam homines, inter homines, ſicut Struthio inter aues, grandiſſimi, vtinam in lauta & bene parte aucta conſtituti, vtinam ingenio, eruditione, potentia, aut etiam virtutum præclaris facinoribus fæcundi, poſſent geſta præconiaq; ſua, aut præconijs digna tantiſper ſepelire, terra tegere, & obliuiſci; neque ea vellent ſoli oſtendere, aut ipſi ſpectare, vel contemplari, vt plauſum vel ab alijs ferant, vel ſibi ipſis III.

dent: tum profectò opera illorum, diuino amore (velut cæleſti calore *oua* arenis obruta) concalefacta, maximorum fœtus meritorum eſſent productura: eo ſcilicet tempore, quo carne exutâ corporéque fracto, velut ruptâ teſtâ, ante diuini judicis conſpectum ſunt proditura. Tunc vtique agnituri eſſent ſuos fructus, quos modeſtia, veluti terra aliqua occultatos ſeruant, qui ſapiunt. Nam, teſte S. Baſilio *in Conſtitut. Monaſtic. c. 17. Humilitas tutiſſimus eſt virtutum omnium theſaurus*; cuſtodit enim virtutes; & earum merita, dum occulit, rapi à volucribus cæli non ſinit, donec fructus æternæ veræque gloriæ matureſcat; quem perdit gloria inanis.

IV. Hinc *ſi de natura dubitatur, diſciplina quid magis Deo ratum ſit, oſtendit*, inquit *lib. de Virg. Veland. Tertullian. Nihil eſt illi charius humilitate, nihil acceptius modeſtia, nihil peroſius gloria & ſtudio hominibus placendi.* Ac vt videas, tanquam *oua* in ſcrobe, ita humilitate *totum quoddam noſtrorum actuum foueri corpus,* vt loquitur S. Ambroſius *Serm. 20. in Pſ. 118.* S. Hieronymum audi. *ep. 14.* ad Celantiam ſic ſcribit: *Nihil habeas humilitate præſtantius, nihil amabilius. Hæc eſt enim præcipua conſeruatrix, & quaſi cuſtos quædam virtutum omnium: nihilq́ eſt, quod nos ita hominibus gratos & Deo faciat, quàm ſi vita merito magni, humilitate infimi ſimus.*

Prô

Prô dolor, palam eſt, paſſim contrarium fieri. V.
Si enim, vt docet S. Baſilius *in Iſa. 2. quæſt. 198. humilitas eſt depoſitio vani ſenſus, qui ab elatione vana de ſe exiſtimationis proficiſcitur*; quàm eum ſenſum pauci deponunt? quippe cum plerique ſe, & ſua duntaxat cupiant exiſtimari. Quin & qui nihil præclari egerunt, vel mentiendo ſe jactitant, vt egiſſe videantur. Quid hi ex *ouis* ſuis excludent? pauonem, aut coruum, qui è cæli arca euolauit non rediturus. Qui verò *clauſo cubiculo*, Deum *in abſcondito* & orat, & omni virtutum genere colit, *& quantò maior* eſt, *tantò* ſe magis *in omnibus humiliat*, ſuo tempore experietur, ſua ſe merita, non tam occultaſſe, quàm conſeruaſſe; immo hac ipſa làtibuli ſui humilitate, locum in cælo illuſtriſſimum ſibi apparaſſe. Nam, vt in Prat. Spirit. & *apud Villegam in Extrauag.* eſt, Thais illa proſtituti pudoris femina, vbi S. Paphnutij Abbatis ope ad frugem eſt reducta, tanta ſcelerum deteſtatione ſe quoque ipſam deteſtabatur, vt erubeſceret Dei nomen enunciare. Itaque cum aliud non præſumeret eloqui, hoc ſolùm identidem mente & voce trepida repetebat: *Qui plaſmaſti me, miſerere mei.* Qua animi modeſtia, ex meretrice antea, intra triennium, ad eum perfectionis gradum peruenit; vt eminentiſſimæ gloriæ locum (quem Paulus ſimplex in cælo conſpexerat mirificè radiantem,

tem, Patríque ſuo S. Antonio paratum conijciebat) vox de cælo audita, Thaidis eſſe, ſignificaret; quem illa ſcilicet intra decimum quintum diem eſſet aditura. Nempe de talibus, ad ſuperbos, ait Chriſtus Matth. 21. 31. *Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in regnum cæli*: cui aptior eſt humilis publicanus, quàm thraſonicè ſe jactans Phariſæus; & multò maximè is, qui cum in cenſu virtutum nihil habeat, quod laudari poſſit, laudes tamen appetit.

Diſſimiles animis tumidus vitaq; modeſtus,
Sunt, geſta aſpicias ſi bona, ſæpe pares.
Abſcondunt humiles pariter, pariterq; ſuperbi,
Sed magis abſcondunt hi bona, nulla patrant.

Humi-

Digitized by Google

Humilis aui ſimilis ova ſua & diſtribuenti, & abſcondenti.

EMBLEMA XXXVI.

SIC ARTES ARTE CAVENTVR.



QVi*ſcula* auis à ſono ſic appellata, docente natura, ſcit muſtelam *oua* ſuis, aliáſque beſtias inhiare, eáſque ſub glebis, ubi *Quiſcula* illla condit, per inſidias quæritare. Ergo, vt refert Petrus Berchorius *lib. 12. Reductorij Moralis cap. 25.* damnum prudentiâ declinat. Nam neque nidulo eundem locum ſeruat, ſed nunc hîc, nunc alibi *oua* ponit, diuerſis temporibus diuerſas ſedes eligens. Quin adeò, cauta eſt; ne muſtela poſteritatem ſibi tollat, ac *oua* ſimul reperta, ſimul deprædetur, etiam eodem 1.

dem

Digitized by Google

dem tempore in varijs ea locis occultat. Quarè maſculus & femina ſolent incubare: ille in vno loco *oua* calefacit, iſta in altero fouet. Quaſi cum Iacob *Gen.32.7.* populum, greges, oues, & boues, & camelos in duas turmas diuidente, dicerent: *Si venerit Eſau ad vnam turmam, & percuſſerit eam, alia turma, quæ reliqua eſt, ſaluabitur.*

II. Ita ſanè cauti ſunt & homines nummati, ac diuites, qui à furibus, incendijs, alijſúe infortunijs cum ſibi, tanquam à muſtelis, apprimè metuant, varijs in arcibus, vrbibus, prouincijs; quin & rebus, opes ſuas ſolent collocare. Nec totum maritus theſaurum ſeruat, ſeruat & vxor ſua cimelia. Vt ſi in viri conclaue irrumpat raptor, aliquid ſaltem remaneat in gynæceo; & ſi vineam grando percutiat, agri cenſum faciant; vel ſi ſeges infelix aſtra ſentiat inimica, vites à pruina immunes, autumnitatem donent. Ita & in amicis ſoliciti ſumus cumulandis; ne ſcilicet, dum, muſtulæ ritu, inuidus vnum nobis eripit, omni amicitiæ auxilio deſtituamur. Quare Senec. *lib. de remedijs Fortun: Amicum*, inquit, *perdidiſti? fortem animum habe, ſi vnum; erubeſce, ſi vnicum. Quid in tanta tempeſtate, ad vnam anchoram ſtabas?*

III. Hoc ergo in diuitijs, & amicitijs agimus? Cur non etiam potiùs imitemur *Quiſculam*, vti & Stru-

Struthionẽ,in occultando noſtro theſauro ſpirituali,ac pluribus locis cuſtodiendo; quando Stygius hoſtis,in eodem quærendo, tam ſedulò imitatur muſtelam? Quiſcula 1.imbecillitatem ſuam agnoſcit, ſicut & humilis fragilitatem ſuam, ac peccata ſua, teſte S. Auguſt. *conc. 15. in Pſ. 118.* 2. Quiſcula ſibi ipſi ſuíſque viribus diffidit, ſicut & humilis *veriſſima ſui agnitione ſibi ipſi vileſcit*, teſte S. Bern. *in tract. de gradib. Hum.* 3. Quiſcula *oua* ſua abſcondit, ſicut & humilis opera ſua, humanũ diem verens. *Quid eſt eſſe humilem?* ait S. Aug. *in Pſ. 33. nolle in ſe laudari.* Et iuxta S. Baſil. *in Iſa. cap. 2. ſupra cit. Humilitas eſt depoſitio vani ſenſus, qui ab elatione vanæ de ſe exiſtimationis proficiſcitur.* Plerumque meritum perdit, qui factum oſtendit; ſicut *oua* qui iactat, mactat.

4. Quiſcula talis Chriſtus erat, qui maximis miraculis,immo etiam,Solis inſtar,cum radiaſſet transfiguratus, vetuit rem euulgari antè, quàm à mortuis reſurgeret. *Matth. 17. 9.* Ita nimirum docuit *oua* abſcondere, & fugere laudes humanas. Quare S. Bern. *ſerm. 4. de Aduentu*, duplicem indicat humilitatem. Expendens enim illud: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde,* ait, *Humilitas duplex eſt: altera cognitionis, altera affectionis, quæ hîc dicitur cordis. Priore cognoſcimus, quod nihil ſimus, & hanc* LV.

diſcimus à nobis ipſis, & ab infirmitate propriâ: poſteriore calcamus gloriam mundi, & hanc ab illo diſcimus, qui exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens; qui etiam quaſitus in regnum fugit: quaſitus ad tanta probra, & ignominioſum ſupplicium crucis ſponte obtulit ſemetipſum. Priorem autem cognitionis non diſcimus à Chriſto. *Non enim quomodo ego vel tu*, ait idem, *inuenimus nos in virtute dignos dedecore & contemtu, dignos omni extremitate & inferioritate, dignos etiam ſupplicijs, dignos plagis: non inquam, ita ille: quæ tamen omnia expertus eſt, quia voluit, tanquam humilis corde. Humilis videlicet illa humilitate, quam cordis ſuaſit affectio, non quam extorſit, diſcuſſio veritatis.* Porrò tanta virtus eſt humilitas, vt à ſummo eam oportuerit Magiſtro doceri; & tamen pauci didicerunt.

V. 5. Quiſcula ſe inſufficientem agnoſcens, maritum in partem laboris vocat, cui *oua* ſubijcit, nec perdit: ſicut humilis & Deo, & proximo propter Deum, ſe ſuáque ſubijcit. Hinc ait, *Pſ. 61. 2. Nonne Deo ſubiecta erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meum.* Verè S. Ambroſ. *lib. 10. ep. 84. In eo*, inquit, *proprietatem* humilitatis *definimus, quòd per omnia Deo ſubditur. Nec poteſt quidquam de meritis ſuis perdere, quorum cauſſas, atque profectus, non in ſe, ſed in auctore ſuo conſtituit.* Nec erga Deum modò humilis ſe ſubmittit,

mittit,ſed etiam erga Magiſtros ſcientiarum ac virtutum,erga parentes, & ſuperiores, denique ſubiectus eſt, *omni humanæ creaturæ propter Deũ. 1. Pet.2.13.* neque ulli mortalium ſe anteponit.

6. Quiſcula cautiſſimè ſedem nidorum, atq; *ouorum* cuſtodiam diuidit, ſicut & humilis circumſpectè agit. Vnde S. Ambroſ. *l. 2. de offic. c. 17.* in illud *Phil.4.12. ſcio & humiliari, ſcio & abundare. Non ergo*, ait, *indocta humilitas, ſed quæ habeat ſui modeſtiam, & ſcientiam, laudi datur.* Et D. Greg. *part. 2. Paſtoralis c. 6. ſolerter intuendum eſt* (ijs qui præſunt) *ne dum immoderatiùs cuſtoditur virtus humilitatis, ſoluantur iura regiminis: & dum Prælatus quisque plus ſe, quàm decet, deijcit, ſubditorum vitam diſtringere ſub diſciplinæ vinculo non poſſit.* Vt ergo prudentiam comitari humilitas, ita viciſſim prudentia fulcire debet humilitatem: ne aut illa in ſuperbiam degeneret, aut iſta labatur in vilitatem ſubditis pernicioſam. Multi *oua* ſua perdunt, quia incautè cuſtodiunt. Cum ergo negligentiâ tot res perdantur, VI.

Incuriâ quare laborant plurimi?
Quisquiliæ vbique, non vbique Quiſculæ.

Digitized by Google

Hirundinum ova, linguæ vitia ſignificant; quæ qui moderatur, dignus eſt moderari Mundum.

EMBLEMA XXXVII.

INTER LOQVACES, QVI TACERE SCIT, IMPERAT.



I. HIrundinibus hoc natura largita eſt, ait Ælian. *l. 1. de animal. c. 37. Cum blattæ earum ouis pernicioſa ſint, matres apij folia ante pullos proijciunt, ob idq; ab illis ad pullos acceſſus fieri nequit.* Scilicet vt ad rutam à bufone. Sicut autẽ *meropibus apes*, eodem teſte *lib. 8. c. 6. hirundinibus cicadæ ſunt faciles captu* : ita ciconijs bufo & rana.

II. Hirundo, ſeu Progne, (vt quidam volunt

contra

contra *Ouid. 6. Metam.* de quibus *Cal. Rhodigin. l. 29. c. 26.*) abſçiſsâ linguâ in hirundinem garrulitate inſignem, & matutinos ſomnos rumpentem mutata; ab Anacreonte accuſata, eos ſignificat, teſte Pierio *l. 22. Hieroglyph.* qui ſapientiæ parum, loquentiæ multùm habent, vt copiâ ſermonis inopiam mentis compenſent. Apud Ariſtophanem Cleophanti illud ſtigma eſt impreſſum: *Ex cuius labris hirundo Thracia perſtrepit.* Pythagoræ præceptum eſt, *apud Plutarch. q. 7. Sympoſ. 8. hirundinem ſub eodem tecto ne habeas*: quamuis veris nunciam.

III. Itáque garruli id conſequuntur, vt non ſolùm moleſti ſint, ſed etiam, vt multi loquentiâ ſuâ nihil conſequantur. Parùm enim ei creditur, qui loquitur multùm; & ſicut vna hirundo non facit ver, ita vnus loquax non facit fidem. Dicta illius, velut *oua Chelidonis blattas*, ita nugas & apinas habent pernicioſas. Quæ niſi identidem iuramentis, vti hirundines apij folijs, muniant, nihil ſibi credi exiſtimant. Cum autem hirundo cicadá corripit, quid aliud docet, quàm loquaces loquacibus, aut indoctos doctis eſſe aduerſos, eóſque ſæpe deuorare? Nam & garrulum, & eruditum cicada ſignificat. Nota cicadæ & formicæ fabula; hæc enim magni laboris exemplum eſt, illa oſtendit loquacitatem eſſe matrem egeſtatis. Itaque ſæpe hirundo cicadam

corripit in paſtum, cum loquax inuenit alium ſe loquaciorem, à quo proſcinditur: vt qua ipſe menſura metitur alijs, alij quoque eidem remetiantur.

IV. Interim & ſuæ ſunt cicadis laudes. *Ceteræ aues Indiæ*, inquit Ælian. *l. 1. de animal. c. 20. os expreſſum habent, & ore valent ad cantum, moreq; hominum, lingua loquuntur. Cicadæ non ita, ſed (membranulæ uerberatione) circa cinctum loquuntur. Rore veſcuntur. A prima luce, donec impleantur hominum conuentu fora, ſilent. vigore ſolis progrediente, cantare aggrediuntur: & tanquam laborioſi cantores ſupra caput meſſorum ſtantes, aures ipſorum & paſtorum, viatorumq; demulcere ſtudent. Hoc autem cantandi ſtudium ſolis maribus à natura tributum eſt. Cicada femina muta eſt, ac more ſponſæ verecundæ ſilentium ſibi conuenire exiſtimat.* Hinc Samius ille, *apud Plutarch. loc. cit.* vel idcirco hirundinem hoſpitam recipi vetat, quia *carnem depaſci ſolet hirundo, venaturq; ſacras illas Muſis canoras cicadas.* Et Ariſtophanis, *in Nebulis*, Scholiaſtes cicadas, ob cantum, Apollini ſacras facit. Garrulus ergo in indoctos atque doctos pariter fertur.

V. Loquacitatis item Symbolum eſt, rana identidem, etiam *ſub aqua, ſub aqua maledicere* & coaxare, itemque bufo lugubriter ſingultire non ceſſans. Quid verò hac ſua garrulitate hæc omnia

nia

nia animalia lucri reportant? Ciconia auis muta, cui nec lingua quidem eſt, ſceptrum tenet; & nunc hirundinem ſub nido ſuo nidulantem, nunc ranam, nunc rubetam roſtro percutit vociferantemq́ue diſcerpit. Scilicet multùm poteſt efficere, *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir, poteſt enim freno circumducere totum corpus. Iac.3.2.* Loquaces autem mendaces plerumque; quare *faciunt, vt nec vera dicentibus credatur.* S. Hieron. *ep.38. Præferendus ille, & magnus eſt, cui inter proſpera ſaltem riſus indecentior, aut ſermo inſolentior, aut immoderatior cura veſtis vel corporis non irrepſit.* S. Bern. *l.2. de Conſid.* Raró pænitet tacuiſſe. *Sancti viri*, inquit Gregor. *l.22. Moral. c.16. cum conſpiciunt, quia auditorum vitam loquendo lucrari non poſſunt, tacendo abſcondunt ſcientiam ſuam. Ad imitandum quippe viam Domini, quaſi ad quoddam nobis propoſitum ſignum currimus. Ipſe enim quia Herodem vidit non profectum quærere, ſed ſigna, vel ſcientiam velle mirari, requiſitus ab eo tacuit, & quia conſtanter tacuit, ab eo irriſus exiuit.*

Ita ſtulti rident ſapientes; ſapientes autem ſæpe potentiùs loquuntur tacendo. Inter quos Agatho Abbas, qui lapillo ori indito, tacere didicit, idque ſilentium per tres, vt S. Romualdus per ſeptem annos, continuauit. At Theona domunculæ incluſus, ſupra Pythagoræ quin- VI.

Digitized by Google

quennium, nempe per 30. annos tacuit, cum ſolo Deo locutus: vti S. Gregorius Naz. toto aliquando quadrageſimæ tempore ſilentium ſibi indixit. S. Ioannes Silentiarius, *apud Sur. 13. Maij* ex Epiſcopo eremicola, per 47. annos, vſque ad ætatis ſuæ annum 104. ſiluit. B. Abbas Pambo, *in hiſt. Trip. l. 8. c. 1.* alicui ſibi *Pſ. 38.* legere incipienti, cuius initium eſt, *Dixi cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea*, dixit: *Sat eſt, reliqua audiam, cum iſtud opere impleuero.* Diu poſtea cum redire diſtuliſſet, dixit, ſe iſtud ipſum non perfeciſſe adhuc. Quare cùm eum adiens Theophilus Epiſcopus ſpirituali ſermone refici cuperet, reſpondit idem, nec ſermonibus eum refici poſſe, ſi taciturnitate non reficeretur. Simile quid Arſenius fecit apud *Sur. 19. Iul.* cum frater eum inuiſeret. Quis neſcit S. Thomam de Aquino adoleſcentem, tantum fuiſſe ſilentij amatorem, vt condiſcipulis *bos mutus* vocaretur? ita nimirum mutus fuit, vt ſilentium eius poſtea, in toto orbe, auditum, & Academias, & Eccleſias acutiſſimè erudiret. Sed non tacenda mihi illa potentia ſilentij, quam, vt auctor eſt Thom. Cantiprat. *2. Apum. c. 13.* in Affligenio S. Benedicti in Brabantia monaſterio Religioſus quiſpiam mundo exhibuit; dum ſilentio ita deditus, vt intra 16. annos ne verbulum quidem mutiret, orto tamen ſæuiſſimo in-

cendio,

cendio, omne auxilium humanum ſuperante, cellâ ſuâ egreſſus, fusâ ad Deum prece, tandem linguam juſſit oſtendere, quid ſilendo didicerit: Lingua ergo in hæc ſe verba ſoluit: *Stes ignis, hâc horâ, flamma penitus acquieſcat.* Cum dicto hoc, ignis ceſſauit. Tantùm auctoritatis ineſt rarò loquenti.

Extinxit ignes factus unus eloquens:
Plures loquendo ſuſcitant incendium.

Ova miraculo ſervata liberalitatem commendant.

EMBLEMA XXXVIII.

SERVANTVR, QVÆ DONANTVR.



1. DE S. Catharina Senenſi ſcribit *in vita eius 29. April.* Surius in hæc verba. *Pauper quidam, ſed qui ſua ſponte bonis temporarijs ſe nudaſſet propter Deum, rerum ad victum pertinentium penuriam patiebatur. Percepit id ſacra virgo, & aliquot oua coniecit in ſacculum lineum, tunica ipſius intrinſecus aſſutum, vt in illo paupere Chriſtum reficeret. In via autem ingreſſa in templum orationi ſe dedit, & ectaſin paſſa, caſu incubuit corpore in ſacculum illum ouis plenum. Erat autem in eodem ſacculo digitale æreum. Ecce tibi rem*

omni

omni admiratione digniſſimam. Digitale illud pondere virginei corpuſculi fractum eſt in tres partes, oua prorſus integra manſerunt, cum tamen aliquot horis illud pondus ſuſtinuiſſet. Hæc ille.

Quæ docent, quantam Deus curam habeat eorum, qui vel paupertatis amore ſe ipſos non curant, vel amore Dei pauperes curant, promi magis, quàm condi. De illis ait *Pſ. 54. 23. Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet;* eſcáſque tuas cuſtodiet, neque *oua*, quamuis *oua* confringi patietur. Sed illorum quoque curam habebit, qui curam habent pauperum, in eóſq; de ſuo, non de alieno, ſunt liberales. Nam *oua* qui cuſtodit ex liberalitate pauperibus deſtinata, multò magis cuſtodiet ipſos, qui ſunt liberales, ne liberalitate ab hominibus vincatur. II.

Aptè S. Leo *Serm. 10. de Quadrag. Vbi Deus curam miſericordiæ inuenit, ibi imaginem ſuæ pietatis agnoſcit:* ac plena manu dantibus, pleno modio refundit. Et Clemens Alex. *l. 2. Strom. Dei imago eſt homo benefaciens.* Quamobrem *quemadmodum diuitum filij*, inquit S. Chryſ. *hom. 1. ſeu in præfat. in ep. ad Philip. ornatus gratiâ aureum monile geſtant in collo, nec id vnquam deponunt, velut nobilitatis ſignum circumferentes, & oſtentantes: itidem & nos oportet ſemper beneficentia indutos eſſe, declarantes, quod filij ſumus eius, qui miſericors eſt, & ſolem ſuum exoriri facit ſuper bonos ac malos.* III.

Digitized by Google

IV. Vel Ethnici hinc laudantur. Apud Suet. *in Veſp.* T. Veſpaſianus interrogatus, cur tam multa polliceretur? reſpondit, non oportere quenquam à Cæſare triſtem diſcedere. Alphonſus, teſte Panorm. *l. 4. de rebus geſtis illius*, cum audiſſet Veſpaſianum Cæſarem, *eam diem ſe perdidiſſe* ſolitum dicere, *in qua nihil quidquam alicui donâſſet*, egit gratias Deo opt. Max. quòd eo modo nec diem ipſe perdidiſſet. Hac ipſa de cauſſa ait Apoſtolus *Col. 3. 12. Induite vos, ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ*; Sicut induit Catharina Senenſis, atque inde magis, quàm ipſo miraculo enituit. Quippe, vt S. Hieronymus ait *l. 16. in Iſa. Liberalitas virtus maxima eſt, & via regia, à qua declinat ad dexteram, qui parcus eſt, & non ſolùm alijs, ſed ne ſibi quidem tribuit, quod neceſſe eſt. Ad ſiniſtram, qui comedit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, & dicit cum Iſraël; manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.*

V. Definitur à Speuſippo liberalitas, *habitus, qui in quærendis erogandiſq; pecuniis decorum ſeruat*. Vbi, nomine *pecuniæ*, cum Ariſtot. 4. *Ethic. c. 1.* intelligendum eſt, *quidquid nummis æſtimari poteſt*. Quamobrem à S. Thoma *2. 2. q. 112. art. 2. & 3.* virtus hæc dicitur, *diuitiarum appetitum moderari*, hominémque expeditum reddere, ad ijs ex rationis dictamine vtendum: in acqui-

quiſitione & erogatione ſcilicet earum, quæ niſi moderata ſit, vel non tantum, quantum oportet, tribues, & eris auarus ; vel in dando modum excedes, & fies prodigus. Igitur *medio tutiſſimus ibis* : quod S. Ludouicus fecit Sorbonicam adiuturus architectationem.

Tullius *1. de off.* & S. Ambr. *1. de off. c. 28.* VI.
liberalitatem, pro affectu benignitatem, pro effectu beneficentiam vocant. *Non enim ſatis eſt bene velle, ait cap. 30. Ambr. ſed etiam benefacere. Neq; ſatis eſt benefacere, niſi id ex bono fonte, hoc eſt, ex bona voluntate, proficiſcatur. Hilarem datorem diligit Deus.* Quis neget, quòd diligat? In Catharinæ miraculo oſtendit. Immo oſtendit, quando piam liberalitatem ſacrificijs prætulit. *Euntes*, inquit, *Matth. 9. 13. diſcite, quid eſt, miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Pythagoras rogatus, qua ratione homines Dijs ſimiles haberi poſſint? dixit, *Si veritatem amplecterentur, & cunctis benefacerent.* Sicut ergo ad alta aſpiramus naturæ impetu, ita, teſte Tullio, *in Lal. natura ad liberalitatem propenſiſſumus.*

Vnde & qui accipit, non tam effectu, VII.
quàm affectu dantis meritum æſtimat. Quia, vt ait Seneca *1. de Beneficijs c. 6. Beneficium non in eo, quod fit, aut datur, conſiſtit; ſed in ipſo dantis, aut facientis animo.* Affectus iſte debet eſſe ad omnes; etiam inimicos, *operemur bonum ad omnes*, ait Pau-

Paulus, *Gal.6.10.* & Chriſtus *Matth. 5.44. benefacite his, qui oderunt vos.* Et quidem animo liberali, hoc eſt, libero & libenti, promptóq;. Denique ex Chilonis, *apud Laërtium l. 1. c. 5.* ſententia, *hæc beneficij inter duos lex eſt. Alter ſtatim obliuiſci debet dati, alter accepti nunquam*; vt Senecæ verbis rem vertam. Hæc omnia qui habet, eſt liberalis, qualis fuit Io. Eleemoſynarius, Nicolaus Myrenſis, & Sanctulus ille Nurſiæ, *apud S.Greg.l.3. Dial.c.37.* quem, ob liberalem charitatem, Deus, velut *oua Catharinæ*, etiam à Carnificis gladio non paſſus eſt violari. Cyrus dixit, ſe Theſauros parare dando; adeóque perſuaſum habuit, bona donare, eſſe ſeruare: è Sanctulo diſcimus, non tantùm dona dando ſeruari, ſed etiam donantes.

Quis poni facto contraria credat in vno?
In miſeros aurum ſpargere, colligere eſt.

Ovo-

Ovorum cura, diſciplinæ magiſtra.

EMBLEMA XXXIX.

INDVSTRIA NATVRÆ MANVM PORRIGIT.



ANſerina oua feliciùs, ac pauonina à gallinis fouentur. Ita autem ſunt ſupponenda. Quinque oua pauonum, reliqua gallinæ ſupponantur: decima die oua omnia gallinacea ſubtrahuntur, & alia item gallinacea totidem recentia ſupponantur, quot ablata ſunt; vt trigeſima luna, hoc eſt, expletis triginta diebus, poſſint cum pauoninis ouis aperiri. Oua autem pauonum, quæ gallinæ ſubiecta ſunt, ſæpe manè conuertantur, quia hoc ipſa facere vix valebit: vnam partem oui notabis, vt te ſubinde conuertiſſe cognoſcas. Porrò cum nati fuerint, I.

Digitized by Google

rint, maximè cuſtodiendi ſunt, cùm criſtam mittunt, tunc enim facilè pereunt. Anſeri:.a autem gallinaceis eodem modo ſupponantur, amoueantúrque: nam pauonum & anſerum cubandi idem tempus eſt: gallinarum autem dies viginti vnus, nouem videlicet minùs, quàm pauonum. Ouis tamen anſerũ vrtica ſubijcietur. Hæc Palladius, & ex eo Cardan. *lib.7. de rer. variet. c.35.* Qui paulò infra ſubdit: *In phaſianis eadem ratio exactè, quæ in pauonibus, ſed quindecim oua ſupponuntur, cetera ſui generis terminus idem eſt.* Tanta anſerum, aut pauonum cura eſt.

11. Et quæ cura filiorum? nonne & illi, velut *oua*, Magiſtris ſupponendi? Cur enim Perſius *ſat. 5. ait:*

Me tibi ſuppoſui, teneros tu ſuſcipis annos
Socratico, Cornute, ſinu tunc fallere ſôllers
Appoſita intortos, oſtendit regula mores,
Et premitur ratione animus, vincique laborat,
Artificémque tuo ducit ſub pollice vultum.

Et, ſi ſacra quærimus, nonne Paulus *Hebr. 13. 17.* ſcribit: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis*, ſicuti *oua*, vt maturentur, debent ſubiacere gallinis. Et rurſus. *Rom. 13. 1. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Sicut ergo *ouis* gallina, ſic hominibus neceſſaria eſt diſciplina, qualis eſt, Patris in filium, Magiſtri in diſcipulum, Domini in ſéruum, & Magiſtratus in

ſub-

Digitized by Google

ſubditum; quæ tota conſiſtit in eo, vt alienæ iſti pareant voluntati, & tempus expectent, ac modum, moréſque velut calorem accipiant, donec matureſcant.

III. Rectè enim Seneca *l. De Morib. Educatio, & diſciplina mores facit: & illud ſapit vnusquisque, quod didicit.* Et S. Cypr. *de habitu Virginum: Diſciplina, cuſtos ſpei, retinaculum fidei, dux itineris, ſalutaris fomes, ac nutrimentum bonæ indolis, magiſtra virtutis, facit in Chriſto manere ſemper, ac iugiter in Deo viuere, ad promiſſa cæleſtia, & diuina præmia peruenire. Hanc ſectari ſalubre eſt, & aduerſari ac negligere lethale.* Quocirca Lucius *lib. de Deo Socratis*, ait, nihil ſe æquè mirari, quàm cum omnes cupiant optimè viuere, & ſciant non aliâ re viui, quàm animo; nec fieri poſſe, quin vt optimè viuas, animus colendus ſit, tamen homines animum ſuum non colere.

IV. *Oua* tanto ſtudio curantur, mutantur, conuertuntur, neque aui cuicunque ſupponuntur; & liberi cuiuis pædagogo, cuiuis magiſtro committuntur? Præſtaret, nulli committere, quàm malo. Nulli tamen committere, eſt vel omnes malos ſuſpicari; vel nolle, vt filij ſapiant. Nam mores primùm, deinde ſapientia diſcitur, quæ ſine moribus malè diſcitur. *Quare liberalib. ſtudijs filios erudimus? Non quia virtutem dare poſſunt, ſed quia animum ad accipiendam virtutem*

præ-

rint, maximè cuſtodiendi ſunt, cùm criſtam mittunt, tunc enim facilè pereunt. Anſeri:.a autem gallinaceis eodem modo ſupponantur, amoueantúrque: nam pauonum & anſerum cubandi idem tempus eſt: gallinarum autem dies viginti vnus, nouem videlicet minùs, quàm pauonum. Ouis tamen anſerũ vrtica ſubijcietur. Hæc Palladius, & ex eo Cardan. *lib. 7. de rer. variet. c. 35.* Qui paulò infra ſubdit: *In phaſianis eadem ratio exactè, quæ in pauonibus, ſed quindecim oua ſupponuntur, cetera ſui generis terminus idem eſt.* Tanta anſerum, aut pauonum cura eſt.

11. Et quæ cura filiorum? nonne & illi, velut *oua*, Magiſtris ſupponendi? Cur enim Perſius *ſat. 5. ait:*

Me tibi ſuppoſui, teneros tu ſuſcipis annos
Socratico, Cornute, ſinu tunc fallere ſollers
Appoſita intortos, oſtendit regula mores,
Et premitur ratione animus, vincique laborat,
Artificémque tuo ducit ſub pollice vultum.

Et, ſi ſacra quærimus, nonne Paulus *Hebr. 13. 17.* ſcribit: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis*, ſicuti *oua*, vt maturentur, debent ſubiacere gallinis. Et rurſus. *Rom. 13. 1. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Sicut ergo *ouis* gallina, ſic hominibus neceſſaria eſt diſciplina, qualis eſt, Patris in filium, Magiſtri in diſcipulum, Domini in ſéruum, & Magiſtratus in ſub-

Digitized by Google

ſubditum; quæ tota conſiſtit in eo, vt alienæ iſti pareant voluntati, & tempus expectent, ac modum, moréſque velut calorem accipiant, donec matureſcant.

Rectè enim Seneca *l. De Morib. Educatio, & diſciplina mores facit: & illud ſapit vnuſquiſque, quod didicit.* Et S. Cypr. *de habitu Virginum: Diſciplina, cuſtos ſpei, retinaculum fidei, dux itineris, ſalutaris fomes, ac nutrimentum bonæ indolis, magiſtra virtutis, facit in Chriſto manere ſemper, ac iugiter in Deo viuere, ad promiſſa cæleſtia, & diuina præmia peruenire. Hanc ſectari ſalubre eſt, & aduerſari ac negligere lethale.* Quocirca Lucius *lib. de Deo Socratis*, ait, nihil ſe æquè mirari, quàm cum omnes cupiant optimè viuere, & ſciant non aliâ re viui, quàm animo; nec fieri poſſe, quin vt optimè viuas, animus colendus ſit, tamen homines animum ſuum non colere. III.

Oua tanto ſtudio curantur, mutantur, conuertuntur, neque aui cuicunque ſupponuntur; & liberi cuiuis pædagogo, cuiuis magiſtro committuntur? Præſtaret, nulli committere, quàm malo. Nulli tamen committere, eſt vel omnes malos ſuſpicari; vel nolle, vt filij ſapiant. Nam mores primùm, deinde ſapientia diſcitur, quæ ſine moribus malè diſcitur. *Quare liberalib. ſtudijs filios erudimus? Non quia virtutem dare poſſunt, ſed quia animum ad accipiendam virtutem præ-* IV.

præparant, ait Senec. *ep.89*. Itaque debent homines, per diſciplinam, ad ſapientiam peruenire.

V. Diſciplina autem diuiditur in correctionem, & inſtructionem, quorum primum timore, ſecundum amore perficitur; vtrumque à Magiſtro; à quo ſi vulgus, ſi ruſtica plebes non vult litteris, certè debet pietate erudiri; etiamſi ſit adulta. *Quid eſt ſtultius*, ait Senec. *ep.77. quàm quia diu non didiceris, non diſcere? Omnis ætatis homines hæc ſchola admittit. Tamdiu diſcendum eſt, quàm diu neſcias: &, ſi prouerbio credimus, quamdiu viuas. Etiam ſeni diſcendum eſt.* Aſſonat Auguſtin. *ep. ad Hieronym.* ſcribens: *Ad diſcendum, quod opus eſt, nulla ætas ſera videri poteſt: quod, & ſi ſenes magis decet docere, quàm diſcere, magis tamen decet diſcere, quàm ignorare.*

VI. Cuius rei pulcherrimum ipſe exemplum reliquit, ad Auximium Epiſcopum ſcribens, *& habetur 24.q.3.can. ſi habes de hac. Senex à iuuene, & Epiſcopus tot annorum à collega, necdum anniculo paratus ſum doceri, quo modo poſſim vel Deo, vel hominibus iuſtam reddere rationem.* Exempla ſunt autem & aliorum in diſciplinam traditorum, tot, quot laudantur vel diſcipuli, vel magiſtri; qui eos, diuerſos ſanè, nempe vel pauonum, vel anſerum, vel gallinarum *oua*, excluſerunt: digni præmio ſiue in ſtupidos inciderint,

rint, ſiue in ingenioſos. Nec multo aliter Socrates dixit : *Oportet magiſtros multas mercedes capere à diſcipulis : ab ingenioſis quidem, quia multa diſcunt : à rudibus verò, quia multos labores exhibent.* Denique vniuerſim *oua teneram adhuc prolem exprimunt*, ut *in c. 34. Iob.* Scribit D. Greg. *quæ diu fouenda ſunt, vt ad viuum volatile perducantur. Oua quippe inſenſibilia in ſemetipſis ſunt, ſed tamen calefacta in viua volatilia conuertuntur. Ita nimirum paruuli auditores ac filij, certum eſt, quòd frigidi inſenſibiléſque remaneant, niſi doctoris ſui ſolicita exhortatione caleſiant. Sed oua Struthionis derelinquuntur* (vide *Embl. 35.*) *cum diſcipulis ſuis hypocritæ nullum cæleſtis vitæ exemplum præbent.* Quid enim ſperes à naue, quæ non habet gubernatorem; à viatore, qui, pro duce, incidit in ſeductorem? nonne illa in ſcopulos, iſte in mille incurret Labyrinthos? cum alioquin etiam bonos duces pauci ſequantur. Apud plurimos enim diſciplina, non *diſciplina* eſt, ſed *diſplicina.* Malunt in tympanis ludere, quàm in choro ſaltare. Parentum eſt igitur & magiſtros prouidere, & bonos. Quare

Quicunque maturos cupis,
Parens, habere filios,
Noli anſeri committere.

Ova variè aperta, variè tractanda hominum ingenia, ſed piè, & à pijs, monent.

EMBLEMA XL.

NON EST INGENIVM, NON EST MOS OMNIBVS IDEM.



1. MEnſarum vrbanitas docet, ſepties errari poſſe in *ouo* edendo, & ritè aperiendo. Sed *quemadmodum apponendi, ita etiam oua aperiendi modus diuerſus eſt*, *ait* Vlyſſes Aldrouandus *lib. 14. Ornithol. c. 1. Iudæi enim eà aperiunt parte acutiore, vt ſi qua illic gutta ſanguinis apparuerit, abſtineant; nos* (Itali ſcilicet) *obtuſiore plerumq;, Germani in latere.* Martes ingenio callida alium aperiendi modum reperit; nam

nam vt exugere ad amuſſim *oua* poſſit, vtroque capite ea ſubtiliter perforat, vt aër ſuccedens, ſuccum trahi ſinat. Quem comedendi modum hominum quoque nonnulli immitantùr, dum *oua* ſorbendo exhauriunt.

Scilicet & homines trahendi non vnus eſt II. modus. Aliæ nationes, aliter nutriunt ſuos infantes; & aliæ aliter educant liberos; ac ſæpe non tam pro liberorum capacitate, quàm pro ſua voluntate. Poteſt *ouum* quacunque parte aperiri; ſed alijs alia pars placet, vel pro ritu gentis, vel pro more regionis. Ita nonnulli, tales ſuos volunt eſſe filios, quales ipſi fuêre. Quamobrem non modò regum filij reges, ſed etiam ſartorum filij fiunt plerumque ſartores & ruſtici ruſticorum. Quin & Menalcæ plerumque volunt vocari, quoquot à Menalca deſcendunt.

Quod in moribus etiam contingit. Tam- III. etſi enim ſubinde heroum quoq; filij noxæ; nec Ciceroni gnatus ſuus par eſt; plerumque tamen tricongij tricongios, & Sardanapali Sardanapalos; auaros auari, impij impios educant. At neutrum natura jubet, vel Deus. Sæpe enim aliquis à purpura parentum, ad humilia deſcendit; & non rarò in mapalibus nati, de ſtiua, ad ſceptrum & ſolium peruenerunt. Itaq; nullus Crœſus regno ac fortunæ fidere, nullus Irus deſperare, ob natales, debet. Neque verò omnis pa-

Digitized by Google

rens progeniem vidit vitioſiorem. Efferatiſſimæ belluarum catulos genuerunt, qui ſi humanis manibus fuêre excepti, cicurati ſunt. Ita ethnicorum, Turcarum, hæreticorum proles Catholicè educata, ad magnam ſæpe perducta eſt pietatem. Ipſe Moſes à Pharonis filia enutritus, quantum non profecit in litteratura Ægyptiorum? Quemadmodum ſpina, licet, per ſe nullum gratum hominibus fructum proferat, in pyrum tamen inſerta fructus dulciſſimos edit: ſic homo agreſtis licet ſit, diſciplina tamē adeò formari poteſt, vt fructus vberrimos vtiliſſimôſq; gignat.

IV. Et quamuis non gignat; ſaltem tu officio tuo ſatis feciſti, ſi conatus es ingenium aperire, & erudire. *Si annunciante te ad impium, vt conuertatur à vijs ſuis, non fuerit conuerſus à via ſua, ipſe in iniquitate ſua morietur. porrò tu animam tuam liberaſti. Ezech. 33.9. Hîc certè*, ait Proſper *l. 1. de Vit. contempl. c. 22. ſatis euidenter oſtenditur, quòd ſiue proficiant, ſiue non proficiant auditores, tacere eis non debeant ſacerdotes.* Ita & parentes debent omnia tentare. Itaque, vt non vnus eſt modus *ouorum* aperiendorum, ita nec vna ratio tentandi ingenia puerorum. Dummodo vtilia doceantur. *Hoc ſcire, quid proderit?* ait Senec. *ep. 89. vt ſolicitus ſim, cum Saturnus & Mars ex contrario ſtabunt? aut cum Mercurius veſpertinum faciet*

Digitized by Google

faciet occaſum, vidente Saturno. Immo quid proderit, audire, à fele comas ſibi lambente, pellemque mundante ſignificari aduentum noui hoſpitis? aut coruo circa domum crocitante, portendi mortem alicuius inquilini?

Hæc docentur homines à cunis, & neſciunt, V.
inter tot curioſitates ac ſuperſtitiones, ritum Deum precandi, aut artem, qua metum ſibi demant, cupiditatem eximant, libidinem frænent. Culpa ea eſt educatorum, & Magiſtrorum, quorum officium eſt, cum litteris docere virtutes. *Muſica monſtrat mihi,* ait ib. Seneca, *qui ſint modi flebiles; monſtret potiùs, quo modo inter aduerſa non emittam flebilem vocem. Metiri me Geometres docet latifundia; potiùs doceat, quo modo metiar, quantum homini ſatis ſit. Numerare docet me Arithmetica, & auaritiæ commodare digitos; potiùs doceat, nihil ad rem pertinere computationes. Doces me, quomodo nihil, perdam ex finibus meis; ego diſcere volo, quomodo totos hilaris amittam. ô egregiam artem: ſcis rotunda metiri; ſi artifex es, metire hominis animum, dic quàm puſillus ſit. Scis, quæ ſit recta linea, quid tibi prodeſt, ſiquid in vita rectum ſit ignoras?* Non malum eſt iſta etiam diſcere, ſed iſtis diſcendis ita te impendere, vt neceſſaria ignores.

Rectè proinde faciunt parentes, qui dum VI.
oua ſua magiſtris tradunt, non tantùm magi-

ſtros gnauiter quærunt, à quibus litteras, & citharam, ſed etiam mores ac pietatem diſcere poſſint, vt vndique erudiantur. Diſcunt pedes ſaltare, cur non diſcunt manus orare? Sciunt tui filij numerare pecunias, cur non, vel te magiſtro, etiam preces debitas Deo numerant? Nec erubeſcere debet quiſquam, ſi occupetur in pueris ad virtutem erudiendis; cum videamus glorianter ſuperbire ſæpe, qui eos docent equitare. Nobilius eſt, Deum colere, quàm equos regere.

VII. In Alexandrina Eccleſia, teſte Euſebio *l. 6. hiſt. c. 1. & 12.* catechumenis inſtruendis præfuit Pantænus, Clemens, Origenes Heraclas. De S. Vincentio Ferrerio ita *apud Sur. 5. April.* ſcribit Petr. Ranzanus: *Neq; duntaxat ætate prouectos ſublimium rerum capaces erudiebat, ſed etiã pueros certis ad ſe horis euocatos inſtituebat, docens eos, quemadmodúm cruce ſe ſignarent, orationem Dominicam, & Angelicam ſalutationem, atque fidei Symbolum enunciarent, Deum colerent, amarent, parentibus & proximis quibusque honorem haberent, & debita officia perſoluerent.* S. Hieronymus, *ep. ad Lætam*, multa dat præcepta jam ſenex pro recta inſtitutione filiæ, tandemq; hæc addit: *Ipſe, ſi Paulam miſeris, & magiſtrum me, & nutriciũ ſpondeo, geſtabo humeris, balbutientia ſenex verba formabo, multo glorioſior mundi Philoſopho, qui non regem Macedonum Babylonio perituRUM*

rum

rum veneno, ſed ancillam & Sponſam Chriſti erudiam, regnis cæleſtibus offerendam. Nec magnus ille Academiæ Pariſienſis Cancellarius Io. Gerſon. dedignatus eſt puerilem catecheſeos inſtitutionem tradere, ac tam exemplo, quàm verbo commendare. Quid quòd ipſe Chriſtus dixit *Matth. 19. 13. Sinite paruulos venire ad me?*

Igitur & parentes, & quicunque, vel magni, vel parui, viam juuentuti aperiant ad virtutem; quiſque ſuo modo, dummodo bono, dummodo conuenienti, & accommodato. Alijs acumina laudeſque obijciat, alijs latera fodiat ſtimulis, alijs obtuſa demat; ſic enim ingenia varia, velut *oua* ſunt variè aperienda. Aptè huc apponi poſſunt Cn. Cornelij Galli verſus *eleg. 1.* quibus idem docetur. Sunt enim iſti. IIX.

Diuerſos diuerſa juuant: non omnibus annis
Omnia conueniunt: res priùs apta, nocet.
Exultat leuitate puer, grauitate ſenectus:
Inter vtrumque manens ſtat iuuenile decus.
Hunc tacitum triſtemq; decet; ſit clarior ille
Lætitia, & lingua garrulitate ſua.
Cuncta trahit ſecum, vertitq; volubile tempus:
Nec patitur certâ currere quemque viâ.

Digitized by Google

Ab omni creatura nos doceri, ovum docet.

EMBLEMA XLI.

NEC TALEM PIGVIT, TALI DI- DICISSE MAGISTRO.



I. FRanciſcus de Corduba *in Didaſcalia multiplici*, etſi non veram, iucundam tamen atque curioſam, ex Hebræorum fabulis, affert interpretationem illius loci. *3. Reg. 6. 7. Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata eſt: & malleus, & ſecuris, & omne ferramentum, non ſunt audita in domo, cum ædificaretur.* Cuius loci ſenſus genuinus eſt, induſtria artificum, & prudentia Salomonis, ad tantum opus lapides & ligna adeò exactè prius

priùs alibi, nempe in monte & lapicidinis, à cæmentarijs Salomonis & Hiram, ut dicitur *3. Reg. 5. 18.* fuiſſe aptata, vt in ipſo loco templi, ſine ullo ferè ſtrepitu, bitumine, aliiſque neceſſarijs vinculis compaginarentur; in figuram ſcilicet myſtici illius templi in cælo, ubi ſine malleo, ſine verberibus, ſine ictu & dolore, priùs in his terris, & hac mortali vita *Tunſionibus, preſſuris expoliti lapides ſuis coaptantur locis.* Ita quidem locum illum intelligunt, qui rectè intelligunt.

Apud citatum tamen auctorem, Hebræorum ſomnijs non nemo eruditus, ait Salomonem cum omnium herbarum beſtiarúmq; vires noſſet, *ouum*, an pullum Struthioni eripuiſſe, atq; in vitrum ingens incluſiſſe, unde certum aliquem vermem ſit adeptus. Struthio enim poſtquam *ouum* ſuum reperit, ſed in cuſtodiam datum, ut illud, velut è vinculis liberaret, illico notiſſimũ ſibi, naturæ magiſterio, vermem, quæ ſiuiſſe fertur, quo admoto, vitrum ruptum diſſilierit, *ouúmq;* reliquerit liberum ſtruthioni. Struthione ergo *ouum* ſuum reportante, Salomon, ut iſti fingunt, vermem accepit, & ſaxis illis grandibus, quæ templo deſtinabantur, adhibuit, itáque fabrè ſecuit, poliuit, dolauit, ut ea nullo malleo, ſecuri, alioúe ferramento indigerent. In hunc ferè modum, quantum memini (nec enim ad II.

manum eſt auctor, alibi mihi lectus) Franciſcus de Corduba. Crediderim faciliùs, ſaxa illa mendacij magnitudine, quàm vermiculi viribus rupta diſſilijſſe.

III. Io. de Pineda *in Salomone prævio lib. 5. c. 5. q. 15.* ita loquitur: *Secunda Hebræorum commentatio plena curioſitate, comminiſcentium, artifices illos, & præparatores lapidum uſos fuiſſe ſanguine cuiuſdam vermiculi, qui dicitur* Samir, *cuius virtute ſcindebantur lapides mirabili facilitate, ſicut ſmerillo ſcinditur vitrum. Itaque ſanguine illo liti lapides molleſcebant, & ſua ſponte findebantur. Addunt verò fabulam fabulæ, illam vermiculi virtutem caſu quodam & experimento à Salomone compertam fuiſſe, cum ſtruthionis pullus, quem habebat vitreo vaſe incluſum, non alia arte recuperari à parente potuiſſet, quàm priùs vermiculo illo de deſerto adducto, atque illius ſanguine delinito, & confracto vitro. Inde igitur experimento datum fuiſſe locum, & initium nouo artificio ſcindendi lapides & marmora. Meminit Lyra ſuper id Ezechielis 3. 8.* ut adamantem & ſilicem dedi faciem tuam, *quod propriè in Hebræo legitur:* ut Samir fortiorem ſilice dedi frontem tuam: *quo loco ſic ſcribit Nicolaus. ut vermem fortiorem rupe dedi faciem tuam. Et per vermem ſecundùm eos intelligitur ſanguis cuiusdam vermis, quo ſine ſonitu incidebantur lapides in ædificio templi Salomonis.* Confirmat

hæc

hæc R.Moyſes Mammonius, apud quem, *Samir eſt reptile paruum, quod lapides ſecat, cum per eos tranſit*. At quot vermibus, quantoúe eorum ſanguine opus erat ad tot, pro vaſtiſſimo templo, lapides findendos? Et *Samir* Hebræis non vermis, ſed adamas eſt, cuius durities ſeruit ad lapides & gemmas poliendas. Sed quis credat, ſaxa illa ingentia pro templo, ſecta eſſe vel adamante?

Interim, quando etiam fabulis erudimur, docet hoc figmentum, nos adeò (ſi quidem diſcere velimus) magiſtris non carere, vt etiam à brutis animalibus inſtruamur, quantumuis vel Salomones ſimus. Et quid opus eſt figmento? ipſe id Salomon docet, cum pigros mittit ad ſcholam formicarum. *Vade*, inquit, *Prou.6.6. ad formicam, ô piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe, quod comedat. Hoc ſpiritualiter intelligendum eſt*, ait S. Auguſtinus *contr. Adimantum*, c.24. *vt quemadmodum formica æſtate colligit, vnde in hyeme paſcatur; ſic vnusquisq; Chriſtianus in rerum tranquillitate, quam ſignificat æſtas, colligat verbum Dei, vt in aduerſitate, & tribulationibus, quæ hyemis nomine ſignantur, habeat vnde ſpiritualiter viuat*. IV.

Hoc magiſterium nobis monſtrat etiam Horatius *ſerm. lib. 1. Satyr. 1.* V.

Par-

Paruula nam exemplo eſt magni formica laboris,
Ore trahit, quodcunq; poteſt, atq; addit aceruo,
Quem ſtruit haud ignara, ac non incauta futuri.
Quæ, ſimul inuerſum contriſtat Aquarius annum,
Non uſquam prorepit, & illis utitur antè
Quæſitis patiens.

VI. *Neque formica tantùm proponitur nobis, tanquam vitæ magiſtra. Eruere, quaſi damula de manu*, ait *Prou. 6. 5.* Spiritus S. *& quaſi auis de manu aucupis.* Et ipſe Seruator: *Matth. 6. 26. Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea; & Pater veſter cæleſtis paſcit illa.* Vbi nimiam docemur ſolicitudinem ſeponere, ſicut à formicis, non eſſe negligentes. Fuerunt enim, qui illa verba malè intelligerent: de quibus S. Auguſtinus *hæreſi 57. de opere Monachorum* ait: *Horum verborum occaſione quidam* (Euchitæ ſcilicet, id eſt, *Orantes* hæretici) *dicunt ſe operari non debere, quia nec volucres cæli ſeminant, neque metunt, ſed attendere iſti deberent, quod ſequitur*, neque congregant in horrea. *Iam verò iſti manus ocioſas ſcilicet habent, & tamen repoſitoria plena volunt habere.* Mittuntur ergo ad formicam iſti, quaſi dicatur illud *2. Theſſ. 3. Qui non vult operari, non manducet.*

VII. In Carthuſianorum hiſtoria, refertur, tentatum aliquando, poſtquam diu voluntariam illam ſolitudinem tolerauiſſet, tædio victum, ſtatuiſſe

tuiſſe profugere. Iamque in eo erat, vt ſcalis applicatis muros tranſcenderet, cum illi in mentem venit, auiculam quoque, quam chariſſimam habebat, è cauea ſua emittere; quam cum aperuiſſet, auicula carceri virgato aſſueta, etiam per patentes aditus noluit egredi. Quod vbi ille vidit, quaſi Deo docente, dixit: Ergo hæc beſtia, eſcæ cauſſa, potuit cuſtodiæ ſuæ aſſueſcere, ita ut nolit euolare, ego autem Dei cauſſa, non poſſim? Dixit, & manſit. S. noſter Ignatius *ex tenuiſſimis rebus, ad Deum, qui in minimis etiam maximus eſt, aſcendit, & è ſingulis vtiliſſima ad vitæ informationem documenta cepit. Ribaden. l. 5. cit. vitæ eius.* Exempla ſunt innumera. Vide *Bellarm. de aſcenſu mentis in Deum. Ludouic. Granat. l. 1. Catechiſmi in ſym. Fidei. Richeomum in valedictione Animæ.*

Rectè igitur Mercurio Triſmegiſto *Vniuerſum eſt liber diuinitatis, ſæculúmque hoc ſubluſtre eſt ſpeculum diuinorum.* Nam in eo, vt homines diſciplinæ capaces docerentur, varias artes animalia docuerunt. Araneus artem texendi; hirundo & veſpæ ædificandi; grues inſtruendi exercitum; milui nauem gubernandi; Hippopotamus Nili incola venæ incidendæ: is enim natura guloſus, cum ſe ſanguine nimis turgere animaduertit, inter acutiores ripæ arundines circumcurrit, & fragmentorum affrictu, aperit venam; IIX.

venam; ſanguinémque, vbi ſatis ſentit ſe euacuatum, ſiſtit, corpore, per pinguem & obſtruentem limum, volutato. Vide *Plin. l. 8. hiſt. c. 26. & 27. Plutarch. in lib. de induſtria animal. D. Gregor. Nazianz. orat. 2. de Theol.* De muſicam docente luſcinia *Ariſtot. l. 4. de hiſt. c. 9.* & *Plin. l. 10. hiſt. c. 29.* De brutis futura præſagientibus, & mutationem aëris, pluuias, ac tempeſtates prædicentibus, ac Aſtrologos erudientibus *S. Ambroſ. l. 5. Hex. c. 9. Baſil. hom. 7. Hex.*

IX. Ac omiſſis artibus, mores qui quærit: diſcet à leonibus magnanimitatem; à canibus amorem; à ciconiis pietatem; à turturibus fidem coniugalem; à columbis ſimplicitatem; à ſerpentibus & elephantis prudentiam; ab apibus, gruibus, formicis ciuilem ſocietatem. Vno verbo verè Proſper *l. 2. de vocat. Gent. c. 4. Cælum, terra, mare, omniſque creatura, quæ videri atque intelligi poteſt, ad hanc præcipuè diſpoſita eſt humani generis vtilitatem, vt natura rationalis de tot contemplatione ſpecierum, de experimentis tot bonorum, ad cultum & dilectionem ſui imbueretur auctoris, implente omnia ſpiritu Dei, in quo viuimus, mouemur, & ſumus.*

Inter tam multos, nil diſcere velle magiſtros;
Aut ingens ſtupor, aut maxima pigritia eſt.

OVO.

Ovorum excluſio, filiorum educatio.

EMBLEMA XLII.

NON PERDIDI, QVOD PEPERI.



HEnricus Salmuth *in tit. 1. lib. 2. Guidonis* r.
Pancirolli rerum mirabilum recens inuentarum, de Americis, iſta ſcribit: *Non magis de gallinis ſuis ſoliciti, quàm de auibus, quæ vitam in ſiluis agunt. Illas vbicunque fert impetus, ponere & excludere patiuntur oua. At gallinæ viciſſim pullos è dumis & vepribus domum deducunt: ita vt ea moleſtia careant Americanæ mulieres, quâ noſtrates in pullis educandis ſatis fatigantur.* Simile quid de gallinis *agreſtibus* quę è Gallinarijs inſulis maris Liguſtici ſunt allatæ, & mediæ ſunt inter villaticas atque Africanas, ſeu Meleagrides, refert

Varro

Digitized by Google

Varro *lib. 3. de re ruſt. c. 9.* Illæ ideò dictæ ſunt agreſtes, quòd non villis, ſed ferè in ſiluis *oua* facerent; at in eo degeneres ſunt, quia non item in ſecretò ſilentio educatos *pullos è dumis & vepribus domum deducunt*, quemadmodum Americanæ, multis parentibus in exemplum futuræ.

II. Quàm enim benè ageretur cum Rep. ſi parentes ita agerent, filióſque ſuos ad omnem virtutem probè inſtructos atque educatos in eundem modum producerent, & officijs munijſque offerrent? *Qui docet filium ſuum, laudabitur in eo, & in medio domeſticorum in illo gloriabitur Eccleſ. 30. 2.* Ita apud Val. Max. *l. 4. c. 4. Cornelia Gracchorum mater, cum Campana matrona apud illam hoſpita, ornamenta ſua illo ſeculo pulcherrima oſtenderet: traxit eam ſermone, quouſq; è ſchola redirent liberi: Et hæc, inquit ornamenta mea ſunt.*

III. Nulli præceptores efficaciùs poſſunt docere, quàm parentes; quorum & maior eſt poteſtas, & maturioris inſtructionis occaſio, adhuc in cerea ætate. Hæc enim, *tanquam ſubacta, ac mollis cera eſt*, vt loquitur S. Baſilius. *Reg. fuſius diſp. interrog. 15. quæ ipſa impreſſas in ſe formas quaſcunque facilè recipit, & molliſſimè cedit. Confeſtim igitur, ab initio, omni rerum bonarum imbui exercitatione debet.* Hinc illud. *Eccl. 7. 25. Filij tibi ſunt? erudi illos, & curua illos à pueritia illorum.* Tunc velut tenera arbor in quamcunque partem

tem poſſunt flecti; qui, proceſſu ætatis, qu[illegible]ni fiunt, & de nobili ſtirpe ſæpe etiam trunci. [illegible]am *adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea. Prou. 22. 6. Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem teſta diu. Horat. l. 1. ep. 2.* Igitur, *ne diſcat in tenero,* ait S. Hieronym. *ep. 7. ad Lætam, quod poſtea dediſcendum eſt.* Et mox: *difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in priſtinum candorem reuocet?* Ac rurſus: *ſi ſolicita prouides, ne filia percutiatur à vipera, cur non eâdem curâ prouideas, ne feriatur à malleo vniuerſæ terræ? ne bibat de aureo calice Babylonis?* Ac *ep. 12. ad Gaudentium. Vt aqua in areola digitum ſequitur præcedentem, ita ætas mollis & tenera, in vtramque partem flexibilis eſt, & quocunque duxeris, trahitur.*

Quare non modò Plutarchus *De liberor. educat.* eos, qui liberos ditare potiùs ſtudent, quàm bonis moribus imbuere, ſimiles eſſe dicit illis, qui neglecto pede, calceos curant: ſed & Apoſtolus. *Eph. 6. 4.* grauiter ſcribit: *Et vos Patres, nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros: ſed educate illos in diſciplina, & correctione Domini.* Hoc ni faciant, vindicantem Dei manum non effugiunt. *Hos ego Patres,* ait S. Chryſ. *lib. 3. aduerſ. vitup. vitæ monaſt. quod nemo tamen commotiùs dicere, quàm veriùs exiſtimet, parricidis ipſis immaniores ſceleratioreſq; dixerim. Illi enim corpus* IV.

anima diſſeparant, iſti & animam, & corpus æternis ignibus tradunt. Atque is quidem, qui corpore occiditur, neceſſariò naturali lege, etiamſi necatus non fuiſſet, moreretur: hic verò ſempiternam mortem vitare potuiſſet, niſi hanc illi conſciuiſſet paterna negligentia.

V. Malæ educationis merces in Heli Sacerdote *1. Reg. 3. 11.* item in filijs, quorum alter, *apud S. Bernardin. Serm. 17. de Euang. æterno*, dum duceretur, auriculam: alter, *apud Boët. de diſciplin. Scholariũ*, nares parenti mordicus abſtulit. Item in pueris, altero quinquenni, *apud S. Gregor. l. 4. Dial. c. 18.* altero duodenni apud Cyrill. *ep. de mirac. S. Hieronymi*, (quæ eſt *ep. 206. inter ep. S. Auguſtini*) à dæmone è conſpectu, immo & ſinu parentum raptis, item in patre ac filio damnatis ſibi maledicentibus, *apud Dionyſ. Carthuſ. l. de quat. nouiſſ. art. 42.* Vidit enim quiſpiam, Genio bono duce, miſerando ſpectaculo, in medijs ignibus patrem filio, & hunc patri acerbiſſimè identidem occlamantem: *Maledicte fili, quò me miſeriarum adduxiſti, iuſtis iniuſtisq; artibus vtentem, vt te multarũ opum haberem ſucceſſorem.* Et: *Quin immo huc me, huc me tua indulgentia, huc tui nimius amor ab religioſæ vitæ deſiderio abſtractum præcipitauit, deteſtande pater.*

VI. Diſcant igitur parentes à gallinis Indicis *pullos*

ſuos

ſuos è dumis, & vepribus deducere; & quamuis multi, *vbicunque fert impetus, ponere & excludere*, à negligente magiſtratu ſinantur *oua*, illud altè *defixum habeant: Melior eſt vnus timens Deum, quàm mille filii impii, & vtile eſt mori ſine filiis, quàm relinquere filios impios. Eccleſ. 16. 4:* Quod ita eſſe luculentè confirmauit mulier illa, quam teſtatur *in ſuis Reuelationibus l. 6. c. 52.* à ſe conſpectam eſſe non exiguis virtutibus pollens,& ſanctitate celebris illa Birgitta,velut è caliginoſo lacu prodeuntē luridi vultus vmbram, ſine corde horridè truncam labijs, exeſo miſerabiliter naſo, oculis in genas prolixè propendentibus,exedentibus funeſtis pectus vermibus, de filia ſuperſtite,tanquam ſi coram adeſſet,miſerandum in modum conquerentem: *Eheu filia, non filia, ſed lacerta veneno fatiſſima! miſeram me, quæ te genui! miſerrimam, quæ te exemplo meo peccare docui! quoties enim peſſimos meos imitata mores etiamnum peccas, toties hæc inferni, quæ propter te patior, tormenta, nouis auctibus recrudeſcunt.* Haud potuit hæc dicere, NON PERDIDI, QVOD PEPERI; dixiſſet verè: QVOD PEPERI, ME PERDIDIT.

Ova in fimo, homo in peccato; vnde eum Baptiſmus liberat.

EMBLEMA XLIII.

QVIS POTEST FACERE MVNDVM, DE IMMVNDO CONCEPTVM SEMINE? NONNE TV, QVI SOLVS ES? Iob. 4. 4.



I. ANimalia *quædam & citra incubitum, ſponte naturæ gignunt, vt in Ægypti fimetis.* ait Plin. *l. 10. c. 54.* Quod ex Ariſtotele habet ita ſcribente: *Incubitu auium oua excludi naturæ ratio eſt: non tamen ita ſolùm oua aperiuntur, ſed etiam ſponte in terra, vt in Ægypto obruta fimo pullitiem procreant.* Io. Baptiſt. Port. *Nat. Mag. l. 2. c. 24.* ex Democriti ſententia hæc præſcribit

bit: *Columbarum, vel gallinarum ſtercore tuſo, atq; in cerniculo ſubtiliter ſuccreto, obruantur oua, non irrita tamen, ne ſimul collidantur, ſubſtratis eorum pennis, & circumpoſitis cubilia extruantur: turbinatior ouorum pars ſurſum vergat, & vicenis quaternisúe horis, alternis vicibus innouato circumuoluendo, vt æqualiter concaleſiant, ſic effata efficere ſunt ſolita, loco calido & tepente ſeruentur: vbi bis deni dies elapſi, & completi fœtus, & pulli roſtellis oua percutere inceperint, auſculta, num pipiant. Sæpe enim propter eorum putaminũ craſſitudinem erumpere nequeunt, vel rimis fatiſcunt: teſtas tollito, & gallinam inducito.* Et *ſi collibuerit, aliter potes: oua tepido demergas fimo, ſenisq; diebus recentem ſubiicito, ne ſeneſcat, ſed tempore ſuo foueat, & gallinæ calorem imitetur, vertendo ſemper, donec excludant, qui quæruntur pulli.*

In hoc *ouo* Iobum aliquis imaginabitur, *qui teſtâ ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio. Iob. 1. 7.* Rectè. Sed quiuis etiam homo (Chriſtum, eiúſque Matrem excipio, ſine macula conceptam) tale eſt *ouum*, cum dicere poſſit: *In peccatis concepit me mater mea.* Nam homines, *qui* ab initio *nutriebantur in croceis*, originali peccato contacti, *amplexati ſunt ſtercora. Thren. 4. 5.* Itaque *ouorum* more, in peccato, velut fimo, jacent, cum jacent in vtero; immo & nati, ſi nondum renati. Ad renatos autem, ait Apoſtolus *1. Cor.* II.

 6. 11.

6. 11. *Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis* (per Baptiſmum & Chriſtianiſmum) *in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.*

III. Mutationis & ablutionis huius exemplum de ſe ipſo narrat S. Cyprianus *ep. 2. ad Donatum*: vbi ingenuè fatetur, qualis fuerit ante baptiſmũ (nõ ſolùm à peccato originis, ſed etiam alijs proprijs geſtis defædatus) qualíſque ſubitò euaſerit, per gratiam baptiſmi; quídque ſibi contulerit Chriſtianiſmus; qui, vt ipſe loquitur. *Eſt Mors criminum, & vita virtutum.* Paria his refert Nazianzenus *orat. funebri in laudem Cypriani*; vbi mirabilem eius conuerſionem, & cordis vitæque commutationem, quam baptiſmo accepit, ob oculos ponit.

IV. Petrus de Natalibus, *in vita S. Catharinæ Virginis & Martyris* ſcribit, eam, cum nondum eſſet baptiſmo tincta, à Deipara viſitatam; ſed quamquam Deipara Chriſtum illi paruulum exhiberet, futurum Sponſum, Chriſtum tamen ob turpitudinem *originalis maculæ*, faciem ab ea auertiſſe, talemque, manibus ac pedibus reluctatum, repudiaſſe. Quapropter illa ſacrum fontem, more ſitientis cerui, deſiderauit, & adepta ocyùs, illico, B. Mariâ præſente, & innumerabili Angelorum multitudine circumſtante, à Chriſto Sponſa eſt electa, annulo quoque Sponſali acce-

Digitized by Google

accepto, quem illa, ceu cæleſtem arrham, ad vſque mortem diligentiſſimè aſſeruauit.

Si ita Catharinam ſuam eſt auerſatus Chriſtus, ob *peccatum* tantummodo *originale*, quantum eos auerſabitur, qui tot actualibus flagitijs ſe, tanquam ſtercore cooperuerunt? Et quàm longè abſunt à Catharina, ad baptiſmum properante, qui in ſex hebdomades, immo menſes, differunt filiorum ſuorum baptiſmum, ob pompam ſeculi, cui in baptiſmo filij ſunt renunciaturi? *Lib. 1. Vitæ Patrum*, refert Græcus auctor, à Dionyſio Abbate in Latinum idioma translatus, *cap. 5. vitæ S. Abbatis Pachomij*, eâ nocte, quæ illi à ſuſceptione baptiſmi prima fuit, Pachomium ſibi mellitum de cælo rorem in dexteram manum deſcendentem videre, & hāc vocem audire viſum. *Aperi mentis tuæ oculos, Pachomi, & agnoſce in rore iſto acceptæ à Deo gratiæ argumentum, & pignus.* Agnoſcamus & nos, & abluti ad fimum, vnde prodiuimus, redire horreamus; ne conueniat illud: *Sus lota, in volutabro luti. 2. Petr. 2. 21.* V.

Dum calor oua coquit non jam maternus in aluo,
En tibi nunc etiam pullulat ipſe fimus.
Sic ſpectare licet, qua ſimus origine nati
Nos quoque mortales, turba ſuperba nimis.
Nam ſi nos primo benè cognoſcamus ab ortu,
Verè eſt nobilitas maxima noſtra fimus.

Q 4 Pullus

Pullus ex vtero & ovo, hominis nati & baptizati imago.

EMBLEMA XLIV.

SIC DEBENT NATA RENASCI.



1. O*Va parire ſolet genu pennis condecoratum,*
Non animans:

ait antiquiſſimus Romanorum Poëta, Rudius homo Ennius. Quia plus negotij eſt in ijs, quæ ex *ouo* prodeunt, quàm in reliquorum animalium ortu. *Bis debet generari, totieſque naſci; ouum ab aluo, ab ouo pullus*, inquit, Puteanus *orat. 20.* Poſtquam enim ab utero prodierunt, *biulca oua maternus rumpit tepor*, quæ Claudiani phraſis eſt, *in præfat. Panegyr. 1.* Matre enim

quod

quod natum eſt, fouente (cum *intus omne ouum volucrum bicolor) ipſum animal* (denuo generandum) *ex albo liquore oui corporatur. Cibus eius in luteo eſt. Increſcente pullo, candor in medium vertitur, luteum circumfunditur. Vitellus paulatim deficit.* Ita Plinius *l. 10. c. 53.* licet aliter ſentiat Hippocrates *lib. de natur. fœtus. Mirabile magnum*, ait Petrus Greg. Toloſan. *l. 13. de Rep. c. 25. n. 4. quia non planè comprehenditur virtus & omnipotentia Dei, vt pullus intra oui corticem concluſus, antè, quàm vel putamen effringat, pipiat, ales factus intra concluſus, poſt vndeuigeſimũ diem ab incubitu gallinæ in oua.*

Et homo bis generatur, ac bis naſcitur, ſemel ſecundùm carnem, altera vice ſecundùm ſpiritum & virtutes, in baptiſmo. Vnde & *regenerati*, ac *renati* dicimur. Quare, ait S. Paulus *ep. ad Tit. 3. 5. Saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti.* Et Baptiſmus Græcis dicitur *παλιγγενεσία*, *iterata generatio*, quia antè ex matre genitos ſecundùm carnem, quaſi de nouo regenerat, & renouat, per gratiam Spiritus ſancti, nouóſque homines, id eſt, ſanctos, iuſtos, Dei amicos & filios efficit. Hic diuinæ illius auis effectus eſt, quæ *nidum ſuum ſub pennis congregat Luc. 13. 34.* II.

Tantus amoris calor, tanta vis ſacramenti, ut dum corpus abluit, ac velut teſtam fouet, pullũ, III.

id eſt ſpiritum, qui intus eſt, animet, faciátque ex muto pipientem; omniáque interiora eius conuertat, vt ex filio iræ fiat filius Dei. *Caro abluitur*, ait Tertullian. *l. de Reſurrect. carnis*, *vt anima emaculetur*, *caro vngitur*, *vt anima conſecretur*, *caro ſaginatur*, *vt anima muniatur*, *caro manus impoſitione Chriſti adumbratur*, *vt anima ſpiritu illuminetur*, *caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur*, *vt anima de Deo ſaginetur.* Olim enim recens baptizatis mel & lac, & Euchariſtia guſtanda dabantur, & ſacramentum confirmationis per manus impoſitionem impendebatur; præſertim ſub initium Eccleſiæ, vt baptizati, in perſecutionibus tunc furentibus, firmi eſſent in fide, vt colligitur *Act. 8. 14. 15. 17.* & tradit Auguſtin. *lib. de fide & oper. cap. 11.*

IV. Porrò tanti ſunt effectus baptiſmi, in quo, vetuſtate depoſita, ad gratiam & vitam ſpiritualem renouamur, vt meritò dicamur *regenerari.* Quare rectè *in cit. loc. S. Pauli.* Theophylactus ait: *O rem arduam & admirabilem, adeò vitijs eramus immerſi, vt nulla ratione purgari poſſemus, ſed opus fuit regeneratione. Nam regeneratio & renouatio ſecundam natiuitatem, nouámque formationem ſignificant. Vt enim domum ruinoſam, & planè veterem non ſuffulcimus, verùm ad fundamenta vſque diruimus, ac demolimur, nouámq; ædificamus: conſimilem ad rationem Deus non recon-*

cin-

cinnauit, quod corruptum erat, ſarciendo, ſed denuò condidit. quomodo? per Spiritum ſanctum, ne enim quæras modum, ſpiritus, inquit, totum tranſegit. Vnde hoc perſpicuum? quem effudit, inquit, abundè in nos. Non enim tantummodo per hunc refinxit nos, ſed largè ipſum etiam nobis impertijt, vt & illud per hoc monſtretur. Ac meritò · poſtquam enim mundauit nos, tum & Spiritu ſuo ſancto abunde nos impleuit, hoc eſt, quod ait, effudit; in impuros mundus ille purúſque ſpiritus non ingrediebatur.

Huius regenerationis vim Deus oſtendit in Geneſio, de quo *Sur. tom. 5. Martyrolog. Rom. 25. Auguſti*, & *Vincent. Beluacenſ. in ſpec. hiſt. lib. 12. c. 104.* Is Romæ in theatro, ſpectante Diocletiano Imp. tanquam mimus, Chriſtianis myſterijs illudebat, fingens ſe velle baptizari. Quare velut æger decubuit, eum à quo baptizaretur popoſcit: ſed iocum in ſerias cogitationes repentè conuertit Deus, qui Geneſium, populo ridente, diuino lumine calefecit. Itaque ex templo mutatis conſilijs, religionem Chriſtianam profeſſus eſt, Diocletiano primulùm adcachinnante, & adhuc ludos agi arbitrante. *Tunc, ſicut fuerat ordinatum, intrare faciunt exorciſtam & presbyterum, qui iuxta lectum eius ſedentes, dixerunt. Quid ad nos miſiſti filiole? At ille iam non ſimulatè, & fictè, ſed ex puro corde reſpondit: quia gratiam, Chriſti conſequi cupio, per* V.

quam

quam renatus liberer à ruina iniquitatum meorum. Cúmque ſacramentorum myſteria compleſſent, & veſtibus albis eſſet indutus, quaſi per ludum à militibus eſt raptus, & ad ſimilitudinem ſanctorum de Chriſti nomine diſcutiendus Imperatori eſt exhibitus. Sed cùm ad falſam adducitur paſſionem, ad veram acceſſit confeſſionem. Aſcendens namque ſuper baſim, vbi ſtatua fuerat Veneris, ita concionatus eſt: Audi, Imperator, & omnis exercitus, ſapientes, & populi vrbis huius. Ego ſemper Chriſtianum nomen exhorrui, & in confeſſione permanentibus inſultaui, ac ſuper eos accendebam furias populi. Parentes quoque meos, & affines execratus ſum cauſâ nominis Chriſtiani, & in tanta deriſione Chriſtianos habui, vt eorum ſecreta myſteria diligenter perquirerem, non vt crederem, ſed vt de his ludum ac riſum vobis exhiberem. Mox autem vbi me nudum in conſpectu veſtro aqua illa perfudit, & interrogatus credere me reſpondi, vidi ſuper me manum de cælo venientem, & Angelos Dei flammeo radiantes aſpectu iuxta me ſtantes, qui omnia facinora mea, quæ à iuuentute commiſi, ſcripta libro recitantes, dixerunt mihi: Aqua hæc delet omnia iſta, quæ te feciſſe cognoſcis. Cum ergo aquâ baptizatus fuiſſem, ſimul & liber ille perfuſus, niue candidior effectus eſt, ita etiam vt ſignum ſcripturæ præterita non demonſtraret. Itaque dum vobis placere concupiui, cæleſti regi complacui, & dum omnibus

nibus riſum extorquere ſtudui, angelis riſum feci. Hæc ille apud Vincentium, & plura. *Mox*, ait Baronius *in Martyrol. 25. Aug. Imperatoris iuſſu fuſtibus crudeliſſimè caſus, deinde equuleo ſuſpenſus, & vngularum diutiſſimâ laceratione vexatus, lampadibus etiam inflammatus, cum in fide Chriſti perſiſteret, dicens: Non eſt Rex præter Chriſtũ, proquo ſi millies occidar, ipſum mihi de ore, ipſum mihi de corde auferre non poteris; martyrij palmam capitis obtruncatione, promeruit.*

Tantum profuit renaſci mimo; quantum proderit ſerio? Eſt & alia regeneratio, de qua Chriſtus *Matth. 19. 28.* ait: *In regeneratione, cum ſederit Filius hominis, in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim* &c. Ad hanc quoque regenerationem, qui aſpirant, pullo ſimiles ſunt intra corticem concluſo, & pipienti, atque exire cupienti. Qualis pullus ille fuit, qui dixit: *Pſ. 119. 5. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt!* & ille cuius gemitus eſt, *Rom. 7. 24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Liberari à corpore mortis*, ait S. Auguſtin. *1. l. contra duas ep. Pelag. 11. eſt, omni ſanato languore concupiſcentiæ carnis, non ad pœnam recipere corpus, ſed ad gloriam. Non enim à corpore mortis impij liberabuntur vnquam, quibus in reſurrectione eadem corpora ad æterna tormenta reddentur.* Hinc exire de corpore ſancti VI.

optant,

optant, impij trepidant. Illi pullum imitantur, qui, ſi maturus eſt, roſtello teſtam pertundit, & pipiendo, quodammodo gemit, quòd incluſus teneatur; iſti nec pipiunt, nec gemunt, quia cælo maturi non ſunt; ſemper in corpore & carne manſuri, niſi lex omnibus hominibus ſtatuta obnunciaret. Obſtetrice ergo indigent, &, velut gallinâ matre corticis ruptionem adiuuante, Eccleſiâ corpus eorum per ieiunia, per pœnitentiam, per correptiones frangente, & affligente. Ita enim & gallinæ quoſdam ſubinde pullos in lucem de *ouis* educunt.


Rumpe moras ſcelerum tandem, Peccator, & exi:
Quid iuuat in teſta degere? rumpe moras.
Sic poteris cælo naſci. Quid, ſtulte, moraris?
Si miſerum eſt naſci, ſit tibi dulce mori.

In

In ovis, neceſſitas, & fructus Confirmationis declaratur.

EMBLEMA XLV.

HINC VENIVNT VIRES.



AViculæ delicatiores vocaliùs cantaturæ, I.
præſertim eæ, quæ ex inſulis Canarijs vel
aduehuntur, vel nomen ſortiuntur, vires
firmant, cum *ouis formicarum* veſcuntur. Quid
mirum, tam paruum animal his *ouis* vegetari?
cum, teſte Plinio *l. 29. c. 6.* conſtet, *vrſos ægros,*
hoc cibo ſanari. Nempe non voluit auctor naturæ,
vt animalia tantùm viuerent, ſed etiam vt
valerent.

Ita & homines, poſtquam nati ex matre, II.
renatique ſunt ex ſacro fonte, oportet in vita

ſpiri-

Digitized by Google

Spirituali confirmari, ne fiant deſertores. *Tu*, inquit S. Cyprianus *de duplici Martyrio ad Fortunatum, tam vili mercedula ſolicitatus, ſponte deficis ad eum, à cuius tyrannide te Chriſtus ſuo ſanguine redemit, cuius iam totus es factus. Huius militiam profeſſus es ad ſalutare lauacrum, huic dediſti nomen, huius ſacramentis initiatus es, accepiſti donatiuum, & pignus Spiritus, ne quid dubitares de promiſſo ſtipendio: ſimulq́; diabolo denunciaſti perpetuas inimicitias, renunciaſti omnibus illius pompis ac voluptatibus, exſufflaſti, exſibilaſti: iuraſti in verba Redemptoris &c.* Si quis miles juratus in verba Cæſaris, profugeret ad Turcam, & ex illius arbitrio faceret ea, quæ ſciret ingratiſſima Cæſari, nonné comprehenſus ad ſupplicium raperetur, vt deſertor, vt periurus, vt perfuga? Qualis fuit nobilis ille Leodienſis de quo Cæſarius *lib. 2. illuſtr. mirac.* & plurimi Apoſtatæ.

III. Nempe renouatio hominis in Baptiſmo à peccatis quidem plenè, à vitijs tamen & concupiſcentijs inchoatè fit tantùm. Quotidie igitur in ea renouatione proficere, & cupiditates, (quibus tam dens-è ſcatemus, *quàm magno vento plenum eſt vndarum mare*) perdomare debemus, vt ab eis plenam ſanitatem & renouationem conſequamur in cælo, vti monet S. Aug. *l. 14. de Trinit, c. 16.* Vt ergo poſt baptiſmum ad

fidem

fidem Chriſti fortiores fiamus, aliud Seruator noſter inſtituit Sacramentum, quod *Confirmationis* appellamus. Quod Sacramentum, cum ſit velut medicina quædam præſeruatiua, commodè *ouo* poteſt ſignificari; cum omnibus ferè medicinis, præſertim emplaſtris, potionibus, vnguentis, pilulis, &c. *oua*, vel aliquid de *ouis* adhibeatur. Ita toti vitæ humanæ conducit etiam *Confirmatio*.

In ea enim, quemadmodum in die Pentecoſtes in Apoſtolis, diffunditur robur & plenitudo Spiritus Sancti in nobis, & peculiariter, magiſque juſtificamur, qui primùm in *baptiſmo* fuimus juſtificati. Fit autem hæc *Confirmatio*, intelligiturque per manuum impoſitionem, quæ cum teſte S. Auguſtino *l. 6. contra Iulian. c. 11.* conferat gratiam, immò plenitudinem gratiæ, conſequens eſt, eſſe legis nouæ Sacramentum. Siquidem illa manuum impoſitio, de qua ſermo eſt, non eſt *ordinatio*, ſed *Confirmatio*: cum charitatis diffuſio, quæ per eam fit, non ſolis Clericis, ſed omnibus Chriſtianis competat, omnibuſque Chriſtianis diffuſam eſſe in cordibus charitatem teſtetur Apoſtolus *Rom. 5*. Ob hanc gratiæ plenitudinem, à S. Dionyſio & alijs, Sacramentum *Confirmationis* dicitur πλείωσις, id eſt *perfectio* & *conſummatio*. Et S. Paulus cum 1. *Cor. 2. 5.* ait, *Sapientiam loquimur inter perfectos*, IV.

R per-

perfectorum nomine intelligit *confirmatos.* Hinc S. Irenæus *l. 5. c. 6.* ſcribit, dici *perfectos eos, qui acceperunt Spiritum Sanctum,* S. Vincentius *Domin. 2. quadrageſ.* affirmat, in perſecutione Antichriſti, eos in fide, inter ipſos perſecutionum fluctus, conſtantes permanſuros, qui *Confirmationis* Sacramento fuerint roborati, multis interea deficientibus, qui baptiſmum ſuſceperunt.

V. De hoc Sacramento appoſitiſſimè exponitur ille locus *2. Cor. 1. 21. Qui autem confirmat nos vobiscum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus: qui & ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Vbi quatuor *Confirmationis* effectus ſignificantur. Primus eſt *fidei*, qua intenſiore *firmamur*, in Chriſto; id eſt, per Chriſtum, & merita Chriſti, in Sacramento *Confirmationis*, nobis applicata, nam in fide, & eius confeſſione, ac prędicatione roboramur. Secũdus eſt *charitatis* & *gratiæ,* qua copiosè *vngimur*, quaſi chariſmate ſpirituali. Græcè pro *vnxit*, eſt χρίσας, vnde deducitur *Chriſma*, *Chriſtus*, *Chriſtianus.* Tertius eſt. *Signauit*, ſigno crucis ſcilicet, in fronte, & in anima *charactere indelebili*, (ob quem Sacramentum hoc, vti & *Baptiſmus*, & *Ordinatio* iterari non poteſt) quo nos *obſignauit* , quaſi ſeruos, immo quaſi milites ſuos. Quartus eſt, *pignus Spiritus* in cordibus noſtris , quod eſt teſtimonium bonæ conſcientiæ à S. Spiritu ſuggeſtum,

eſtque

Digitized by Google

eſtque quaſi arrha gloriæ à S.Spiritu promiſſæ, & dandæ. Vide Suarez. *3. p. q. 63. art. 1. & 4.*

Adeò autem S. Spiritus plenè per confirmationem infunditur, vt Spiritus immundus illico fruſtra ſe eſſe animaduerterit, ab impia operatione & magicis artibus impeditus, vbi cæcus ille de coloribus antea tam accuratè judicãs, fuerat ab Epiſcopo confirmatus. *apud Thom. Cantiprat. l. 2. Apum. c. 57. §. 32.* Non enim potuit amplius, vt priùs, angulatim & ſtabulatim circumductus, nigram bouem ab alba palpatione manuum diſtinguere, nigrâ arte deſtitutus, bubſequa cæcus. Luculentius eſt, quod narrat Gregor. Turon. *l. 1. de glor. mart. c. 41.* vbi, ob præſentiam Confirmati, Sacrificia idolorum fuêre interuerſa; ſicut & reſponſa dæmonum, *apud Lactant. l. 4. c. 27.* VI.

Quid multa? experientijs certiſſimis conſtat, in æſtate & æſtu diu ambulaturis, plurimùm ad refrigerandos pedes, atque à læſione conſeruandos prodeſſe, ſi plantas pedum manè *effracti oui* ſucco vnxerint perfricuerintque, aut lineis ſoccis luteum, albumque *oui* infuderint, atque calore veſtigiorum ſiccârint. Ad cælum quoque ambulaturis multùm roboris addit, diuino Sacramenti iſtius vnguine eſſe delibutos, ſicut & Sacramento Extremæ vnctionis: quod qui ne- VII.

gligunt, & floccum faciunt, heu quantos ſæpe æſtus experiuntur, quos declinare potuiſſent!


Si quoties animo, toties quoque corpore in ipſo
Languerent homines; viuere nemo velit.
Quid non, vt morbum pellamus corporis vnum,
Incipimus? mentis pharmaca nulla placent.
Ergo Dei bonitas, ſcindiq́; , vriq́; timentes,
Vt faceret validos, vngere conſtituit.

Digitized by Google

Ovum in nido, nidus in frumento, Chriſtianus in ferculo Euchariſtico tutiſſimus.

EMBLEMA XLVI.

HÆC REQVIES MEA, HIC HABITABO. Pſal. 131. 14.



ELegantem illam, de excluſis iam, adhuc tamen in nido & ferè etiam in *ouo* hærentibus pullis, ex Æſopo, fabulam lepidè & eleganter denarrans *lib. 2. c. 29. Noct. Attic.* Gellius; ita exorditur: *Auicula eſt parua, nomen eſt caſſita: habitat nidulatúrque in ſegetibus, id ferme temporis, vt appetat meſſis, pullis iam iam plumantibus. Ea caſſita in ſementem fortè conceſſerat tempeſtiuiorem, propterea frumentis flaueſcentibus* 1.

 pulli

pulli etiam tunc inuolucres erant. Cum igitur ipſa iret pullis cibum quæſitum: monet eos, vt ſi quid ibi rei nouæ fieret, diceretur úe, animaduerterent, idque vti ſibi, vbi rediſſet, nuntiarent. Dominus poſtea ſegetum illarum filium adoleſcentem vocat: & vidéſne, inquit, hæc ematuruiſſe? & manus iam poſtulare? Idcircò die craſtino, vbi primum diluculabit, fac amicos adeas, & roges veniant, operámque mutuam dent, & meſſem hanc nobis adiuuent. Hæc ille vbi dixiſſet, diſceſſit, atque vbi rediјt caſſita, pulli trepiduli circumſtrepere, oraréque matrem, vt ſtatim properet, atque alium in locum ſe ſe aſportet: nam Dominus, inquiunt, miſit, qui amicos rogaret, vt luce oriente veniant, & metant. Mater iubet eos à metu otioſos eſſe; ſi enim Dominus, inquit, meſſem ad amicos reијcit, craſtinâ ſeges non metetur, neque neceſſe eſt hodie, vti vos auferam. Die igitur poſtero mater in pabulum volat: Dominus quos rogauerat, opperitur, ſol feruit, & fit nihil, & amici nulli erant. Tum ille rurſum ad filium, amici, inquit, iſti magnā in partem ceſſatores ſunt; quin potiùs imus, & cognatos, & affines, vicinóſque noſtros oramus, vt adſint cras tempori ad metendum? Itidem hoc pulli pauefacti matri. Mater hortatur, vt tunc quoque ſine metu, ac ſine cura ſint; cognatos, affinéſque nullos ferme tam eſſe obſequibiles, ait, vt ad laborem capeſſendum nihil euocentur, & ſtatim dicto obediant; vos modò, inquit, aduertite, ſi modò quid denuo dicetur.

cetur. Aliâ luce orta auis in paſtum profecta eſt; cognati & affines operam, quam dare rogati ſunt, ſuperſedent. Ad poſtremum igitur dominus filio, valeant, inquit amici cum propinquis. Afferes primâ luce falces duas, vnam egòmet mihi, & tu tibi capies alteram, & frumentum noſmetipſi manibus noſtris cras metemus. Id vbi ex pullis dixiſſe Dominũ mater audiuit; tempus, inquit, eſt cedendi, & abeundi, fiet nunc dubio procul, quod futurum dixit. In ipſo enim iam vertitur, cuia eſt res, non in alio, vnde petitur. Atque ita caſſita nidum migrauit, & ſeges à Domino demeſſa eſt.

Hæc quidem eſt Æſopi fabula de amicorum & propinquorum leui & inani fiducia. Sed poteſt aliud quoque Chriſtianos docere; qui nôrunt, quid ſit *frumentum electorum. Zach. 9. 17.* Nempe vt nulla ouis excluſa auis Chriſtiano ſimilior (qui itidem, vt alauda, tunc tantùm cantare, & triumphare debet, cum mente ſurſum, cælum verſus volat; tacere, cum in terram & terrena deſcendit, neque in illis ſe iactare, aut gloriari) ita eundem Chriſtianum docet, nidũ ſuum atque *oua*, in *frumento* & ſegete *electorum* collocare, & in SS. Euchariſtia ſæpe adoranda, uſurpandáque requieſcere, nullo ſermone hominum ab ea abſterritum. Hîc habitare, hîc parere, hîc adoleſcere, hîc vires ſumere, hîc plumas & alas induere, hîc eò vſque vitam de- II.

gere oportet, donec mors falce ſua, vnà cum vita, nobis auferat vſum occaſionémq; hac ambroſiâ nos contra animæ mortem, muniendi.

III. Caſſitam imitati ſunt, qui dies noctéſque ante SS. Euchariſtiam ſupplices procumbere in delicijs habuerunt, vt B. noſter Aloyſius Gonzaga; vt B. Thomas de Aquino; vt Zacharias Conſtantinopolitanus cerdo, qui, vt Raderus *in Virid. Sanctor. refert*, cum, more caſſitæ, in hac diuina ſegete habitaret, ſinguliſque noctibus SS. Euchariſtiam veneraturus ad S. Sophiæ ædem adiret, viſus eſt ab alio etiam viro pio, qui tum ad ædis valuas peruigil & ipſe orabat, magnâ circumfuſus luce accedere, valuis ipſis ſponte ſe aperientibus ingredienti, claudentibúſque, egreſſo, poſt factam, ad principem aram, orationem.

IV. Quid quòd ſicut multi ſolo frumento, ſeu pane; &, vt quidem ſcribit Bartholomæus Caſſanæus *in Catal. glor. Mundi part. 12. Conſid. 82. quarta pars hominum, & vltra viuit ex ouis*; ita multi non alio, quàm Euchariſtico cibo vitam, bene longo tempore ſuſtentârunt? Notum, de Nicolao apud Heluetios. 15. annis ita ſuſtentato, penè recens exemplum. Apud Palladium *in Laus. c. 8.* & Niceph. *l. 11. c. 34.* Hor Abbas tribus annis; & Ioannes Monachus, apud eundem Palladium *c. 55*, diutiùs, ſine cibo, vixit, ille ter

in

in hebdomade, hic ſingulis Dominicis Angeli-co pane duntaxat refectus. Idem teſtatur Pius II. *in bulla canonic.* de S. Catharina Senenſi, de S. Liberale Petrus de Natal. *l.4.c.93.* de alijs Sigebert. *in Chron. A.823.* Orlandin. *hiſt. Soc. l.2.* & alij.

Hi omnes caſſitam imitabantur, & quo-dammodo inter ſpicas cæleſtes habitabant, ſicut & primi Chriſtiani, qui vt S. Lucas *Act.2.42.* teſtatur, *erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationis.* Syriaca verſio habet, *in fractione Eucharistiæ.* Quare & Tridentina Synodus *ſeſſ.22.c.6.* optaret, *vt ſingulis Miſſis fideles adſtantes non ſolùm ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quo ad eos ſanctiſſimi huius ſacrificij fructus vberior perueniret*; ſed quia nouit hominum fragilitatem, noluit propterea Miſſas quotidianas tollere, *partim, quòd in eis populus ſpiritualiter communicet*; *partim verò quòd à publico Eccleſiæ miniſtro non pro ſe tantùm, ſed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Chriſti pertinent, celebrentur.* Vult ergo nos caſſitas eſſe, quæ non ſinant ſe ab hac ſegete auelli, aut abſterreri. Væ qui, vt poculis & epulis vacent, ab hoc nectare & ambroſia abſtinent; & ſæpius ante amaſiam, quàm Euchariſtiam genua flectunt. Hi mortem adorant, vitâ relictâ, quam ex Eu- V.

chariſtia eſſent habituri: quæ vel idcirco etiam poteſt per *ouum*, in ſymbolo, indicari, quòd *oui* vitellus à *vita* appelletur; inde enim eſt vita, quia vitæ alimentum, vt in Euchariſtia, pane vitæ.

VI. Qui tamen ipſe panis, vt canit Eccleſia, *Mors eſt malis, vita bonis, Vide paris ſumtionis, Quàm ſit diſpar exitus. Itaque quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè: reus erit corporis & ſanguinis Domini. 1. Cor. 11. 28.* Siquidem, vt ibidem dicitur: *iudicium ſibi manducat & bibit.* Et *ideò multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*, ſomno ſcilicet ferreo, & lethæo.

VII. Cur Chriſtus iniuriam corpori ſuo re ipsâ factam non vindicaret, qui nec verba in illud contumelioſa ſinit abire impunita, vt præſentiæ ſuæ, in Euchariſtia, probet confirmétque veritatem? Cuius rei exemplum, quia in *ouo* factum eſt, quamuis prolixum, haud tamen pigebit verbatim exſcribere ex Tilmanni Bredenbachij *Collationũ ſacrar. lib. 7. c. 60.* ubi ille hæc habet.

IIX. *Anno Dominicæ Incarnationis 1561. antequam Geuſicus furor effrænatiùs erumperet, non minus horrendum, quàm memorabile ſignum circa venerabilem Euchariſtiam edidit Deus Opt. Max. Nouiomagij, ad Wahalim fluuium, quæ Ciuitas in Ducatu Geldriæ, & antiquitate, & populi frequen-*

tia

tiâ priuilegijsq; celeberrima eſt. Accidit ibi feriâ ſecundâ Paſchæ (quæ tum incidit in ſeptimum diem Aprilis) circiter horam diei nonam, vt Sermone in Eccleſia Parochiali ſimul, & Collegiata, quæ protomartyri Stephano ſacra eſt, abſoluto, alter Parochorum nomine Antonius Vorſtius, unà cum æditiuo ſuo, ſeu Cuſtode Templi Ioanne Haeps accerſeretur ad ægrotantem muliérculam, quæ in ſolenni die Dominicæ reſurrectionis, ob corporis imbecillitatem in Templo non communicârat. Decumbebat autem mulier in platea Regularium, ſic dicta, quod via illa per fundum Canonicorum Regularium in ea Vrbe commorantium iam olim ſit munita.

Porrò in altiore vici parte prope vallum oppidi taberna erat meritoria, in qua parum honeſtè tunc diuerſabantur viri duo iuuenes: vni Nouiomagum patria erat, alteri Traiectum ſuperius ad Moſam. Vtroque ibidem tum ouum Paſchale, quod vocant, ſolito more elixum manibus oſtentante, certamen initur inter eos, idq; periculo hauriendi poculi cereuiſiarij, vter ſuum prius ouum glutire queat. Interim aduentat Paſtor prædictus cum venerabili Sacramento, ouiculam ſuam infirmam in vicinia commorantem refecturus. Auditâ per plateam nolâ, quæ præferebatur Euchariſtiæ, alter ille qui Traiectenſis erat, in contemtum tremendi myſterij, audacter dixit ad ſodalem ſuum. Ego ouum iſtud, quod manu teneo citius deglutinero, quàm ægrotans mulier- IX.

cula

cula deaſtrum illum (Teutonicè das Gödgen.)

X. *Dixit, & protinus hians, ouum in os immiſit, volens traÿcere illud per gulam. Sed ecce præſentiſſimam Dei vindictam, quâ præpeditus nullo modo ouum tranſmittere potuit. Hærente autem illo in faucibus, cum miſer homo ſe ſtatim ſuffocatum iri, nec ſpem vitæ reliquam videret, oculis horribiliter contortis, conſpicit candelam ſebaceam ex clauo pendentem. Arripit celerrimè ſebaceum, & abſque mora inÿcit ori, cupiens, conanſq; candelâ tali protrudere ouum, ſed fruſtra. Nihil enim aliud effecit, quàm quòd, ſebo candelæ in gutture apud ouũ relicto, ellychnium ſeu fila nuda retraxerit. Hac ſpe fruſtratus humi procumbit, inſtar bouis mactati, memoriâ loquendíque facultate omnino priuatus. Et ſupinus iacens fuliginoſum; & velut Æthiopicũ induit vultum; & gutture diuinâ vltione confracto efflat animam, Parocho memorato cum ſacroſancto illo pane cæli aſtante.*

XI. *Is enim, ſimulatque infirmam communionis participem feciſſet, ex illa domo rediens, audit miſerabiles voces, ex taberna vicina reſonantes: horrore perculſus intro currit, cum Venerabili Sacramento, rogat, quid illic ſit negocÿ, audit ex ore præſentium rei geſtæ ſeriem, hominem diuinitus percuſſum videt humi palpitantem, & cum morte certantem, & paulò poſt expirantis guttur fractum, ouo nunc inſtar tuberis intercutanei in altero colli latere, & non*

in

in faucibus reſidente. Hæc ego ad verbum ſcribo ex ore ipſius Parochi, Domini Antonij Vorſtenſis, qui apud Noniomagenſes curam geſſit animarum annis 26. & amplius, magna cum laude, vſque ad extremos furores Geuſiorum, Parochus pariter & Canonicus ibidem: in præſens autem, ob verbi diuini gratiam, & bonitatem ſuam Catholico Reſenſium gregi gratiſſimus paſtor. Miraculum iſtud nullâ vnquam obliuione obliterandum, non ſermone tantum omnium ferè Belgij habitatorum, verùm etiam publico carmine celebratur, quod ab omnipotente miſericordia Dei profectum creditur, ad conſtabiliendam Catholicæ fidei veritatem, quo tempore grauiſſima imminebat perſecutio.

Oua alijs vocem reddunt, huic abſtulit ouum;
In quo ſacrilegis faucibus HÆSIT AQVA.

Ovo-

Ovorum nidamentum, & Euchariſtiæ ſacramentum, in qua re poſſint comparari?

EMBLEMA XLVII.

HÆC CVI NON SAPIVNT FERCVLA, DESIPIT.



1. PRodijt Viennæ in Auſtria an. 1633. ſupra jam *Embl. 1.* etiam laudata *Relatio de nouo regno Cocincinæ* Chriſtophori Borri Societ. IESV, ex Italico idiomate, in Germanicum ſermonem verſa, in cuius *cap. 3.* refertur, ea in regione Cocincinæ, reperiri auem hirundini parem, quæ nidum ſuum cui *oua* infert, & in quo pullities illi naſcitur, marinæ rupi affixum habet, ibi, vbi littus longè reſonante vndâ tunditur,

tur, procellæque alliduntur. Nidus ille è ſpuma maris concreſcit, admiſto aliquo ipſius auis humore; quo tota maſſa ad picis tenacitatem redacta petræ agglutinatur. Hic nidus vbi exſiccatus aruit, clareſcit, & magna perſpicuitate miſtam exhibet flauo colore viriditatem, quaſi cum ſuccino, aut jaſpide ſmaragdus confluxiſſet. Incolæ hunc nidum ſummâ quærunt induſtriâ diligentiaque. Quippe vbi eum aquis emollierunt, hoc condimento omnem è carne, piſce, olere, ſimilibúſque eſculentis cibum reddunt adeò ſapidum, vt pipere, cinnamomo, & vniuerſo aromatum genere condijſſe videantur. Quare vel hîc vnicus nidus ſufficit omnibus ferculis loco olei, laridi, ſalis, piperis, & quidquid gula ad ſaporem conciliandũ expetit, præparandis: vt cum Iſraëlitico illo manna quandã habeat comparationem; niſi quod manna à cælitibus fuerit præparatum, nidus iſte ab alitibus conficiatur. Horum verò nidorum tantus eſt numerus tantáque copia, vt ſe P. Chriſtophorus Borrus ſimul ſpectâſſe vnâ vice teſtetur, decem naues totas eiuſcemodi nidis oneratas; qui nidi omnes vix vltra mille paſſus à ſeſe diſſiti ſint reperti. Ob ingens horum nidorum pretium, mercimonia eorum regiæ cameræ ſunt attributa. Magna pars in Chinam auehitur, vbi in aula valde æſtimatur. Hæc ex relatione citata.

Quibus

Digitized by Google

II. Quibus Symbolum Euchariſtiæ, clariſſimum continetur. Nam in primis, quod in *ouo* nonnulli mirantur, hoc in nido quoque eſt iſto. In *ouo* nucleum, & vaſculum, cibum & lancem; potum & poculum, nectar & cyathum habemus. Hoc idem habetur in nido iſto Indico; hoc in Euchariſticis ſpeciebus. Deinde & ſapor quoque conuenit Euchariſtiæ, quæ longè excedit omnem menſam regiam, omnémque Megalenſium apparatum. Nugæ illæ ſunt, & dulciola, electibiliáque puerorum: in Euchariſtia ineſt cæli precium: de qua, *in figura* dicitur *Sap. 16. 20. Angelorũ eſcâ nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cælo præſtitiſti illis ſine labore, omnẽ delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem. Subſtantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat: & deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur.* Quis in illo Indicæ auis nido nobiliores, quàm in manna, ſapores credat repertos? At manna figura tantùm erat Euchariſtię. Hanc verò nidum eſſe pigrum hominum, *præced. embl.* vidimus.

III. Hîc ergo vim & ſaporem indagemus. Qui non tantùm è nido *ouorum*, ſed etiam ex ipſis poteſt *ouis* intelligi. Siquidem Almanſor *l. 3. c. 14.* teſtatur, *oua vicem carnis aliquando retinere.* vt ſignificent carnem quoque Chriſti, quæ in Eucha-

Euchariſtia ſumitur ; quam Spiritualem ſaporem habere neceſſe eſt, cum ſit *eſca*, non *Angelorum* tantùm contemplationi data, ſed & hominum epulationi præparata. Cuius eſcæ vis tantò eſt efficacior, quia cum Chriſtus jam ſit immutabilis, non nos Euchariſtiam in noſtram mortalem ſubſtantiam mutamus, ſicut alimenta cetera in noſtrũ ſanguinem & carnem conuertimus , aut ſicut Iſraëlitæ manna conuerterunt ; ſed, vice verſa, Chriſtus in Euchariſtia ſumtus, & non conſumtus, nos conſumit, & quodammodo in ſe conuertit, atque ad ſuam trahit qualitatem, immo & immortalitatem.

Qua de cauſſa iterum, iterumque *Ioa. 6*. repetit. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*. Vt enim efficax pharmacum à natura ſumentis non vincitur, ſed naturam ipſam vincit, & ſibi aſſimilat, ſuáſque ei proprietates impertit; ita Euchariſtia & corpus, & animam noſtram immutat. Et corpori quidem communicat agilitatem, ſubtilitatem, claritatem, immortalitatem. Etſi enim ad tempus moriamur, immò breui potiùs ſomno quieſcamus, tamen reſuſcitati, non ſolùm ratione animæ beatæ corporis immortalitatem meritæ (quod conueniet etiam veteris Teſtamenti Sanctis, qui Euchariſtiam nunquam ſumſerunt) impatibilitatis donum conſequemur, ſed etiam ob corpus immor- IV.

S tale

tale Chriſti corporibus noſtris, per Euchariſtiæ ſumtionem admiſtum; quod vim quandã moralem habet, ijs quibus commiſcetur, immortalitatem communicandi: inuehit enim illis ſanctitatem, quæ ſemen eſt immortalitatis.

V. Quanto ſtudio medicinas quærimus, & nidos auium vitam procraſtinantes? Et, credo, ſi ad lignum vitæ via eſſet, paucos fore, qui eò non proficiſcerentur. Longè igitur cupidiùs ardentiúſque Euchariſtiam appeteremus, ſi in nobis hunc, quem dixi, immortalitatis afferendæ guſtum excitaremus. Neque in hoc abſoluitur iſte ſapor, vt corpus noſtrum à corpore Chriſti trahat immortalitatem, ſed præcipuè inſtitutum eſt hoc Sacramentum, ad Spiritum Chriſti in nos transfundendum. Quod quo pacto fiat, expendendum eſt illud *Joa. 6. 63. Spiritus eſt, qui viuificat, caro autẽ non prodeſt quidquam*, quia per ſe, & vi ſua nequit vitam æternam conferre; ſed id facit vi Spiritus, ſeu conjunctæ diuinitatis, ſicut ferrum non per ſe, ſed vt ignis ferro intimè vniti, lignum accendit. Ita caro Chriſti in Euchariſtia contenta, non quà caro, ſed quà diuinitati, quæ eſt ſpiritus Chriſti, vnita, facit, vt qui Euchariſtico pane reficitur, eo ipſo particeps fiat Spiritus & diuinitatis.

VI. Ita nobis Chriſtus caput noſtrum vitam ſuam, Spiritum ſuum, diuinitatem ſuam, deniq;

&

Digitized by Google

& immortalitatem communicat, dum hæc omnia Euchariſtico alimento, alimentum autem nobis coniungit. Qua coniunctione, quia nulla poteſt maior, niſi hypoſtatica, reperiri, idcirco tam ſuauem ſancti guſtū ex ſacramento (quòd præſertim crebro eius vſu conſueſſent) perceperunt. Hinc tantopere honorata, adorata, frequentata Euchariſtia, vt à Rudolpho Comite Habſpurgico, *apud Io. Albert. Vidmanſt. l. Doctor. in præf. ad ep. D. Pauli*: ab Alphonſo Arragoniæ ac Siciliæ Rege, *apud Ant. Panormit. l. 3. c. 19.* Hunniade Hungarorum Rege, *apud Æneam Syluium in hiſtor. de Europ. c. 1.* à Wladislao Poloniæ Rege, *apud Mart. Cromer. de reb. Polon. l. 16. An. 1402.* à Dauide Scotorum Rege, *apud Hectorem Boëtium l. 12. hiſtor. Scotor.* ſed longè magis à S. Dominico, Franciſco, Franciſco Xauerio *in lib. 6. vita eius c. 6.* Lydwina, Coleta, Clara, *in earum vita.* Horum omnium iudicijs & exemplis, diſcat condire labores moleſtiáſque vitæ; qui aliunde tantæ dulcedinis ac ſaporis eſcam neſcit æſtimare.

In ovo vnius ſpeciei Euchariſticæ ſufficientia oſtenſa.

EMBLEMA XLVIII.

VNVS EDENDO BIBIT, DVM BIBIT ALTER, EDIT.



I. ABrahamus Ortelius, *in Theſauro Geographico Verb. Oona*, ſic loquitur: *Oonæ Sarmatarum inſulæ, apud Pomponium, quarum incolæ auium ouis, & auena aluntur. Cæſari etiam populi ſunt in inſula quadam ad exitum Rheni in Oceanum, quos ouis auium viuere ſcribit. hos ego inſulam* Eyerland *(quod ſonat ouorum terra) inhabitare hodie crediderim.* Caſſanæus *Catal. de gloria Mundi part. 12. conſid. 82.* inter delicatos Velitrarum cibos *oua* ponit, atque in eo Vol-

ſcorum

ſcorum oppido fuiſſe *ouorum* abundantiam; ob quam Mantuanus hunc verſum dedit: *Iam Latij Romam caput, ouiferasq́; Velitras.* Oonarum Plinius quoque *l. 4. c. 13.* mentionem facit. Ex quo Erycius Putean. *orat. 20.* hæc perſtringens ait: *Fuit ouum, cum genus humanum non eſſet. Nec vlla poſtea tam fera, aut remota natio extitit, quæ tam familiari cibo non miteſceret. Adhuc viſceratio non erat, & dabat gallina, quod pro carne eſſet; immo verò non à ſolis quadrupedibus lac manare mortales crediderunt, poſtquam auis peperit. Nullum igitur vnquam ſine gallina rus, nulla domus fuit: & vt ſcires omni menſæ ouum ſuffeciſſe, alius cibus non erat. Ceres panem dabat, gallina obſonium; ſimpliciſſima fercula ipſa natura commendabat: tales Oonas inſulas Plinius nominat, in quibus auiũ ouis & auenis incolæ viuerent. Poſtquam deliciæ inuectæ ſunt, ſuam tamen conſtanter dignitatem oua retinuerunt. Nimirum nihil æquè neceſſarium erat, quàm quod ab initio erat optimum, quod ferculum, & ſimul condimentum eſſet,* VIM *cibi ac potus haberet.*

Idem disertè ſcribit Plinius *l. 29. c. 3.* his verbis: *Nullus eſt alius cibus, qui in ægritudine alat, neque oneret, ſimulq́;* VIM POTVS *ac* CIBI *habeat.* Aldrouandus *l. 14. c. 1.* ait, pro illo, *vim potus,* alios legere, *vini vſum. Ouum* hoc ſorbile, quàm boni ſit ſucci, quantas vires præbeat, quantæ ſit II.

ſuauitatis, vt *guſtulum* fuerit appellatum, docent Galenus *l. de Dynamidiis*, & *de comp. ſec. loc.* Apul. *l. 9. aſin.* Quin & militum quoque nonnullorum ars eſt, vt ſicut ſub æſtiuo atque ardenti ſole, ad ſitim ſedandam, cruſtam nigri panis duriſſimam ore, geſtatam ſugunt, ſuccúmque faciunt; ita *luteum oui* cocti duratum & in farinæ modum contritum ſecum portent, valet enim etiam ad multorum dierum inediam tolerandam, ſi quotidie vel tantum ſumatur, quantum poteſt vno cochleari comprehendi; cùm totum in nutrimentum cedat, ſanguinémque reſtauret. Quare & hi milites reponi poſſent, in numero Oonarum.

III. Omnes Chriſtianos *Oonas* eſſe oportet, & *ouo* viuere, poſtquam Chriſtum ipſum, quia homo, *ouum* eſſe docuimus. Nam nihil obſtat, eſſe eum & *vitem*, & *panem*, *qui de cælo deſcendit*, *Io. 6. 41.* & *ouum* quod cæleſtis Pater dat filio. *Luc. 11. 12.* Tanta enim in illo eſt virtus, vt ſit hæc omnia. *Ouum* ergo hoc guſtulum eſt, quod *omnis habet ſaporis ſuauitatem.* In cuius *fortitudine cibi*, vſque ad montem Dei poſſumus ambulare. *3. Reg. 19. 8.*

IV. Sed illud ſigillatim mihi hoc ex *ouo* diſcant, quicunque non ſatis intelligunt, quo modo ſibi, ſub vna ſpecie panis, Potus, præbeatur? Angit illos magis, quòd ſpirituale quoddam epu-

lum

lum inſtituerit Seruator; in epulo autem vident, homines non tantùm edere, ſed etiam bibendo ſe reficere. Quod cum in Euchariſtia, *ſub vna panis ſpecie*, non deprehendant, *calicem* identidem poſcunt ſitibundi. Iſti igitur inprimis, è citatis ſcriptoribus, ſciant, lac non ex ouibus tantùm, ſed etiam ex *ouis manare*. Atqui is, qui lac vel cochleari de mulctra comedit, famem pariter & ſitim ſedat; & quodamodo bibit comedendo. Certè id conſequitur, quod is, qui bibit & comedit.

Deinde quot ſcriptores, immo etiam ethnici ipſi aiunt, *ouum ſimul vim potus*, (aut *vini vſum*) *ac cibi habere?* Cur id non poſſit corpus Chriſti? Qui vtique totus & integer, etiam ſub vnica panis ſpecie, continetur: ne *ſemel mortuus iam* iterum diuiſus *moriatur*; contra Apoſtoli effatum dicentis: *Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur*. Rom.6.9. Ergo iam caro, ſanguis, anima, diuinitáſque Chriſti, ſemper manent coniuncta. Ergo & ſanguis datur, cui Chriſti corpus datur. Ergo ſi effectum ſpectes, ſpirituali modo, ſimul vim habet cibi ac potus, reficitque integrè animam eſurientem, eamque *implet bonis*: cum laici ſub vna ſpecie, non accipiant ſolam carnem, ſed carnem & ſanguinem, animam & corpus, humanitatem & diuinitatem, & (vno verbo) totum Chriſtum; adeóque V.

non percipiant minorem fructum ex vna ſpecie, quàm ex vtraque: ſiquidem totus fructus percipitur à præſentia Chriſti, qui non minùs ſub vna, quàm ſub vtraque ſpecie, per *tranſubſtantiationem* verè ac realiter præſens eſt.

VI. Cum ergo Chriſtiani ſub vna ſpecie poſſint non ſolùm comedere carnem Chriſti, ſed etiam bibere eius ſanguinem, malè inferunt neceſſitatem vtriuſque ſpeciei, qui ex eo inferunt, quòd Hebræi in deſerto biberint aquam de petra *1. Cor. 10. 4.* quæ fuerit figura ſanguinis Chriſti. Bibunt enim & laici ſanguinem Chriſti, etiam ſub ſpecie panis; ſicut bibit, qui *ouũ* comedit. Potiùs inferam, vnam ſpeciem ſufficere, cùm toties, vna ſpecie tantùm, ſacramentum hoc fuerit figuratum; vt ea ipſa aquâ, quam *de petra biberunt* Hebræi; *panibus propoſitionis*; *pane ſubcinericio Eliæ*; *Mannâ*; *Agno Paſchali*; *ſacrificiis Moſaicis*.

VII. Nam etſi etiam pane & vino Melchiſedechi fuerit ſignificatum, aduerſarij tamen hanc figuram non agnoſcunt; eóque non tantùm ſignificata fuit Euchariſtia quà ſacramentum: ſed quà ſacrificium quoque: at ſacrificium requirit vtramq; ſpeciem, quibus ſignificatur ſeparatio ſanguinis Chriſti, à corpore Chriſti, in morte facta. Vnde ſacerdotes in miſſa non poſſunt vna ſpecie eſſe contenti; poſſunt autem & debent laici eſſe contenti, quia ſacramentum non exi-

git

git vtramque ſpeciem, cum vna ſpecies totum Chriſtum, & gratiam contineat; nec caro tantùm Chriſti, ſed etiam ſanguis ſub ſpecie panis contineatur.


Quod tot miraculis Deus voluit teſtari, quibus conſtat hoſtias à ſagis, magis, hæreticis, impijs Iudæis læſas, aut alia de cauſſa, ſanguine manâſſe. Exempla plurima inuenies, *apud Th. Bozium de ſignis Eccl. Lud. Granat. 2. p. Catech. c. 27. Platinam in vita Vrbani IV. Siffridum l. 2. Epitom. An. 1299. Baptiſtam Fulgos l. 1. fact. memorab. c. 7. Simonem Maiolum Colloq. 20. Guiliel. à Gent. lib. miraculor. de Euchar. Petr. Thyraeum tract. 2. de apparit. ſacram. Rouerum Pontanum rer. memorab. l. 5. Tilmannum Bredenb. l. 1. coll. ſacr. c. 50. & l. 7. coll. c. 60. Michaëlem Iſſelt de rebus in Belgio geſtis l. 1. an. 1591. Io. Diaconum l. 2. vita S. Greg. c. 42.* Vſque adeò Chriſtus non tantùm olim pro noſtra redemtione è corpore ſuo, ſed etiam vel hodie è ſpecie panis voluit ſanguinem fundere, pro catholica veritate teſtanda. Liceat ergo in fide ægrotantes ſic compellare. IIX.

Quid ſitiens clamas, potum tibi, turba, negari?
Ouum dum comedis iam, maleſana, bibis.
An geminam hanc ouo virtutem credis ineſſe,
Et Pani Angelico forſan ineſſe negas?
Tum mihi iam Chriſto non digna videberis, oua
Si corpus Chriſti vilius eſſe putas.

Ovi glutine, amicitiæ diuinæ, per pœnitentiam, reſtauratio indicata.

EMBLEMA XLIX.

FRACTA QVEVNT REFICI, CANDELÆ FLAMMA REDVCI.



1. NE quid deſit ouorum gratiæ, *candidum ex his admiſtum calci viuæ glutinat vitri fragmenta.* Plin. *l. 29. c. 3.* Eadem arte etiam aliæ res ferruminantur. Quin & vulnera candido oui glutinantur, & calculi pelluntur. Luteum autem renibus, & veſicæ roſionibus, exulcerationibuſque, & cruenta exſcreantibus prodeſt; vti & dyſentericis, cæliacis, lienicis, alijſque morbis. Vt planè totum ouum ſit Æſculapio conſecratum. Quin & crimen magnum

ſit

ſit oportet, quod veteres, vt eſt apud Iuuenalem, exiſtimârint centum luſtrari ouis non potuiſſe. Hinc & illud Luciani, *ouum ex catharſio.*

Hominis natura vitro eſt fragilior, & anima quoque ſuis morbis obnoxia: nam *Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Gen. 8. 21. Habemus* igitur *theſaurum* gratiæ *in vaſis fictilibus*; *2. Cor. 4. 7.* quæ vaſa franguntur, gratiamque diuinam cum charitate, effundunt, quoties homines in peccata labuntur. Sola fides, & ſpes (quæ non niſi per infidelitatis, & deſperationis peccatum amittuntur) in Catholico peccatore, tanquam fragmenta quædam, remanent, amiſſis moralibus virtutibus infuſis omnibus, vnà cum charitate. II.

Nec tamen etiam peccatori deſperandum, hinc ſpes remanet. Nam qui fide vera eſt præditus, credit miſericordiam Dei infinitam, & theſaurum humanæ redemptionis inexhauſtum. Ita enim Filius Dei cum diuina juſtitia negocium noſtrum compoſuit, vt non tantùm ſemel peccata nobis remitterentur, & jus æternæ vitæ amiſſum reſtitueretur, ſed quotieſcunque lapſi, per veram pænitentiam, ad Deum conuerteremur. Pænitentia igitur eſt *fons patens domui Dauid in ablutionem peccatoris. Zach. 13. 1.* ſeu, vt S. Greg. *hom. 20. in Ezech.* docet, *fons occultus eſt Vnigenitus Patris, inuiſibilis Deus: fons verò* III.

patens

patens eſt idem Deus incarnatus ; qui ſanguine manans pænitentiæ nobis balneum præparauit, in quo ablueremur à peccatis, & de precioſo illo ſucco, velut *oui* ſacro candido, cum lachrymis, ac pænitentia noſtra, velut calce miſto, fragmenta illa virtutum glutinaremus, vt iterum juſtitia, prudentia, temperantia, fortitudo, atque charitas cum fide ac ſpe diuina coaleſcerent.

IV. Voluit enim Chriſtus nos, non ſine nobis, ſaluari; ſed ſanguinem ſuum, per pænitentiam nobis, velut per viuam & efficacem calcem applicari. De tali calce dicitur *Matth. 11. & Luc. 10. Si in Tyro, & Sidone facta eſſent virtutes, quæ facta ſunt in vobis olim, in cilicio & CINERE pœnitentiam egiſſent.* Vbi pænitentiam; non pro ſola reſipiſcentia (quæ præcedit pænitentiam in cilicio) ſed pro deteſtatione, & vindicatione peccatorum ſumi, conſtat. Quo pacto ait S. Auguſtin. *ep. 108. ad Seleucianum: Eſt pænitentia bonorum & humilium pæna quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes, Dimitte nobis debita noſtra.* Et S. Greg. *hom. 34. in Euang. pænitentiam agere, eſt & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare.* Quem planctum vtique auget, qui meminit, ſe Deo ſecundùm tot beneficia ingratum extitiſſe.

V. Quippe pænitentia quà virtus eſt, nihil ali-

ud

ud ſignificat, quàm verum animi dolorem, & deteſtationem de Peccato, cum voluntate illud puniendi, & de cetero non peccandi coniunctum: quem dolorem *Contritionem* appellamus; vt & voluntatem puniendi, *ſatisfactionem*; quibus ſi accedat *Confeſſio* peccatorum Sacerdoti facta, tres habebis partes materiales, quibus conſtat pænitentiæ Sacramentum. In quo facillimè, etiam per attritionem, fracta redintegrantur, cum ſine hoc Sacramento difficulter & rarò habeatur vera *Contritio*, quæ ipſa etiam votum Sacramenti includit.

Pænitentiâ gratiam diuinam reſtitui, & animæ noſtræ, virtutes diſſipatas, velut fragmina redintegrari, docet in illa *Pſal. 146. Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* S. Auguſtin. his verbis: *Sanat Contritos corde, ſanat ergo humilitatos corde, ſanat confitentes, ſanat ſeipſos punientes, in ſe ſe verum judicium exercentes, vt poſſint eſſe illius miſericordiam ſentientes.* VI.

Poteſt autem *Confeſſio* fieri ſoli Deo, & tum non eſt Sacramentum Confeſſionis, quo nos ad ſacram ſynaxin præparamus, & peccata expiamus, gratiamq; vel promeremur, vel augemus. Eſt enim ex Concilij Tridentini *Seſſ. 14. c. 1. & can. 1.* doctrina, Sacramentum pænitentiæ, in quo peccata ſua deteſtanti & legitimè confitenti vera à Sacerdote abſolutio remiſſioque conVII.

cedi-

ceditur. Eſt, ex S. Hieronymi *ep. 8. ad Demetr.* & *in 3. Iſa. ſecunda poſt naufragium tabula*, in qua ſcilicet illi, qui ſuſcepto baptiſmate, in peccatum ceciderunt, adeoque gratiam, velut nauim fregerunt, ad ſalutis portum enauigant. Eſt contriti, vel etiam attriti, & minùs perfectè de peccato dolentis ſanatio; & quaſi diuinæ amicitiæ gluten.

VIII. Quis non vtatur? Quid non faciunt homines, vt Principem concilient offenſum? & vt Deo conciliemur, piget confiteri, piget ſatisfacere? At hæc quoque Deus, præter contritionem exigit, *vt quibus modis*, ait S. Chryſoſt. *hom. de pænit. Deum offendimus (offendimus autem corde, ore, ac opere) iiſdem reconciliemur Deo. Corde quidem per Contritionem, ore per Confeſſionem, ac opere per ſatisfactionem.* Confeſſio quoſdam maximè pungit, ideò vel non integrè, vel non verè confitentur. At hi ſciant illud Hieronymi *in cap. 10. Eccleſ. Quod ignorat, medicina non curat.* Et illud Auguſtini *in Pſal. 66. Quid erubeſcis, ô homo, confiteri? peccator ſum, ſicut, & tu, Confitere ergo homo homini: peccator homo homini peccatori. Quid times confiteri? homo ſum, humani à me nihil alienum puto. Quid times confiteri? id quod per confeſſionem ſcio, minùs ſcio, quàm id quod neſcio. Confiteri times, qui non confitendo non potes eſſe occultus. Elige quod vis. Si non confeſſus lates, inconfeſſus*

damna-

damnaberis. Ad hoc enim Deus exigit confeſſionem, vt liberet humilem; ad hoc damnat non confitentem, vt puniat ſuperbum. Ergo triſtis eſto antequam confitearis, confeſſus exulta, quia iam ſanaris. Vt ſanari cupias, *ouum* conſidera, quod te docet non ſolùm ad integritatē cum vitri fragminibus redire, ſed etiam in confeſſione fieri vocaliorem. Si enim ouo recenti, velut liquido quodam plaſmate, tollis raucedinem; cur non quæris medicinam pernicioſæ in Confeſſione anginæ, & raucedinis, quam tibi Acherontici lupi, intulerunt? Cum non minùs prouiſum ſit huic faucium ſcabriciei, quàm tuſſientibus per liquidum *oui* luteum, quo guttur colluitur, reducitúrque ad vocis mobilitatem.

Qui reparat vitrum, nec mentis vulnera ſanat,
Ille etiam in cerebro non leue vulnus habet.

Ova

Ova conſeruandi ars, contritionis & ſatisfactionis ſtudium non negligendum admonet.

EMBLEMA L.

AVT SVB CINERE, AVT SVB SALE.



1. NE *ad cibum inepta reddantur oua*, ait Aldrouand. *l. 14. Ornithol. c. 1. ſiue ne requieta fiant, vbi eorum copia eſt, quæ in futurum vſum reſeruare velis, in lomento repones. In eo enim ſeruare oua vtiliſſimum* Plinius indicat; vel, vt alibi ait, *hyeme in paleis, æſtate in furfuribus. Qui oua, inquit Varro, diutiùs ſeruare volunt, perfricant ſale minuto, aut muria: atque ita ſinunt per tres, aut quatuor horas, eáque abluta condunt in furfures, & acus. Columella refert, quoſdam*

trito

trito ſale ſex horis adoperire, deinde eluere, atque ita paleis, aut furfuribus obruere: nonnullos ſolida, multos etiam freſa faba coaggerare; alios ſalibus integris adoperire, alios muria tepefacta durare. Sed ſal omnis quemadmodum non patitur putreſcere, ita oua minuit, nec ſinit plena permanere, quæ res ementem deterret: itaque ne in muriam quidem qui dimittunt, integritatem ouorum conſeruant. Quare Plinij placita ſuper iſthac conſeruatione ſequi placet. Sunt qui, Ornithologo teſte, oua recentiora, ſeruari velint frumenti genere, quod ſecale vocant, noſtri ſegala, Germani rocken; *vel cinere, ita vt acutior pars oui inferior ſit, tum rurſus ſecale, aut cinerem ſuperfundunt.* Hæc Aldrouand. Cardan. *l.7. de rer. Var. c. 39.* de *ouis* loquens ait: *æſtate furfure ſeruantur, frigidiore & ſicciore; hyeme palea; eſt enim ſicca, & calida. Sale autem ob vim exinaniuntur.*

Quæ oua, eadem ferè etiam eſt ratio hominum pectora conſeruandi. Lomento, hoc eſt, farina fabacea, in paleis, in furfuribus, in trito ſale, in cinere ſeruantur *oua*; hominum animæ in *contritione*, in humilitate, in pœnitentia, in cilicio, & cinere etiam ipſo. Ita ait *Iob. 16. 16. Saccum conſui ſuper cutem meam, & operui cinere carnem meam. Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligauerunt.* Ita Dauid *Pſ. 10. 10. cinerem, tanquam panem, manducabam. Ion. 3. 6.* 11.

T Ipſe

Ipſe rex Niniues *indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere.* Sic *oua* iſta fuerunt conſeruata. Sic iubet Ieremias *c.6.26. Filia populi mei accingere cilicio, & conſpergere cinere.* Quia *cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet. Pſ.50.* Hinc & Ezechias ait, *Iſa. 38. 15. Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

III. Oportet enim pœnitentiam continuare, ſiquis vult continuare humilitatem, ſine qua diuinæ gratiæ theſaurus non cuſtoditur. Inchoatam in conuiuio, in antro continuauit pœnitentiam Magdalena. Continuauit Petrus, qui, teſte S. Clemente *l. 2. Recognit.* dum vixit, ita fleuit, vt in aduſtis perpetuo lachrymarum fluxu genis, veſtigia canalium inſtar exiſterent. Alius immenſo dolore, ob ſcelus admiſſum, concepto, expirauit, & corpore in cineres eunte, ad cælum iuit, apud Th. Cantiprat. *l.2.c.51.p.7.* Et alia itidem, apud Iacob. à Vitriaco. Et itidem alius apud *Rib. 5. April. in vita S. Vincentij.* Hi nempe intellexerunt, *Contritione*, non iam fabarum, ſed animarum, homines cæleſti menſæ fieri idoneos; vti & Macharius, qui *lib.3. in Vitis Patrum* ait: *Ploremus fratres, & producant oculi noſtri lachrymas, antequam illuc hinc eamus, vbi noſtræ igneæ lachrymæ corpora noſtra comburent.* Vides vt lachrymæ ſalſæ, tanquam ſal *oua*, conſeruent ab æterno igne?

Sed

Sed & à peccato ſeruamur, ſi peccata plecti- IV.
mus. *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8.* ita loquitur: *Procul dubio magnopere à peccato reuocant, & quaſi freno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioréſque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt.* Hinc non lachrymis tantùm, ſed & cilicijs, & ieiunijs, & precibus, & eleemoſynis, & vigilijs, & peregrinationibus, dum inſtamus, non ſolùm debita priſtina expungimus, ſed etiam cauemus, ne noua nomina faciamus. Non enim placet nobis, quod punimus. Et quanquam tam vi Sacramenti, quàm ob obedientiæ meritum, ea pœna vtiliſſima eſt, quæ Confeſſarij præcepto eſt peragenda, meritò tamen, addere ad eam vnumquemque debere, conſulitur.

Qualis autem ab vnoquoque ſit ſatisfactio V.
eligenda, docet etiam Chryſ. *hom. 10.* in illud *Matth. 3. facite fructus dignos pœnitentiæ*, Ambroſ. *l. 2. de pœnit. c. 5. & alij.* Has pœnas eligi, atque à Confeſſario impoſitas admitti debere, id facilè ſuadet; quòd, etſi peccatorum abſolutione tollatur æternorum ſuppliciorum obligatio, plerumque tamen ſuperſit temporaneæ cuiuſdam pœnæ debitum, vel hîc, vel in purgatorio ſoluendum. Ergo ſi nos ipſos iudicemus, & puniamus, non iudicabimur, & grauiore illa pœna in foro Dei debita non puniemur: poteſt enim paruo ſpontaneo, magnum neceſſariũ

compenſari: & dum, vt Comicus loquitur, in Andria, *pro peccato magno paullùm ſupplicij ſatis eſt patri,* in hac vita, non ſatis tamen erit iudici in altera. Hinc tanta ſatisfactionum genera eorum, qui exfletis oculis, viſum pœnè amiſerant, quàm veriſſimè poteſt, à Climacho commemorantur *grad. 5.* Ac ne Monachis tantùm ea exiſtimes conuenire, Magnum illum Theodoſium cogita, de quo Niceph. *l. 12. hiſt. c. 40. Sigon. l. 9. de Occid.* item Othonem Cæſarem, apud *Rib. 7. Feb. in vita S. Romualdi.* Et Henricum II. Angliæ Regem, apud *Baron. t. 11. An. 1174.* & alios innumeros. Hi velut lomento, ſale, cinere, & muria ſe ſeruauerunt; putruiſſent, ſi amaritudine & dolore caruiſſent; quem concipiunt, quicunque, quid ſit peccatum, quid ſit Deus, & æternum, nouiſſe volunt.

VI. Quare, vt *oua* cinere, ſic pectora pœnitentia ſeruare docemur. Quanquam & antiqui ritus, per *oua* nos pœnitentiam docuerunt, neq; enim priſcis hominibus luſtrationes, aut expiationes per ignem duntaxat, aut aquam, ſed etiam per *februa oua* fiebant. Hinc apud Lucianum, *ouum ex catharſio*; apud Iuuenalem, magnum crimen erat, quod *centum* luſtrari *ouis* non potuit; apud Ouidium, ad torum purificandum dicitur:

Et veniat, quæ luſtret anus lectúmque locúmque,
Præferat & tremula ſulphur & oua manu.

Deni-

Denique Madaurenſis Philoſophus ipſe fatetur *lib. vlt. de aſin. aur.* metamorphoſin ſuam, ſine *ouo* non eſſe abſolutam, quando nauem Iſidi elementorum dominæ dedicatam à ſummo ſacerdote ſcribit; antè tamen *teda lucida, & ouo, & ſulphure puriſſimè purificatam. Sic ſine ouo*, ait Putean. *or. 20. totum exuere aſinum Lucius non potuit: & quemadmodum nihil máius erat, quàm è bruto redire in hominem; ita nihil religioſiùs eſſe poterat, quàm ouo expiationem inſtitui.* Nos, vt ſine ſuperſtitione luſtremur, *ouum* vſurpemus non in expiationem, ſed in expiationis recordationem.

Impie, quid dubitas, fœdari puluere, gratum
Si tibi fœdari crimine ſæpe fuit?
Qui vitat cineres, plerumq; incurrit in ignes;
Ah longè eſt Stygio mitior igne cinis!

In ovi vnguine, Vnctionis extremæ monimentum.

EMBLEMA LI.

VTERE, QVÆ SVPERI PRÆSCRIBVNT PHARMACA.



1. *Oua per ſe infuſo candido oculis epiphoras cohibent, vrenteſq; refrigerant. Plin. l. 29. c. 3.* Vbi plura ex ouis remedia reperies. Inter quæ etiam eſt. *Lutea ouorum cocta, vt indureſcant, admiſto croco modicè, item melle & lacte mulieris illita, dolores oculorum mitigant.* Io. Bapt. Porta *l. 3. Mag. nat. c. 1. Ouorum oleum*, ait, *ſic parabis: ſupra ignem largo accommodato vaſe, ſartagine, vel alio, in hoc boleta proijcies, ſpatha permiſcendo ſemper, ac crebra diuerberatione, ne cremen-*

mentur. Vbi in puluerem verſa, prælo exprimi curato, expreſſumq́ oleum pyxide ſeruato. Vel ea elixando indurabis, & ſic exprimatur liquor. In incenſiuis autem mixturis aliud ſic parabis. Ouorum multa remiſceto vitella, cum ſulphuris medietate viui, ac ſartagine accommodentur igni. Vbi eluuies, vel oleoſum quoddam per eorum ſuperficiem enatabit, ſeruato; illud enim quæſitum erit oleum. Hæc ille de *ouorum* oleo.

Ita etiam inuenire eſt in ouo, quod nos admoneat illius Sacramẽti, quo non ſolùm oculi, ſed & aures, alijque ſenſus ad extremam luctam inunguntur. De quo S. Auguſtin. *Serm. 215. de Tempore*, *Quoties*, ait, *aliqua infirmitas ſuperuenerit, corpus & ſanguinem Chriſti, ille qui ægrotat, accipiat, ac deinde corpuſculum ſuum vngat, vt illud, quod ſcriptum eſt, impleatur in eo: Infirmatur aliquis? inducat Presbyteros, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo.* Et quanquam Sacramentum, vt hîc ſumitur (pro ſigno ſcilicet rei arcanæ ſeu abſconditæ) eſt tale ſignum, quod ex Dei inſtitutione primariò habet vim ſignificandi & efficiendi gratiam; tamen ſæpe per extremam vnctionem etiam corpori ſanitas confertur. II.

Vt proinde ſtultiſſimi, & minimè ſatis in rebus religionis inſtituti ſint, qui ab hoc Sacramento accipiendo abhorrent, quòd ſibi perſuadeant, ſe tantò certiùs, vel citiùs morituros, III.

Quaſi Sacramentum occidat ! ſed ea cacodæmonis fraus eſt, homines vaniſſima opinione à rebus ſalutaribus impedientis. Nempe quia non ſolet dari hoc Sacramentum, niſi extremè periclitantibus, hinc fit, vt, eo accepto (non tamen ob id acceptum) plurimi non ſuperuiuant. Quamuis plurimi ſuperuiuant, qui non accepto, fuiſſent morituri. Itaque non facit, vt morituri moriantur, ſed vt benè atque cordatè moriantur, vncti & inſtructi ad vltimum agonem; aut etiam ne moriantur.

IV. Quia verò finis Sacramentorum, ob quem inſtituta ſunt, eſt noſtra Sanctificatio, ſeu vt conferant gratiam Sanctificantem, conſequens eſt, effectum illorum eſſe gratiam; quæ vel per hæc media incipit, vel augetur, vna cum omnibus virtutibus ſeu Theologicis, ſeu moralibus. Inter illas eſt Fides; inter has eſt Prudentia, quæ quia mentis aciem oculumque perficiunt, quis vnctionem Extremam non comparet, cum *candido oui epiphoras cohibente, oculoſq; refrigerante?*

V. Mirum igitur eſt, cum tanta vis inſit huic Sacramento, cumque per illud tanta facilitate nobis theſaurus diuinæ miſericordiæ ſanguiniſque Chriſti applicetur, eſſe tamē qui negligant. D. Bernardus *in vita S. Malachiæ. Petr. de Natal. lib. 10. c. 27. & alij* referunt, Benchorenſis monaſterij vicinum nobilem fuiſſe, ad cuius vxo-

rem

rem extremè ægrotantem Malachias vocatus, vt extrema vnctione illam muniret, cum ſub veſperam intraſſet, illamque exultantem præ ſpe & gaudio inueniſſet, ſuaſum eſſe ab omnibus, vt in alterum diem differretur, periculo moriendi nondum tam præſente. Eò accidit, vt tanti res momenti negligeretur. Nam interim, vt ſunt incerta hominum tempora, mulier moritur. Conclamatur. Accurrit Malachias. concurrunt ſacri, profani. Accuſat ſe ille, ſuaque culpa feminam tanto beneficio eſſe fraudatam dicit, & tantùm ſeipſe non conficit. certè mortuo quàm viuo proprior mæret. Quare loco olei, lachrymis perfundit defunctam, nec ante vel ipſe, vel diſcipuli eius Deum precari deſtiterunt, quàm illa reuiuiſceret. Itaque quam mortuam fletu ad vitam reuocauit, eam jam viuam vnctu ſacri olei etiam reſtituit ſanitati.

VI. Tanta vis eſt olei. Et ſunt qui adhuc horrent! Quid mollius oleo? Si multo labore, ſi diris cruciatibus diuinæ gratiæ theſaurus eſſet comparandus, nihil foret detrectandum: jam vngi detrectant, vel certè negligunt tot mortales? Quid ita? quia arbitrantur, ſe ideò morituros; vel citiùs morituros; vel ſi conualeſcant, non ampliùs nudis pedibus terram attingere auſuros; denique nefas fore poſthac choreas ducere, & ſaltare illis pedibus, qui ſacro fuerint

oleo inuncti. Quàm ſtulti iſti? quàm cæci? immo quàm in ſeipſos immites, more illius Ruperti Regis Romanorum, quem Io. Nider. *lib.* 4. *Formicarij c.* 11. ſcribit, diu diſtuliſſe, vano metu, hoc Sacramentum. Quod cum tandem perſuaſus admiſiſſet, audiſſetque orationes pro ſanitate quoque validas, exhilaratus dixit. *Reuera ſi hoc Sacramentũ ſciuiſſem tantum pro vtroq; valuiſſe homine, quemadmodum jam audio, dudum ipſum deuotiſſimè poſtulaſſem.* Dixit & conualuit. Itaque non mortem, ſed valetudinem diſtulit, dum diſtulit ſupremam vnctionem.

VII. Cuius vim cum noſſent, tam ardenter expetierunt Elzearius, *apud Sur.* 27. *Septemb.* Supra memoratus, Malachias Epiſcopus Hyberniæ, *apud S. Bernard. in vita eius.* Hedwigis, *apud Sur.* 15. *Octob.* Et, ſi nil conferret hæc vnctio; non ipſa B. Virgo Reginaldum, vt habetur *in vita S. Dominici l.* 2. *c.* 2. non ipſe Chriſtus Lydwinam vnxiſſet. *Sur.* 7. *April. in vita eius part.* 3. *c.* 11. Illa enim *cum ſola eſſet, cunctis domeſticis abſentibus, & ſummo manè, ipſo Paſchatis die contemplationi vacaret, vidit ad ſe venientem Dominum Ieſum, cum Sanctiſſima matre ſua & 12. Apoſtolis, multiſq; & Sanctis, & Angelis. Sedit autem Chriſtus ad lectuli eius dexteram, beatiſſima Maria ad ſiniſtram, alijs in orbem honeſtiſſimè eam cingentibus. Vidit etiam menſulam ornatam, & in*

ea

ea ceu ſacri olei vaſculum elegantiſſimum, crucem quoque pulcherrimam & cereum valde luculentum, totum cubiculum mirificè illuſtrantem. Erat tum corpus Virginis innumeris angoribus à vertice vſq; ad pedes oppreſſum & afflictum. Et ecce ſentit ab ipſo Saluatore Sacerdotalibus induto veſtibus, loca corporis ſui omnia perungi, quæ in morituris ſacro oleo vngi ſolent: ſed nulla audit Saluatorem verba proferentem. Inde Chriſtus ponit in manu eius cereum, eumq́; tenet cum matre ſua, cruce illic inuiſibiliter permanente, donec exhalaret Spiritum.

Chriſtus, & vnctus idem eſt; hinc vncti nomen habebat:
Nunc etiam VNGENTIS *nomē habere poteſt.*
Qui fugit vngentem, pungentem ſentiet olim,
Poſtquam oleum atq; operam deſtruet ipſe ſuã.

Ovo-

Digitized by Google

Ovorum, & aliarum rerum benedictió.

EMBLEMA LII.

VT PROSINT ANIMÆ QVOQVE.



1. IN feſto Paſchatis mos eſt Eccleſiæ vt inter *panes*, *carnes*, *lac*, *mel*, & alia eſculenta, etiam OVA conſecrentur: ſicut in die S. Stephani, *paſcuis*; S. Ioannis, *vino*; S. Marci, *ſegetibus*; Aſſumptionis B. Virginis, *herbis*, *plantis*, *radicibus*, *fructibus arborum* benedicitur: VT PROSINT ANIMÆ, & corpori non obſint. Nihil hîc Magicum, neque in *ritu*, neque in *vſu*. *Extenſa manu* Aaron ſigna fecit, *Exod. 8. 6*. Populo benedixit, *Leuit. 9. 22*. Sicut & Chriſtus aſcenſurus in cælum diſcipulis. *Luc. 24. 50*. Crucem autem, inter benedicendum, manibus exprimi ſi Magi-

cum

Digitized by Google

cum eſt, magus fuit Iacob, quando Ephraim & Manaſſe filijs Ioſeph benedixit. *Gen.48.18*. Pietas eſt, non Magia, cibum antè Deo conſecrare, quàm ſumere.

II. Ipſi Gentiles cibum ſumturi τὰς ἀπαρχὰς, ſeu primitias dijs conſecrabant; vt ad conuiuium, tanquam ad ſacrum epulum, accederent, *Plutarch. in Sympoſ.* Quin & in ſecundis menſis merum dijs libarunt, *Athen. lib. 1. cap. 9.* Et, ex antiquo Rituali Hebræorum libro, oſtendit Baronius, *An. 43.* in ſecunda menſa Paſchalis conuiuij, cum diſtribueret paterfamilias tortam azymam, propria & peculiari benedictionis formula vti ſolitum. At ne Gentiles, & Iudæos nominando, ianuam, vt in prouerbio eſt, in me ipſum videar patefeciſſe, quaſi Gentiliſmum, aut Iudaiſmum introduceremus; apud Clementem, *8. Conſt. 35.* Matthæi nomine, Apoſtolica eſt inſtitutio, *aquæ* & *ſalis* benedicendi. Quin & *olei* aliarúmque rerum hominum vſui ſeruientium; cum *1. Timoth. 4. 5.* Paulus ſcribat, *omnem creaturam ſanctificari, per verbum Dei, & orationem*; & Chriſtus *Luc. 9. 16. panem* turbæ daturus benedixerit ei, ſicut & *piſcibus*; vt Apoſtolis nobíſque exempli relinqueret documentum.

III. Quid verò in *benedictione*, quæ fit *per verbum Dei & orationem*, ſit reprehenſione, & non potiùs laude dignum? Nunquid ipſi Heterodoxi,

ſi

ſi quidem tam benè cum eis agitur, ante menſam orant; aliò abeuntibus valedicunt, aut aliunde venientes ſalutant? Grüß euch GOtt/ behüt euch Gott: certè propinanti paſſim reſpondent, Geſegnes euch Gott; quid eſt hoc aliud, quàm quoddam *benedicere*? Nihil ergo incantationis, in ritu benedicendi OVA, & ſimilia.

IV. Sed nec in vſu; qui potiùs incantationes impedit, aut damna ciborum, vel ob intemperantiam, vt docet S. Auguſt. *l. 10. Confeß. c. 31.* vel ob Magicam infectionem ſæpe nocentium, vt idem oſtendit *l. 18. Ciuit. c. 17. & 18.* & S. Gregor. *l. 1. Dialog. c. 4.* vbi Monialis Diabolum non deglutiuiſſet, ſi lactucam benedixiſſet. Prodeſt ergo corpori *Benedictio ciborum*, multóque magis animæ: ita enim cibi *ſanctificantur*, hoc eſt, Deo, per gratiarum actionem, per verbum Dei, & orationem, quaſi offeruntur, & conſecrantur; vt oſtendamus, nos à Deo eos accepiſſe, & ad Dei honorem veſci velle iiſdem; diuerſo à Manichæis more, qui quòd à mali principio creaturas exortas, atque execrabiles eſſe dicerent, eis pariter maledixerunt, teſte Cyrillo Hieroſ. *Catecheſ. 6.* Ergo VT PROSINT ANIMÆ QVOQVE, dum corpori proſunt, benedicuntur OVA.

V. Quanquam hæc non *vſu*, & *eſu* duntaxat, ſed etiam ſignificatu proſint: dura enim benedi-

cun-

cuntur, vt indicent, homines, qui toto anno nunquam confeſſi peccatis indurantur, ſaltem Paſchali tempore pœnitentiam agere, & benedictionem recipere oportere. Interim quanta vis ſit cibi vel potus benedicti, oſtendit Iac. Gretſerus in volumine de benedictionibus, & vita S. Bernardi *lib. 1. cap. 11.* vbi narratur S. Bernardus hauſtu cereuiſiæ à ſe benedictæ, conuertiſſe totam cohortem militũ ad Claramuallem diuertentium. Rectè. nam ſæpe milites etiam bibendo & pergræcando peruertuntur. Sicut autem benedictio prodeſt adhibita, ita nocet neglecta, quod vt experta eſt, ſupra allata monialis, ita & ille religioſus, qui, vt *in vita S. Dominici* recenſet Iacob. Epiſcopus Gemnenſis, extra cœnobium, abſque vlla benedictione præmiſſa, nec cruce poculo conſignato, quia potauerat, à malo Orcino hoſpite eſt inſeſſus. Sicut & ſedecim annorum puella Colonienſis: quanquam hæc non tam benedictionem menſæ neglexit, quàm maledictione præmiſſa, in nomine diaboli, eſcam; cum eſca muſcam; in muſa *Beelzebub Deum muſcarum* deuorauit. Vt eſt apud Io. Nider. *in Formic. l. 2. c. 11.* Hoc ſi ſemper fieret, quoties homines vel ſibi, vel alijs, diabolum imprecantur, credo Infernum totum diabolis exhauriendum. Ita longè crebriùs

briùs maledictio, quàm benedictio eſt in ore impiorum. Porrò ex virtute benedictionis intelligi poteſt dignitas ſacerdotum, qui, vt ex officio *benedicant*, & ipſi *benedicuntur*.

Quicunque conſecrata fercla nauſeat,
Satietur execratis.

Sâcro-

Sacrorum ordinum poteſtas, per oua in manibus excluſa, declaratur.

EMBLEMA LIII.

IN MANIBVS TVIS SORTES MEÆ, Pſal. 30. 16.



INter admiranda Hiberniæ, Giraldus *cap. 28.* 1.
& ex illo Iac. Gretſer. *l. 1. rer. var. c. 12.* hæc refert. *S. Keiuuinus quadrageſimali quodã tempore hominum frequentiam ex conſuetudine fugiens, in ſolitudine quadam, tugurio modico, quo à ſole tantum & pluuia defenderetur, ſoli contemplationi vacans, lectioni & orationi inſiſtebat, qui cum manum, more ſolito, per feneſtram ad cælum eleuaret, ei fortè merula inſedit, & quaſi nido fungens, oua depoſuit. Cui prædictus Sanctus tanta manſuetudine, & patientia compaſſus eſt, vt nec manum*

clauderet, nec retraheret; ſed vſq; ad plenam pullorum excluſionem, eam infatiganter extenderet, & aptaret. In huius autem ſigni perpetuam memoriam, omnes imagines ſancti Keiuuini, per Hiberniam, in manu extenſa merulam habent. Hæc Giraldus mirè curioſus ſcriptor; quæ faciunt ad dignitatem Sacerdotij commendandam. Ea enim etſi præcedente quoque commendata eſt *Embl.* tamen hoc loco diſtinctiùs exprimi debet.

II. Keiuuini ad manum aduolat auis: ibi *oua* ponuntur, caleſcunt, perficiuntur. Siue ergo in aue Chriſtus, vt *Emblem. 12. 15. 16. 19. & 22.* dictum eſt, ſiue Spiritum Sanctum intelligimus, vterque mira per manus Sacerdotum operatur. Ad illos enim pertinet tum Sacramentorum adminiſtratio, tum gemina illa prorſus diuina poteſtas, remittendi peccata, & Euchariſtiam conſecrandi. Non fugit Keiuuini manum auicula? è libero cælo aduolauit? Aduolat ad Sacerdotis manus ipſe Chriſtus; immo non aduolat, ſed ita ibi eſſe de nouo incipit, vt non deſinat eſſe in cælo: quæ conſecrandi vis meritò poteſt cum ipſa creandi poteſtate conferri. Quam ob rem ſacerdotis poteſtas longè ſuperat omnem regum, omnem imperatorum & poteſtatem, & dignitatem. Sicut & ſacrificium ipſum longè eſt excellentiſſimum, quod decuit in excellentiſſima religione, per Sacerdotis manus, peragi.

Oua

Digitized by Google

Oua in Keiuuini manu ſunt ad vitam addu- III.
cta, paulatimque animâ caluerunt ? Sacerdos manu crucem ducit, & peccatorem à peccato abſoluit, cum illico è mortua ipſa anima viuam facit: gratiam enim reducit, qua anima viuit. Itaque non tantùm condonat ingens illud debitum, vt à peccatis, & morte æterna liberet pænitentem; ſed etiam ſanctificat animas, efficitq; filios Dei, & jus æternæ vitæ tribuit. Quæ tam grandia nemo poteſt, niſi ipſe Deus, aut diuina auctoritate præditus, cui Deus eam poteſtatem committendo, ſuum locum, ſuas vices, & velut ſuum tribunal conceſſit. Nemo enim niſi Deus, vel loco Dei, condonare poteſt offenſas Dei. Hinc illi Chriſtum non agnoſcentes dicebant *Luc. 7. 49.* intra ſe: *Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit?*

Magnæ & patientis fuit bonitatis, ſuſtine- IV.
re manibus *ouum* tam diu, dum excluderetur, dum pullus prodiret: plus eſt ſuſtinere pænitentem, dum peccata velut *oua* aperit, eaque aperiendo. non jam è cæco videns, è claudo ambulans; ſed, quod incomparabiliter plus eſt, ex inimico, Dei efficitur amicus, & ſaluus ex pereunte. Sunt itaque & Sacerdotes Angeli illi de quibus dicitur: *In manibus ſuis portabunt te.*

Porrò cum per ordinem, nouæ legis ſacra- V.
mentum à Chriſto inſtitutum, poteſtas ſpiri-

tualis tradatur, & gratia conferatur ordinatis ad Eccleſiaſtica miniſteria obeunda, quæ varia ſunt, vnde varij quoq; ſunt ordines. Sed ſacerdotij ſupremus, ob prædicta. Hinc non quiuis eo ordine ornandus. *1. Tim. 5. Nemini citò manus impoſueris, neq; communicaueris peccatis alienis.* Quare *in Prato ſpirit. c. 149.* refertur, Leoni Papæ quadraginta diebus ad ſepulchrum S. Petri Apoſtoli vigilijs & orationibus intento Apoſtolum apparuiſſe, dixiſſéque: omnia illi peccata dimiſſa eſſe, præterquam impoſitionis manuũ, non quòd peccata ex parte dimitti poſſint, ſi ad culpam referas, ſed quoad pœnam, quæ reſtabat exſoluenda, ob promotos ad ſacerdotium indignos.

VI. Qua de cauſſa etiam pœnitentem, & iam Monachum factum, ob ſacrilegium tamen admiſſum, noluit ad ordines admittere Benedictus IX. apud Baron. *t. 11. An. 1034. 24. 25.* Et alius contra S. Benedicti prohibitionem accedens à diabolo inſeſſus & occiſus eſt, apud S. Greg. *l. 2. dial. 16.* De ſimili pœna refert Notgerus *l. 2. de mirac. S. Remacli c. 2.* & poſt eum *Sur. 3. Sept.*

VII. Qui digniſſimi fuêre, ex reuerentia tamen fugere conati ſunt hanc dignitatem, Ephræm Syrus, vt habet *Amphiloc. in eius vita*, qui tamen cùm manuum impoſitione peritiam poſtea

Græcæ

Græcæ linguæ accepit. Fugit hanc dignitatem & Rupertus poſtea Tuitienſis Abbas, vt ipſe teſtatur, *lib. 12. in Matth.* ſed diuinitus inſtigatus eſt ad eam ſuſcipiendam. S. Franciſcus diaconus manſit, quòd puritatem in ſacerdote requiſitam à ſe abeſſe crederet. *l. 1. Chronici S. Franciſci. p. 1. c. 41.* Nam cum incredibiliter afficeretur ad reuerentiam ſummam Euchariſtiæ exhibendam, veritus eſt, ne eam indignitate ſua contaminaret. Inſtigantibus autem identidem alijs, vt ſacerdos fieret, à Deo per ardentes preces conſilium popoſcit. Miſſus eſt ergo Angelus ad eum, cum phiala lucida, in manu, limpidiſſimo liquore plena, qui diceret: *Vide Franciſce, quicunque vult fieri ſacerdos, & ſacramenta adminiſtrare, ita purus eſſe debet in anima, ſicut iſte liquor.* Ah quàm multi priùs deberent hanc phialam contemplari, quàm accederent ad hanc dignitatem, ne indigni diuinam prouocarent indignationem! At bonus ſacerdos dignus eſt, vt in oculis feratur ab ijs, quos fert in manibus.

Alterna ouorum cura, doctrina eſt matrimonijs.

EMBLEMA LIV.

DVM TIBI NATORVM EST, EST MIHI CVRA TVI.



1\. C*Ornicem incubantem mas paſcit*, teſte Plin. *l. 1 0. c. 6 0.* Et *ſeq. c. 6 0. Crocodili vicibus incubant mas & femina.* Supra autem *c. 5 8. Palumbes incubat femina poſtmeridiana in matutinum, cetero mas. Columbæ marem ſemper & feminam pariunt, priorem marem, poſtridie feminam. Incubant in eo genere ambo, interdiu mas, noctu femina.* Hæ vices ſunt parentum, quorum vtrique incumbit in educanda alendáque prole laborare. Eſt proles vtriuſque; cur non & cura pro-

Digitized by Google

prolis? Ad hoc matrimonium inſtituitur, vt proles habeatur, ſed curâ parentum ad vires & mores ducenda. Et gratiam Deus peculiarem ad hoc parentibus largitur. Vices ergo laboris ſunt ſeruandæ, vt dum mater lactat, ligat, faſciat, lauat, comit, & pectit ſobolem, & velut perpetuò domi incubat; pater lignatum, & pabulatum eat, paſcatque matrem.

In artibus autem & moribus ad vtrumq; pertinet, incubare. Femina femellas doceat nere, domum repurgare, culinam curare, & quæ ſimilia ſunt; vir pueros inſtruat litteris, equeſtri diſciplina, negotijs ſeu agri, ſeu fori tractandis. Vterque imbuat vtramque prolem pietate; arceat à contubernio malorum, &, vt ſolicitus eſt de hæreditate, ita ſolicitus ſit etiam de virtute. *Vt fundus quidem ſit optimus*, ait S. Chryſoſt. *hom. 9. in 1. ad Timoth. cuncta molimur, eúmque fideli viro magna cura tradimus. Ceterùm quod nobis omnium chariſſimum eſt, omnino negligimus; quo pacto filium noſtrum fideli cuipiam viro permittamus, qui ipſius ſeruare pudicitiam, formare mores, ingenium expolire, & exornare poſſit.* II.

Itaque, qui hîc ſunt remiſſi, probè ſciant illud Nauarri probum dictum *Manu. c. 14. n. 17. peccare mortaliter patrem, qui negligit notabiliter prouidere illa, quæ ad filij neceſſitatem ſpiritualem, aut corporalẽ pertinent, cum nulla eſt ei excuſatio paupertatis, vel alia rationabilis cauſſa.* Paupertas III.

Alterna ouorum cura, doctrina eſt matrimonijs.

EMBLEMA LIV.

DVM TIBI NATORVM EST, EST MIHI CVRA TVI.



1. C*Ornicem incubantem mas paſcit*, teſte Plin. *l. 10. c. 60.* Et *ſeq. c. 60. Crocodili vicibus incubant mas & femina.* Supra autem *c. 58. Palumbes incubat femina poſtmeridiana in matutinum, cetero mas. Columbæ marem ſemper & feminam pariunt, priorem marem, poſtridie feminam. Incubant in eo genere ambo, interdiu mas, noctu femina.* Hæ vices ſunt parentum, quorum vtrique incumbit in educanda alendáque prole laborare. Eſt proles vtriuſque; cur non & cura pro-

prolis? Ad hoc matrimonium inſtituitur, vt proles habeatur, ſed curâ parentum ad vires & mores ducenda. Et gratiam Deus peculiarem ad hoc parentibus largitur. Vices ergo laboris ſunt ſeruandæ, vt dum mater lactat, ligat, faſciat, lauat, comit, & pectit ſobolem, & velut perpetuò domi incubat; pater lignatum, & pabulatum eat, paſcatque matrem.

In artibus autem & moribus ad vtrumq; pertinet, incubare. Femina femellas doceat nere, II.
domum repurgare, culinam curare, & quæ ſimilia ſunt; vir pueros inſtruat litteris, equeſtri diſciplina, negotijs ſeu agri, ſeu fori tractandis. Vterque imbuat vtramque prolem pietate; arceat à contubernio malorum, &, vt ſolicitus eſt de hæreditate, ita ſolicitus ſit etiam de virtute. *Vt fundus quidem ſit optimus*, ait S. Chryſoſt. *hom. 9. in 1. ad Timoth. cuncta molimur, eúmque fideli viro magna cura tradimus. Ceterùm quod nobis omnium chariſſimum eſt, omnino negligimus; quo pacto filium noſtrum fideli cuipiam viro permittamus, qui ipſius ſeruare pudicitiam, formare mores, ingenium expolire, & exornare poſſit.*

Itaque, qui hîc ſunt remiſſi, probè ſciant il- III.
lud Nauarri probum dictum *Manu. c. 14. n. 17. peccare mortaliter patrem, qui negligit notabiliter prouidere illa, quæ ad filij neceſſitatem ſpiritualem, aut corporalẽ pertinent, cum nulla eſt ei excuſatio paupertatis, vel alia rationabilis cauſſa.* Paupertas

excuſat à pædagogo; ſed tum ipſe parens debet eſſe pædagogus. Quod ſi quis eſt opulentus, & frequentia negociorum impeditur ab inſtruendo filio, *Magiſter probæ ætatis, & vitæ, atque eruditionis eſt eligendus*, vt ait S. Hieron. *ep. 7. ad Lætam.* Huius Magiſtri prima cura erit, vt *Apoſtolorum Symbolum*, *orationem Dominicam*, & quæ Chriſtianâ doctrinâ continentur, diſcipulo, tum alios mores & artes tradat; ſitque velut alter parens, vt olim Chiron, & Phænix Achillis, Linus Orphei, Plato Ariſtotelis, Ariſtoteles Alexandri, Chryſippus Eraſiſtrati, & Anaxagoras Periclis, Molo Ciceronis, cuius etiam Magiſter fuit Poſſidonius, vt ipſe teſtatur *in lib. de fato*; & Plutarch. *in vita eius*. Docuit & Seneca Neronem, quamuis degenerem; Cebes Phædonem, Philetas Cous Ptolemæum; Empedocles Gorgiam; Plutarchus Traianum, Donatus & Victorinus Hieronymum, Arnobius Lactantium, alij alios.

IV. Hi ergo omnes docent, filios vel à Magiſtris docendos, vel à parentibus. Dummodo parentes aliquid boni doceant: quod nunquam, aut rarò facturi ſunt, niſi ſint ipſi boni. Si enim auari ſunt, auaritiem docebunt, ac ſordes; ſi vinolenti, Baccho eos educabunt & Veneri; ſi ſuperbi, Iunones facient, & pauones ſirmata trahentes, capillum criſpantes, denique calamiſtri, & vnguentorum vſurpatores.

Sed

Sed non impunè. De Prætextata nobiliſſima v. femina. S. Hieronymus *in ep. ad Lætam. Illa*, inquit, *iubente viro Hymetio, qui patruus Euſtochij Virginis fuit, habitum eius cultúmque mutauit: & neglectum crinem mundano more pexuit, vincere cupiens & virginis propoſitum, & matris deſideriũ: & ecce tibi eadem nocte cernit in ſomnis veniſſe ad ſe Angelum terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem. Túne auſa es viri imperiũ præferre Chriſto? Tu caput virginis Dei tuis ſacrilegis attrectare manibus, quæ iam nunc areſcent, vt ſentias excruciata, quid feceris: & finito menſe quinto ad inferna duceris. Sin autem perſeueraueris in ſcelere, & marito ſimul orbaberis, & filio. Omnia per ordinẽ expleta ſunt, & ſeram miſeræ pœnitentiam velox ſignauit interitus. Sic vlciſcitur Chriſtus violatores templi ſui, ſic gemmas & precioſiſſima ornamenta defendit*. Immo ſic docet matres deſtinare liberos Chriſto; coniuges non iniqua petere à coniugibus, nec in gratiam mariti vxorem, aut in vxoris fauorem maritos peccare. Ad vitanda, non ad patranda peccata matrimonium eſt inſtitutum. Cuius ſanctitate neglecta, cum malè feriata iuuentus non iam ampliùs *matres*, ſed *matreſſas* didicerit quæritare, heu quæ progenies poteſt ſperari!


Illorum de gente, patri quos dædala Circe
Suppoſita de matre nothos furata creauit.

Virgil. Æn. 7. V 5 Ovum

Ovum ſtellatum B. Virginis ſymbolum.

EMBLEMA LV.

RESPICE STELLAM, VOCA MARIAM.



1. PRæter ceteras oui laudes, *formam*, inquit Putean. Orat. 20. *examina; quid perfectius abſolutiuſq; obijci oculis poteſt? colorem penetra; quid venuſtius pulchriuſq;? Et forma quidem dignitatem ſuam habet: non aſpera, non horrida, non inciſa eſt; ſed læuis, teres, & velut pumice expolita: nec rotunda prorſus (de gallinis hîc loquor) ſed tanquam præſtantius aliquid effingi debuerit,* faſtigio, *vt appellat Plinius*, cacuminata. *Orbem, aut globum proletarius quisque fingit, & exprimit: ſed materiam forcipe comprehenſam reciproco volumi-*

lumine in curuos vertices coarctare, inter torni miracula, etiam periti cenſent. Sic quanto difficilius eſt, ouum quàm circulum cælo cauare, tanto plus ornamenti corpus habet, quod obliquo gyro, ſiue limbo, quàm quod æquali vndique, & vniformi periodo abſolutum eſt. In globo etiam productæ molis ambages volo; vt quædam velut latera, vt ſummum & imum inueniam; vt varietas ſit, finis tamen principiumq́ deſideretur; immo vt æternitas ſit, & nullo ſimplicitatis vitio decor violetur.

Exterior hæc oui eſt forma. *In ouo, vt delicata omnia, ita diſtincta & venuſta ſunt, ac prorſus virginea. Putes in argento aurum, in aqua ignem; in cryſtallo chryſolithum, in niue crocum, in vitro electrum, in lacte purpuram natare. Siue igitur formam, ſiue colorem examinemus, nihil pulchrius ouo: omnium quæ amare, & æſtimare poſſis imaginem continet.* Ita natura ouum ornat, illius Symbolum, quæ *Cant. 1 8. pulcherrima mulierum*, & *Cant. 4. 7. tota pulchra* meritò appellatur: quàm Georg. Nicodem. *orat. de oblatione Virginis* ſic compellat: *ô pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum, ô Dei Genitrix pulchrorum omnium ſummum ornamentum!* Proinde venuſtas, dignitas, forma, color, perfectioque oui tota aliud nihil eſt, quàm Symbolum illius oui, de quo S. Spiritus excluſit auem illam precioſam, Pelicanum, Phænicem, Gallinam pullos ſuos, ſub alis, congregantem. II.

Atq;

III. Atque vt Symboli tanti apertior ſit ſimilitudo, expreſſiórque nota, ecce tibi *ouo* ſtellam, ſeu limbum ſolis, velut ſymbolo ſymbolum, ſiue à ludente natura, ſiue à Deo naturæ miraculum inſcribente in iconiſmo propoſitum. Tale mihi ouum, vti delineatum eſt, in manus tradidit, etiam atque etiam conſiderandum atque examinandum, Prænobilis ac ſtrenuus Dominus Ioannes Egolffus Dn. in Leonrodth, & Odelzhauſen Reuerendiſſ. & Illuſtriſſim. Domino Dn. Ioan. Chriſtophoro Epiſcopo Eiſtadiano. S. R. I. Principi à conſilijs. Vnà cum *ouo* eius quoque originem deſcriptam tradidit, quam non omittam apponere. *Sic* habet. Non procul Auguſta Vindelicorum, ad duo circiter milliaria, in terra Bauaria, Vicus ſitus Odelzhuſa dictus. Ab Vici arce, quarta horæ parte, venitur ad locum à vetere ſiluula & fruteto, *Dexat* vernaculè nominatum.

IV. Ibi in ipſo loci vmbilico caſa erat ruſtica, *& raris habitata mapalia tectis*; quæ quia ſub Dominio Prænobilis ac ſtrenui Domini Ioannis Wilhelmi Hundij de Lautterbach, Domini in Sulzemos &c. fuêre, ab eodē cultiora facta ſunt, hortoq; & atrio aucta, vt eſſent in Ornithonem. Mox, vt ab exiguis principijs omnia ſumunt incrementum, ab auibus ad piſces proceſſum eſt, viuariúmque nobiliſſimis piſcinis locuple-

pletatum ; quòd inibi pulcherrimæ fontium ſcaturigines emicarent. Amor loci, cum ornatu creuit. Itaque D. Virgini quoque ſacellum apponere ſtatuit, vt eadem ſedes eſſet pietatis, quæ receſſus fuerat amœnitatis. Sed præcipuè placuit ædificio dare formam ſtellarem, ſacellúmque ipſum appellare, *B. Virginem ad ſtellam*, ſeu, *B. Virginis ſtellam*.

Cæpta eſt ædificatio, eo ipſo An. 1618. qui Pragæ Illuſtriſſimorum celeberrimorúmq; heroum, per feneſtras, ſparſione, occaſionem dedit, vt An. 1620. clariſſima, *ad ſtellam*, victoria, in monte Albano, obtineretur. Porrò & fundamentum, & tectum, & parietes, & feneſtræ, omnia in ſtellæ modum ſunt ædificata, abſolutaque An. 1619. Quo Anno, in feſto Natiuitatis B. Virginis, ſacellum eſt ſolenni ritu dedicatum. Dum autem ædificaretur, ſub ipſa initia, repertum eſt in corte, atque ſirpiculo gallinarum, die quodam Veneris, eiuſcemodi impreſsâ ſtellâ, ſeu limbo radioſo notatum ouum ; atque decimo quarto poſtea die, alterum tale ; quod hîc dedimus delineatum. Cui poſtea complura alia ſimilia in vicinis locis reperta, & nonnulla quidem, velut ſigillo in ceram, aut mollem gypſum adacto, impreſſa, ſuiſque eminentijs conſpicua; alia verò, velut penicillo, lineolis radioliſque in eandem figuram ductis ſtriata. Quæ partim mi-

ri

ſi cauſſa, partim muneris loco, ad ſacellum allata multíſque jam annis ibi, nihil graue redolentia aſſeruantur. Teſtatur id cum magna admiratione illuc, pietatis ergò, confluentium mortalium multitudo, quæ inſigni frequentia locum honorat, jam etiam ſæpius miraculis præclariſſimis honoratum.

VI. Exiſtimem, non ſine prodigio indicare voluiſſe Superos, gratam ſibi illam ſtellarem architectationem, quam proinde in ſede gallinarum factam, de vtero gallinarum honorare, & velut ſigillo hoc confirmare voluerunt. Nec alibi ſimilia *oua* reperiri exiſtimo. Ait quidem Aldrouandus *lib. 14. c. 1. ouum* ſe in Muſæo reſeruare, *anſernio haud minus, plicis, rugisq; inſigne, quod illuſtris Io. Bapt. Barbazza Bononienſis* ei donârit, ſed nullam de plicarum ſolari, ſtellarique figura mentionem facit, vt prorſus adhuc iſtud B. Virginis *ouum* ſit peculiare. Fabulas enim nihil moror, è quibus Stephanus Vinandus *in Hercule Prodicio pag. 432.* docet; *limbis purpureis prætexendas chlamydes & equorum tegmina:* & addit: *limbos adornent alternatim oua argentea, & fulgura aurea Iouis eorum* (Caſtorum) *patris arma. In ouis ſingulis pingantur binæ ſtellulæ Caſtoris & Pollucis; oriens alter, qui aureus erit, alter occidens, qui niger.*

VII. Quàm porrò conuenienter radiatio illa Virgini

gini

gini tribuatur, facilè mecum ſentiet, qui non ſolùm meminiſſe volet, *mulieris ſole amicta*, & *ſtellis coronata*, *Apoc.* 12. 1. & in *ſtella matutina* vincenti danda in cælo *Apoc.* 2. *quia omnes Sancti*, ait Franc. Mayro *ſerm. de creat. anim. Virg. in patria de plenitudine Virginis participant.* Quo in loco idem illuminatus Doctor, ob decem proprietates, ſiue priuilegia, oſtendit, Virginē *Stellam maris* appellari. Et S. Ildefonſus *ſer.* 1. *de Aſſumt. Maria*, inquit, *ſecundùm verbum Hebraicum interpretatur* Stella maris. *Mare præſens ſeculum eſt: Stella autem. S. Virgo Maria, de qua ortus eſt ille, per quem illuminatur omnis mundus. Hinc ſecuriùs accedite ad laudem Virginis: & illuminamini, quoniam ipſa eſt, per quam vera lux mari huius ſeculi refulſit.* Ad quam vtinam, tanquam ad polarem ſtellam magnes, corda noſtra rapiantur, Stellâ hac, hoc eſt, affectu Deiparæ, *oui* inſtar, inſignita! Denique fas ſit, in *ouo* hoc illam agnoſcere, de qua *Cant.* 6. 9. dicitur: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra, vt luna, electa, vt ſol, terribilis, vt caſtrorum acies ordinata?* Caſtrorū autem aciem ſæpe in ſimilitudinem *oui*, ouali figura, fuiſſe ordinatam, docet Ælianus, *in tractatu de inſtruendis aciebus ad D. Hadrianum.* Vbi id genus inſtructionis ait inuentum à Theſſalo Ilione, & à Iaſone

ſone

ſone quoque exercitationi mandatum, *tanquam tutum & percommodum, cum vndique cuſtodiatur decurione, tergiductore, cuſtodibus lateris.* Cùm ergo Patrona noſtra, tanquam eiuſcemodi acies ſit ordinata, quàm meritò quotidie dicimus? *Sub tuum præſidium confugimus, Sancta Dei Genitrix.*

Si radijs ornata ſuis ſtellisq́ relucent,
Quis non ſtellifero comparet OVA *Polo?*
OVA *Polus fiunt ſtellis ornata. quid ergo,*
Chriſtiparâ ornatus VIRGINE, *fiet homo?*

Ali-

Digitized by Google

OVORVM
PASCHALIVM
SACRO EMBLEMATE
INSCRIPTORVM
deſcriptorúmque,

à

GEORGIO STENGELIO
SOCIETATIS IESV
Theologo.

PARS ALTERA.



Si conſurrexiſtis cùm Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite, ubi Chriſtus eſt. *Col. 3. 1.*

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI.

VT ſubſiſteres paulliſper, & reſpirares, Emblemata *hîc diuiſi, alioquin nimis prolixè excurrentia. Etiam properans viator ſubinde in herbam ſe abijcit, aut ad fontem è ſaxo ſcaturientem. Ipſis tabellarijs prandij quietem concedimus:*

& hora laſſos
Interjungit equos meridiana.

Cur igitur non etiam Lectori *noſtro ſuccurramus pauſa interiectu? cum & Muſicos id facere videamus; & quemadmodum itinera, ita libri quoque ac volumina longè appareant breuiora, ſi diſtribuantur. Denique à Philoſophis inſtruimur, omne quod mouetur, ipſo Naturæ magiſterio, quieſcere in puncto reflexionis. Quia ergo & nos, à bonis* OVIS, *hîc calamum deflectimus, ad mala* OVA *deteſtanda, penicillus ducendus fuit, ut velut à lineâ rurſus inciperemus.*

Illud aduertas velim, non omnia à nobis OVA *accuſari, ſed vel eorum abuſum, vel id, quod in ijs, velut in ſymbolo, vitioſum relucet. Scribit Albertus, grandem Aquilam eſſe in Septemtrione, quæ duo* OVA *ſemper pariat. Bona ſanè* OVA, *quia aquilæ* OVA. *Sed quæ nobilitat partus, nidus dehoneſtat. Nam aquila, affectum parentis oblita, & laborem pertæſa,* OVA *illa vulpis pelle involuta, in cacuminibus arborum, ſuſpendit, ut ſpurio calore foueantur. Sicut ergo Lyſander leoninam cum vulpinâ ſe conjungere dictitans, generoſitatis laudem pro-*

feſſio-

Digitized by Google

ficſſione aſtutiæ contaminabat; ita aquila, non ſine vituperio, coniungit bonum partum & malũ nidum. Eiuſcemodi aquilam ſi memineris, aut vulturem eſſe, malum humani generis hoſtem; facilè credes, eius ingenia & machinatione, etiam bona OVA *malè poſſe collocari. Sed tu, Lector, ſi fueris bonus, ipſis quoque malis* OVIS *bene ùti noſces.*

Digitized by Google

Aliqua, ex ovis non nata, volantia, dæmonum ſymbola.

EMBLEMA LVI.

QVÆ SOCIETAS LVCI AD TENEBRAS? 1. Cor. 6. 14.



QVæ, & quotnam aues ex *ouis* non naſcun- 1.
tur? Duæ hæ, ſi tamen duæ; *Veſpertilio*,
& *Phœnix*. Macrobius *l.7. Satur.* hæc ha-
bet: *Animantia aut gradiuntur, aut ſerpunt, aut
nando volandóue viuunt: in gradientibus lacertæ
& ſimilia ex ouis creantur: quæ ſerpunt, oui naſcun-
tur exordio; volantia omnia de ouis prodeunt, exce-
pto vno; quod incerta natura eſt. nam* VESPERTI-
LIO *volat quidem pellitis alis; ſed inter volantia
habendus non eſt, quia quatuor pedibus graditur,*

formatóſque pullos parit, & nutrit lacte, quos generat. Natantia ferè omnia de ouis nutriuntur generis ſui. Crocodilus verò etiam de teſteis, qualia ſunt volantium. Itaque, ſi fabula eſt de *Phœnice* per cineres renato, orta ab Heliopolitanis Solem pingẽtibus, quaſi auem, orientem & occidentem; (vnde veteres tradiderunt Phœnicem auem Heliopoli degere, in *Ciuitate Solis*, quòd in ea eſſet ſimulachrũ & templum Solis) ſolus Veſpertilio, inter quomodocunque volantia; vel certè cum ſolo Phœnice, ſine *ouo* naſcitur. Qua de cauſſa vtrumque *ouo* emblema incluſit.

II. Si ergo *Phœnicem* ex ouo non natum, Chriſto ſecundùm diuinam naturam, quæ principio caret, eidémque homini de tumulo, velut nido ſuo, reſurgenti contulerunt tot SS. Patres, cur nobis non liceat diabolum *Veſpertilioni* comparare, cum & ipſe, *Veſpertilionis* more, ex *ouo* non prodeat, & tenebras amet, ſicut *Phœnix* lucem atque Solem? Nempe & *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. 1. Io. 1. 5.* & damnati illi ad *tenebras exteriores (Matth. 8. 12.)* ſpiritus, iam facti ſunt *rectores tenebrarum. Eph. 6. 12.* Quare id vnum agunt, vt *opera tenebrarum Rom. 13. 12.* promoueant. Promouerunt ſanè, cum è bonis Angelis tot malos fecerunt.

III. Poëtis Angeli Alites vocantur. Inter hos Alites, mali ſunt *Veſpertilionibus* ſimillimi. Vnde

&

Digitized by Google

& membranaceis pinnis pinguntur: & incredibiliter lactant, quoſcunq; Orco pepererunt. *Volucrum animal parit Veſpertilio tantùm, cui & membranaceæ pinnæ vni. Eadem ſola volucrum lacte nutrit, vbera admouens: geminos volitat amplexa infantes: ſecúmque deportat. Eidem coxendix vna traditur, & in cibatu culices gratiſſimi*, teſte Plinio *l. 10. c. 61.* Vides quadrare? Nam ſæpe & diabolus geminos volitat amplexus, quos in furca vehit per äërem.

At cur non prodit ex *ouo? relucet. Nihil candore ſpecioſius eſſe fatentur omnes*, ait Puteanus *orat. 20. hinc lucem amamus, noctem odimus. Quin Deum ipſum, vt pulcherrimus appareat, puro die, velut circumſcribimus; inferos, vt turpiſſimi ſint, denſis cæciſq; tenebris ſepelimus. Ouum igitur candidum eſt, & ſic quoque cælum imitatur; nec vehementiùs quippiam à colore laudare veteres potuerunt, quàm vt ouo præferrent.* Lucem ergo, & candorem quia odit diabolus, ex *ouo* non prodit, tanquam contrario ſibi, nam & lux illum odit: hinc ibi acceſſum habet multò patentiorē, in quorum animo nebulæ Cimeriæ, aut Tartareæ cæcitatis caligo ſuboritur; aut certè vbi diuina luce, per iram, aliumúe affectum, ad occaſum vergente, inveſperaſcit. IV.

Quid quòd in excludendis *ouis* mora eſt neceſſaria? Hinc quia nemo hominum fit repentè V.

peſſimus, in hominibus peruertendis cacodæmon *veſpertilionem*, hac in re, non imitatur; cum *oua* ponat, more ſerpentis, vt dictum eſt *Embl.* 7. Paulatim enim interrogando, poſtea mentiendo, alliciendóque de *ouis mala*, monſtroſo partu excluſit. At quo inſtanti peccauit, eo ſtatim de bono Angelo diabolus fuit, alióſq; diabolos fecit, quos ſeduxit; tenebris exterioribus itidem obnoxios. Quippe *Agentes, & conſentientes eâdem pœnâ ſunt digni.* Non ergo *ouo* opus fuit, neque longa ad peruerſionem diſpoſitione. Quòd intellectu eſſet præditus, & libera voluntate, ſicut omnis creatura intelligens, naturæ erat peccabilis; quòd tam perfecta atq; excellenti natura inſtructus, non potuit, ad peccandum, longâ morâ indigere.

VI. Itaque *ab initio peccauit. 1. Io. 3.* hoc eſt, non in primo quidem ſuæ creationis inſtanti (quo modo enim alioqui *cecidiſſe de cælo Lucifer, Iſa. 14.* aut *in delicijs Paradiſi fuiſſe. Ezech. 28.* diceretur?) ſed paulò poſt ſuæ creationis primũ inſtans. Mox deinde ſupremus Angelus, ex his qui peccauerunt, alijs auctor ſuaſórque fuit peccati, atque ita *traxit ſecum tertiam partem ſtellarum. Apoc. 12.* Quod quàm citò factum ſit, oſtendit S. Thomas *1. p. q. 63. a. 8. ad 1.* his verbis: *Dicendum, quòd licet ſimul dæmones peccauerint, tamen peccatum vnius potuit eſſe alijs cauſſa*

pec-

peccandi. Angelus enim non indiget ad eligendum, vel exhortandum, vel etiam conſentiendum, temporis mora: ſicut homo qui deliberatione indiget ad eligendum, & ad conſentiendum, & locutione vocali ad exhortandum: quorum vtrumque tempore agitur. Manifeſtum eſt autem, quòd etiam homo, ſimul dum aliquid iam corde concepit, in eodem inſtanti incipit loqui: & in vltimo inſtanti locutionis, in quo aliquis ſenſum locutionis capit, poteſt aſſentire ei, quod dicitur: vt patet maximè in primis conceptionibus, quas quiſque probat auditas. Sublato ergo tempore deliberationis, quod in verbis requiritur, in eodem inſtanti, in quo primus Angelus ſuam affectionem intelligibili locutione expreſſit, poſſibile fuit aliis in eam conſentire. Hæc Aquinas.

Monſtroſum ergo iſtud malum, ſine *ouo*, ſine longa excluſione, & in inſtanti eſt genitum, & meritò *veſpertilioni*, volanti, ſed inter volantia non habendo comparatum; præſertim cum teſte Hieronymo *ſuper Habac. 3.* Hebræi tradant, dæmonis nomen eſſe *Reſeph*, qui inter alios ſit princeps, & ob celeritatem *auis, ac volatile* nuncupetur. Quin etiam ſicut veſpertilio *quatuor graditur pedibus*, ſed ventrem trahens in terra, ita Hebræi tradunt *Reſeph* eſſe, qui in paradiſo mulieri locutus ex maledictione Dei, nomen acceperit. Siquidem *Reſeph reptans ventre* Latinis eſt. Quod ſi *veſpertilio* culices capit & muſcas, id VII.

quoque ei conuenit, qui *Beelzebub*, ſeu Deus muſcarum vocatur. Væ muſcis, quas capit! Væ nocturnas tenebras amantibus, & à celeri hac noctis aue periclitantibus. Vt formatos pullos pariat, *veſpertilio* eſt; vt *oua* faciat, ſerpens eſt; denique, vt quocunque modo fallat, Proteus eſt. Quem imitantur noctiuagi illi, qui non tantùm ære alieno obruti, interdiu domi delitеſcunt, ſed etiam opera tenebrarum, per furta, & ſcorta ſectantes, veſpere duntaxat, prodeunt; aut quiſquis ore bilingui nunc reptat, nunc volat, vt neſcias, quo in genere eum reponere debeas: qui meritò cum Varrone dixerit: *Factus ſum veſpertilio, neque in muribus planè, neque in volucribus ſum.*

Ovum

Ovum anguinum magiæ inſtrumentum, & Superbiæ vituperium.

EMBLEMA LVII.

TALE OVVM COQVITVR, SI TALES ADHIBES COQVOS.



ANgues innumeri æſtate conuoluti, ſaliuis faucium corporumq́ʒ ſpumis artifici complexu glomerantur, ANGVINVM *appellatur. Druidæ ſibilis id dicunt in ſublime jactari, ſagoq́ʒ oportere intercipi, ne tellurem attingat. Profugere raptorem equo: ſerpentes enim inſequi, donec arceantur amnis alicuius interuentu. Experimentum eius eſſe, ſi contra aquas fluitet, vel auro vinctum. Atque vt Magorum ſolertia occultandis fraudibus ſagax, certa Luna capiendum cenſent, tanquam congruere o-* 1.

perationem eam ſerpentium, humani ſit arbitrij. Vidi equidem id ouum mali orbiculati modici magnitudine, cruſta cartilaginis, velut acetabulis brachiorum polybi crebris, inſigne Druidis. Ad victorias litium ac regum aditus mirè laudatur; tantæ vanitatis, vt habentem id, in lite, in ſinu, equitem Romanum è Vocentijs, à Diuo Claudio principe interemptum, non ob aliud, ſciam. Hic tamen complexus anguium, & efferatorum concordia, cauſſa videtur eſſe, quare exteræ gentes caduceum in pacis argumentis circumdata effigie anguium fecerint. Neque enim criſtatos eſſe in caduceo mos eſt. Hæc Plin. *lib. 10. c. 3.* Certè ſi angues in caduceo criſtati forent, magis caſſides criſtatas bellúmque, quàm pacem ſignificarent. At cacodæmones in *ouum* conficiendum conglobati, criſtas erexêre.

II. Non ergo illud pacis erat, ſed diſcordiarum & initium, & argumentum. Ex *ouo* geniti ipſi non ſunt, *ouum* tamen ſæpe genuerunt, aut velut in *ouum* glomerati confluxerunt. Nam etſi, ut ſuperbi, ita inter ſe diſcordes ſint, vbi tamen malum facinus perpetrandum eſt, velut in ANGVINVM conuoluti, arctiſſimo complexu conſpirant. Ac ſinunt ſe ſanè ſubinde deſpui, vt quaſi *ſaliuis faucium glomerentur*, dum Spiritus ipſi hominibus ſeruiunt ad ſuperſtitionem ac perniciem, tum maximè, cum *victoriæ, ac regum aditus*, cum tituli, & dignitates ambiuntur. Nam

ſicut

Digitized by Google

ſicut diabolus diabolum in præceps egit, ita quotidie conatur homines quoque de ſaxo jacere. Cum Lucifer vellet Deo eſſe par, & ſolium ſuum ſupra conditionem ſuam eleuare, aſſeclis placuit iſte inſignitus locus atq; excellentiæ amor: ita altiſſima petendo, in profundiſſima ceciderunt. Hac eadem arte primos homines deiecit de gradu ſtatúque felicitatis; diuinitatem ſcilicet promittendo: *Eritis ſicut Dij Gen. 3. 5.*

Quales plerunque videri volunt, qui magica diſcunt, vt ſimiles ſint patri ſuo. *Ipſe enim eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ. Iob. 41. 25.* Quam ob rem *Act. 8. 9. vir quidam nomine Simon, qui antè fuerat in ciuitate magus, ſeducens gentem Samariæ*, dicebat *ſe eſſe aliquem magnum: cui auſcultabant omnes a minimo vſque ad maximum, dicentes: Hic eſt virtus Dei, qua vocatur magna. Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magijs ſuis dementaſſet eos*, & obſtupefeciſſet. Quod faciunt, qui ſerpentes incantant, & id efficiunt verbis, vt ab eis non lædantur venenis. Qua de cauſſa *in c. 28. Actuum* ſcribit Oecumenius, olim moris fuiſſe, *omnem qui glorioſum aliquod opus præſtaret, Deum exiſtimare; quemadmodum veteres Deos nominabant etiam eos, qui aliquid operarentur, quòd vires ipſorum, ſuorumq; coæuorum excederet.* Hanc vulgi opinionem vide ipſis diuinis litteris traditam. *Act. 28. 3. Cum* III.

congregaſſet Paulus ſarmentorum aliquantam multitudinem, & impoſuiſſet ſuper igne, vipera à calore cum proceſſiſſet, inuaſit manus eius. Vt verò viderunt Barbari pendentem beſtiam, de manu eius, ad inuicem dicebant: Vtique homicida eſt homo hic, qui cum euaſerit de mari, vltio non ſinit eum viuere. Et ille quidem excutiens beſtiam in ignem, nihil mali paſſus eſt. At illi exiſtimabant eum in tumorem conuertendum, & ſubitò caſurum, & mori. Diu autem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri. Iterum ſupra modum loquuntur, ait Chryſoſtomus, nam *conuertentes ſe, dicebant eum eſſe Deum.*

IV. Quod non ob ſanctitatem Pauli, quæ illis ignota erat, dicebant, ſed quia vulgari ſtultitia ducti, exiſtimabant, id fieri per incantationes: quibus qui vtuntur, non ſolùm *incantatores* & *malefici Deut. 18. 11.* & *magi Deut. 5. 11.* ſed etiam *diuini* vocantur *Deut. 18. 11. Iſa. 8. 19.* & alibi paſſim. Hic primus fons eſt magiæ, vt plus, quàm homo, poſſe videaris. Sed vel à Deo hoc ipſo iſti tales puniuntur, quo ſeducuntur. Nihil enim vilius, nihil abiectius eſt ijs, qui dæmonis mancipia eſſe voluerunt.

V. Fons alter eſt magiæ curioſitas, à qua, teſte S. Auguſtino *l. 10. de ciuit. c. 9. & 18. c. 19.* deſiderium ſuccreſcit magicarum artium condiſcendarum. Verè ita eſt. Nam & Lucas *Act.*

19.

19.10. eos, qui magicos libros combuſſerant coram omnibus, diſertè ſcribit, *curioſa fuiſſe ſectatos*. Itaque rectè monet S. Spiritus *Eccl. 3. 22. In pluribus operibus Dei, non eris curioſus: plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt ibi. Multos enim ſupplantauit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum.* Comburantur ergo libri, & cum libris magicis ipſi magi, ne ſuperbia, atque curioſitate ipſi alios faciant æternis ignibus comburi.

4. Reg. 1. Ochoziæ regi, ob conſultũ Beelzebub Accaronenſis Dei oraculũ, mortẽ prædixit Elias. Saul *1. Reg. 28.* qui priùs abſtulerat magos, & ariolos de terra, & interfecerat eos, qui pythones habebant in ventre, ab hoſtibus concitatus, pythoniſſam conſuluit, poſtridiéq; eius diei, in peccatis ſuis moriturus, in gladium ſuum incubuit. Tales ſecum habere amabat Pharao, vt Moyſi negocium faceſſerent. Nolebat, apud Æn. Syluium *lib. 4. de Alphonſo c. 3.* Alphonſus rex hos tales tolerare, alioqui in omne hominum genus munificus ac liberalis. Cuius rei rationem reddebat non nemo iſtam: *ſidera ſtultos regunt impelluntq́;, ſapientes verò aſtris imperant.* Rectiùs dixiſſet Tartara, quàm ſidera eſſe, quæ ſic ſtultos regant. Tam ergo ſtolidè, quàm impiè agunt, qui, Pharaonis more, in aulis patiuntur, aut ſecum magos, fatidicos, præſtigia- VI.

tores

tores, & ſimiles anguini *oui* fætus circumducunt; hoſti enim ſuo capitaliſſimo, hoc eſt, ipſi cacodæmoni ſe credunt regendos: cuius non multum intereſt, per ſuoſne, an per ſe, aliquem regat, ac poſſideat. At fortaſſe animi tantùm cauſſa tales habentur, nec tam ad ſuperſtitionem, quàm ad curioſitatem circumducuntur? Pulchra oblectatio, ſi, animi cauſſa, anima pereat!

O miſeri, quorum gaudia crimen habent!

Ovo-

Ovorum partus magicus iuſtitiam excitat dormientem.

EMBLEMA LVIII.

PLVS SCIT, QVÆ TALEM SCIT NOBIS PINSERE PANEM.



FAbulæ quid non audent? magis mira narrant, quàm *Si mulier vitulum, vel ſi bos ederet agnum*. Immo etiam fingunt feminas, quæ *oua* pepererint, more gallinarum. Nam *Selenitides*, ſiue *Lunares* feminas Herodorus Heracleotes teſtatur *ouiparas* extitiſſe, excluſoſque fætus πεντεκαιδεκαπλασίονας ἡμῶν εἶναι, *quindecuplo nobis proceriores eſſe*. Nempe quando è feminis *oua* prodeunt, prodeunt ex *ouis* gigantes. Supra *Embl. 1*. vidimus, *Chronum*, ſiue *Herculem ouiparum*, ſed tam immenſæ magnitudinis erat il- 1.

lud

lud *ouum*, vt fidem excederet, & meritò fabulis annumeraretur. Nunc omittam fabulas, & hiſtoriam ex tripode afferam, veriſſimam, ac recentem; ſed admirabilitate ſua, cuiuis ferè fabulæ parem.

II. Vix anni ſeni fluxêre, cum Bonna à fide digniſſimo viro ſcriptum, & relatum eſt Ingolſtadij litteris, quas ipſe vidi, legi; captam in ea prouinciâ, & in vincula datam veneficam, & verò etiam ſupplicio affectam, flammiſque rogalibus luſtratam, quæ, velut ſorex, ſuo ſe indicio prodiderit, in hunc modum. Vicinam habebat, non admodum opulentam. Ea ſe, inter ceteros ruſticos lucrandi modos, etiam gallinarum nutricatione, venditionéq; *ouorum* ſuſtentare ſolebat. Sed, quæ eſt inuidia, aut hominis, aut dæmonis, aliquando malis artibus factum eſt, vt gallinæ omnes, præter morem, parere ceſſarent, non hyemis rigore, ſed faſcino ſteriles & concluſæ. Hoc vbi ſimplex femina aduertit, damno doloríq; ſuo conſilium pariter remediúmque à vicinâ petiuit. Hæc buſto matura, redire afflictam poſtero juſſit; enimuerò dixit ſe remedium præſentiſſimum in diem ſequentem paraturam.

III. Vbi diluxit, illa redijt, nec aliud quidquam à vicina ſua, quàm panis haud exiguum fruſtum accepit. Eum panem micatim juſſa eſt gallinis ceſſatricibus obſipare. Accepit panem mulier,

er, & gratias immortales reddidit , etiam *ouorum* non contemnendum numerum donatura, ſi ars, immo caſus non fefelliſſet. Poſtquam domum eſt reuerſa, neſcio, quonam repentè negocio incidente, in granarium aſcendit, fruſto panis interea temerè depoſito, ac in menſa relicto. Dum abeſt, ingreditur in hypocauſtum ſeruus araneante ſtomacho famelicus, pater eſuritionum: qui occaſione vtendum ratus, vice jentaculi, vtraque manu inuolat in panem, vires roboraturus antè, quàm cum equis & aratro ad agrum colendum exiret. Bonam jam partem detruncârat panis , cum ſenſit heram per gradus deſcendere. Maturè ergo ſe ſubduxit, parte reliqua & vltima panis menſę reddita. Sed non diu latuit furtum. Quanquam alia id eſt ratione, quàm ficus Æſopicæ, proditum. Cæpit enim illico tumultuari illi venter, & murmurare inteſtina, pellíſque laterum tendi, in morem tympani. Veritus eſt miſellus, ne extemporaneo hydrope intumuiſſet. Sed paulo poſt morbum ſuum ipſe riſit animaduertens, ſe identidem de ruſtico gallinam factum, & oua moliri, enimuerò etiam bono numero parerere. Quibus omnibus egeſtis, extemplo ſenſit, ſe conualuiſſe.

IV. Id quàm primùm reſciuit hera, reſciuit vicinia, pagus, prouincia, magiſtratus; qui non dubitauit, tam prodigioſæ artis auctorem compre-

pre-

prehendere, ac de grauioribus examinare. Examinata ab *ouo* vſque ad hircum; inde vſque ad rogum eſt deducta. Simile quid, conſtanti famâ, narratur, in Franconiâ contigiſſe, niſi, quòd hîc artificem & *ouificum* panem non ſeruulus aliquis, ſed canis ſuperueniens degularit, cuius virtute (an vitio?) fertur centum & triginta *oua*, prodigioſiſſimo partu, enixus eſſe.

V. Non diſputo, an, aut quomodo vera *oua*, de non vera gallina prodierint? Ea eſt celeritas dæmonis, vt omnem oculi ictum anteuertens, nemine aduertente, poſſit cambium facere, & *oua* ſubſtituere. Ea calliditas, vt etiam ipſis humanis inteſtinis ea valeat inſinuare. Quo pacto quàm mirabilia ſæpe videmus ex humano corpore educi? crinium globos, aciculas, vitrorum fragmina, cultros vetuſtos, pectines; & neſcio quid non. Sed hæc, vt dixi, non diſputo.

VI. Illud moneo, non temerè in eiuſcemodi caſibus quoſuis, aut quaſuis eſſe conſulendas. *Hominibus iſtis*, ait S. Auguſtin. *ſerm. 160. de Tempore, vt fieri ſolet, caput dolebit. Dicturus eſt tibi vicinus tuus, aut vicina: Eſt hic incantator, eſt hîc remediator, & neſcio vbi Mathematicus. Tu dicis: Chriſtianus ſum, non licet mihi. Et ſi ille dixerit tibi, quare? Nonne ego Chriſtianus ſum? Tu dicturus es; ſed ego fidelis ſum: Et ille tibi. Et ego Baptizatus ſum. Fiunt Angeli diaboli, membra*

Chriſti

Chriſti: quia ipſum poſſidet inimicus, trahere quærit, & alium. Voluit fortaſſe & illa Canidia, non tam gallinas facere fæcundas, quàm vicinam allicere, ad eaſdem Magicas artes perdiſcendas. Et ſeruus, præter opinionem ac voluntatem tam heræ, quàm magæ, in panem, *ouiferum* incidens oſtendit, ſæpe alijs veneficia obuenire, quàm quibus deſtinentur.

Denique vt vellem nullas eſſe magæ iſtius imitatrices, ita ex animo cuperem, omnes Magiſtratus fieri huius Magiſtratus imitatores, & euidentia veneficiorum indicia tam ſpiſsè non diſſimulare; ſed inquirere, ſed punire, ne ipſi à Deo puniantur, tanquam fautores diaboli, & tot flagitiorum permiſſores. Quibus non ignota eſt lex diuina: *Maleficos non patieris viuere. Exod. 22. 18.* Quod ſi ergo patiuntur hoc genus hominũ viuere, meritò Deus ipſos non patitur viuere, ſed famem, peſtem, bellum immittit, vt pariter è medio tollat & veneficos, & veneficorum patronos. VII.

Non excuſantur, quòd ſit crimen hoc occultum, cum toties, & in tam manifeſta erumpat argumenta. Nec eos defendit reſpectus conſanguineorum, & amicorum; ſed conuincit. Si enim ſciunt vel proprias ſuas vxores eſſe eiuſcemodi Nymphas diaboli, non ſolùm iniuſti ſunt, ſed etiam lenones, vt qui diabolum pa- VIII.

Y tian-

tiantur ſuum eſſe riualem. Si verò ignorant, & tamen metuunt; quo modo diligunt, de quibus tanta crimina ſuſpicantur? aut ſi non ſuſpicantur, cur metuunt? cur à iuſtitia abhorrent? Si nihil metuunt, cur non metunt hanc ſegetem? Videant ergo ipſæ quoque horum vxores, nihili faciendos iſtos maritos, à quibus ſincerè diligi non poſſunt; aut qui ipſi digni non ſint, vt diligantur. Nam coniuges ſuas vel ſuſpectas, & ideò exoſas; vel, quod deterius eſt, cum cacodæmone communes habere ſuſtinent: quæ non eſt patientia, ſed dementia, & inſanus, amoréque indignus amor vxorum. A quibus quotidie exitium expectare ac timere neceſſe eſt, eas diligant? aut illæ eos diligant maritos, in quorum opinione, intelligunt ſe pro talibus haberi? & tamen vel præ ſtupore, vel præ furore amari? quod ex animo fieri, vix ſibi vnquam perſuadebunt. *Oua* diaboli tales faſtidiunt, cur ament gallinas diaboli? Certè à viro, cui vel ſtilla eſt generoſitatis, quamuis Saguntina fame prematur, tamen


Talibus oua Magi ſi gignant artibus; ipſi
Oua iubebuntur, quæ faciunt, edere.

Ova

Ova à laruatis ſparſa, latenti ſuperſtitionum peſti ſimilia.

EMBLEMA LIX.

HEV QVALE MONSTRVM, QVOD LARVA EST TEGENDVM?



Ecce ouum arte nouâ paritur, pariente ſagittâ:
Sed caue gallinam, non parit oua, iacit.

C*Vm laruis* olim *luctari* dicebantur, qui 1.
defunctos inſectarentur maledictis: hodie in multis Italiæ, Galliæ, Germaniæque locis, cum laruis ipſæ laruæ, eæque viuæ cum viuis pugnant, atque ludendo illudunt. Mos eſt enim Bacchanalia agitare, non in menſis tantùm & poculis, ſed etiam in equis & plateis: Illuc perſonati eunt, currunt, equitant, & vm-

Digitized by Google

braticam quandam pugnam exercent, non iam florum, ſed *ouorum* iaculo petentes eas, quæ de feneſtris curioſæ ſunt puellæ. Sagitta neruo arcus alligata, ne excuſſa euolet fugiátque longiter, in ſummo, cuſpidis vice, palam habet, cui inſeritur *ouum*, quod ſolùm prouolat excutitúrque, expulsâ, ſed illico retentâ ſagittâ. *Ouum* igitur, quaſi tormento eiectũ, pro glande plumbea eſt. Hoc iaculo feneſtræ ſonant laceratæ, & non rarò etiam feriuntur frontes puellarum. Quæ ne refugiant, & declinent dolum venientem, *oua* nonnulla haud illepidè parantur, vitello & albo extracto, atque in teſtam vacuam odorifera de roſis, vel aromatis, aqua inducta; vt vbi impegerint ruptáque fuerint, mirifica hominibus fragrantia blandiantur.

II. Eleganter, more ſuo, Puteanus *or. 20.* rem totam deſcribit in hunc modum. *Efflari medulla anguſtiſſimis foraminibus ſolet, florum ſuccus infundi; teſta verò nunc emblemate ornatur, nunc lineis obducitur, nunc ſtellis ſpargitur. Putes ouum in gemmam conuerſum, & ſic vacuum precioſius eſſe pleno. Hæc munera in ſinum dominæ amator mittit, hæc miſſilia in populum ſpargit. Alius blando iactu feneſtras petit, alius parietes flagellat, alius limina ſalutat: quamcunque formam quisque dignam putat ouo. Suauis hæc, & interdum ſereno cælo, tempeſtas eſt. Quid dicam? Iouis perſonam, vt*

&

& Dij iam laruati ſint, ipſe Bacchus ſumit: grandinem hiberna adhuc manu miſſurus, oua iaculatur, ac iam putares in oua grandinem ſuccreuiſſe. Hic capite, ille pectore, iſte manu ictum excipit, nemo tamen læditur: perluitur, & odorem amat.

Hoc odore poſtquam ineſcati ſunt, qui, aut III.
quæ de feneſtris proſpiciunt, & iam etiam vltro captant *oua* volantia; mutatis repentè armis, pugnatur, nam *oua* vera, ſed vetuſta ac tetrùm fœtentia proijciuntur: quæ vbicunque fuerint illiſa, Auernalis cuiuſdam Mephitis veſtigia relinquunt, peſtémque naribus faciunt. Tum demum animaduertitur, quid ſit *cum laruis pugnare.*

Quid dicam? *ecce peccatores intenderunt ar-* IV.
cum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde. Pſal. 10. 2. Nullus tam eſt peccator, quàm diabolus, qui ſemper peccat, atque etiam, dum bona ſuadere videtur, malè ſuadet, quia malâ mente. Hic peccator ſemper in vulnus noſtrum, inque perniciem arcum habet intentum, paratáſque, ſeu cupidinis, ſeu mortis, ſagittas. Multos percutit *in obſcuro*, & ignorantes; multos in aprico, & in ipſo ſole vulnerat ſcientes volentéſque. Qua de cauſſa *Pſ. 90. 5.* cauere iubemur (*ſcuto veritatis*) *à ſagitta volante in die.*

Sed inprimis decipit laruatus iaculator, *oua* V.

ſpargens cinnameo odore plena, dum *ſacra nomina*, dum *cereos*, dum *res benedictas*, dum ipſam *crucem* ſacroſanctam iubet ad vaniſſimas ſuperſtitiones adhiberi. Quis dæmonem crederet talia ſuadere? quid mali poteſt ſubeſſe, ſub tantis bonis? Et tamen quoties ſe abſcondit ſub hac larua ſtygius inſidiator? Neq; *oua* hæc bono odore imbuta diu, aut ſemper vibrat. Citò ab his declinat, ad apertos fœtores, atque ad illa *oua*, quæ in multis locis, certis anni diebus, ſuperſtitioſiſſima puellarum gens, ſibi in capite eliſa, & in aquam infuſa, velut ſpeculum inſpicit, viſura nimirum futuri ſui mariti vultum ſpeciémque. Quaſi in *ouo* ſit vis diuinandi, immo monſtrandi ea, quæ ſunt euentura. Quàm fœdè *ouis* maculantur iſtæ? Quibus iam dudum, vt veteres loquebantur, *firemſe in lege*, dictum eſt: *non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos, ego Dominus Deus veſter. Leuit. 19.31.* Et *Deut. 18.10. Non inueniatur in te, qui ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia atque auguria, nec ſit maleficus, neque incantator, nec qui Pythones conſulat, nec diuinos, aut quærat à mortuis veritatem.*

VI. Satis hæc *oua* fugere deberet, qui agnoſcit, ea eſſe ab hoſte humani generis profecta, quamuis ſub larua lateat. Quam illi detrahit S. Cyprianus de *idol. vanit.* his verbis: *Horum omniũ*

ratio

ratio eſt illa, quæ fallit & decipit, & præſtigijs caecantibus veritatem, ſtultum & prodigum vulgus inducit. Spiritus inſinceri & vagi, qui poſteaquam terrenis vitiis immerſi ſunt, & à vigore cæleſti terreno contagio receſſerunt, non deſinunt perditi perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere. Et infrà, *Hi ergo ſpiritus ſub ſtatuis atque imaginibus conſecratis deliteſcunt, hi afflatu ſuo, vatum pectora inſpirant, extorum vibras animant, auium volatus gubernant. Sortes regunt, oracula efficiunt, falſa veris ſemper inuoluunt: nam & falluntur, & fallunt: vitam turbant, ſomnos inquietant, irrepentes etiam in corporibus occultè mentes terrent, membra diſtorquent, valetudinem frangunt, morbos laceſſunt, vt ad cultum ſui cogant: nec aliud illis ſtudium eſt, quàm à Deo homines auocare, & ad ſuperſtitionem ſui ab intellectu veræ religionis auertere: cum ſint ipſi pœnales, quærere ſibi ad pœnam comites, quos ad crimen ſuum fecerint errore participes.*

Eò vſque progreditur ſuperſtitionis inſania, ut iam nihil intactum relinquat, aut incontaminatum. Quare & ipſis *ouis*, eorumque nunc ſucco, nunc cortice vtitur, in malarum artium inſtrumentum. Ridentur gallinæ, quarum ſtoliditas libentiùs parit, cum iam priùs *ouum* in nido conſpiciunt, quamuis ligneum, vel marmoreum, aut ex alio lapide candido effictum. VII.

Rideatur potiùs hominum dementia, quæ non modò ſubinanibus, aut ſimulatis, mentientibuſque, ſed etiam ſuperſtitioſis, ſed è Proſerpinæ, & Hecates calatho petitis *ouis* ſe ipſam fruſtratur. Maior enim ſtultitia eſt, rem ad cænandũ factam, adhibere ad peccandum; quàm ligneum, aut lapideum *ouum* pro vero aſpicere; luculentior inſania eſt, res ſacras in inſtrumenta diabolorum conuertere, quàm vice *oui*, ſaxum velle excludere.

Non eſt, fallimini, ſacrata non eſt,
Non eſt, ô vetulæ, ſacrata quæuis
Ars, quæ res adhibere ſcit ſacratas.

Digitized by Google

Ovo deluſis ſimiles, qui diabolo credunt, vel de aſtris, vel aliunde magna pollicenti.

EMBLEMA LX.

QVOD NON EXPECTAS, HABEBIS.



AGyrtæ, qui vel præſtigijs, vel agilitate ludos faciunt, vt faciant lucrum, in circulis perſæpe hominem ſtatuunt vel ruſticum, vel alium quempiam, qui Solonis parum, Salomonis nihil habet. Ei cum perſuadent, vt hiante ore dentes oſtendat, ſuóne numero, aut ſanitate conſtent; vel vt monſtret, ſe inibi nihil abſcondiſſe, mira quadam celeritate *ouum* inſinuant, inq; ipſo rictu confringunt, vt deridiculo habeant. Quod & in aulis faciunt illi, qui- 1.

 bus

inuehitur, & mathematicos egregiè perſtringit. Lib. 2. de doct. Chriſti c. 21. 22. & 23. *quos, dum ex ſtellarum poſitione actiones noſtras, vel actionum euenta prædicere conantur, nimium errare dicit, & vendere imperitis hominibus miſerabilem ſeruitutem: immo eiuſmodi prædictionem, magnam dementiam vocat. Quod autem non rarò eueniant, quæ ab ipſis Aſtrologis prædicuntur, eius cauſſam idem vir ſanctiſſimus exprimit his verbis: illuſionibus & deceptionibus præuaricatorum Angelorum euenit, vt iſtis ſuperſtitioſis & pernicioſis diuinationum generibus multa præterita & futura dicantur, nec aliter accidant, quàm dicuntur, multaq́ obſeruantibus ſecundùm obſeruationes ſuas eueniant, quibus implicati curioſiores fiant, & ſeſe magis magisq́ inſerant multiplicibus laqueis pernicioſiſsimi erroris &c.*

IV. *Verùm ad Muleaſſem reuertamur. Dum Neapoli moraretur, vbi eum Cæſar juſsit ſubſiſtere poſt Niceæ arcem fruſtrà à Barbaruſſa oppugnatam, certis ex Africa nunciis didicit, Amidam filium, ipſius amicis & præfectis trucidatis, Tunetum & arcem occupâſſe. Ea re vehementer perturbatus, militem conſcribit, magna celeritate, confluuntq́ breui ad eum mille & octingenti homines, iiſq́ nauibus impoſitis, Guletam proficiſcitur. Sperabat enim ſe filium nondum confirmatis viribus facilè oppreſſurum, nec prorex Petrus Toletanus eius conſilia improbabat.*

bat. Amidam filium quidam proceres corruperant, excitatis vaniſſimis rumoribus, Muleaſſem Neapoli diſceſſiſſe è vita, & per ſummum ſcelus ante obitum Chriſtiana religione initiatum eſſe. Amida his rumoribus, & procerum conſiliis permotus, Tunetum ſe confert, ſed inde tunc excedere compulſus eſt, quòd Tunetani de Muleaſſis morte nihil comperti haberent. Hæret interim in hortis Martiis, & rurſus oblata ab inſperato occaſione, à Tunetanis quibuſdam euocatus, qui Muleaſſem odiſſent, Tunetum reuertitur, aliquot ipſi aduerſos perimit, & in arcem ſe recipit, paruo momento vrbe, arce & regno potitus. His de cauſſis, vt diximus, Muleaſſes conſcriptis tumultuariys copiis in Africam traiecit.

Vbi Guletam venit, à Franciſco Touarre Cæſaris præfecto admonetur, ne cum tam parua manu Tunetum adeat, niſi Tunetanorum ciuium animos priùs habeat exploratos. At illum facilè fefellerunt proceres quidam Afri ex vrbe progreſſi, qui gladiis iugulo admotis, more gentis, fidei militaris ſacramentum ei dicunt, Amidamq́; ipſo conſpectu celeriter vrbe exceſſurum confirmant. Mox ille, plurimùm deterrente Touarre, Tunetum pergit, & in itinere rurſus ab Hiſpanis equitibus à Touarre miſſis admonitus, vt ſibi ab inſidiis, quæ iuxta vrbem eſſent, caueret, in propoſito perſeuerat. Vbi autem ad vrbem propiùs acceſſit, erumpentibus tum ex vrbe, tum ex oliuetis Afris, ex eius exercitu periêre ſupra V.

mille

braticam quandam pugnam exercent, non iam florum, ſed *ouorum* iaculo petentes eas, quæ de feneſtris curioſæ ſunt puellæ. Sagitta neruo arcus alligata, ne excuſſa euolet fugiátque longiter, in ſummo, cuſpidis vice, palam habet, cui inſeritur *ouum*, quod ſolùm prouolat excutitúrque, expulsâ, ſed illico retentâ ſagittâ. *Ouum* igitur, quaſi tormento eiectū, pro glande plumbea eſt. Hoc iaculo feneſtræ ſonant laceratæ, & non raro etiam feriuntur frontes puellarum. Quæ ne refugiant, & declinent dolum venientem, *oua* nonnulla haud illepidè parantur, vitello & albo extracto, atque in teſtam vacuam odorifera de roſis, vel aromatis, aqua inducta; vt vbi impegerint ruptáque fuerint, mirifica hominibus fragrantia blandiantur.

II. Eleganter, more ſuo, Puteanus *or. 20.* rem totam deſcribit in hunc modum. *Efflari medulla anguſtiſſimis foraminibus ſolet, florum ſuccus infundi; teſta verò nunc emblemate ornatur, nunc lineis obducitur, nunc ſtellis ſpargitur. Putes ouum in gemmam conuerſum, & ſic vacuum precioſius eſſe pleno. Hæc munera in ſinum dominæ amator mittit, hæc miſſilia in populum ſpargit. Alius blando iactu feneſtras petit, alius parietes flagellat, alius limina ſalutat: quamcunque formam quisque dignam putat ouo. Suauis hæc, & interdum ſereno cœlo, tempeſtas eſt. Quid dicam? Iouis perſonam, vt*

&

Digitized by Google

& Dij iam laruati ſint, ipſe Bacchus ſumit: grandinem hiberna adhuc manu miſſurus, oua iaculatur, ac iam putares in oua grandinem ſuccreuiſſe. Hic capite, ille pectore, iſte manu ictum excipit, nemo tamen læditur: perluitur, & odorem amat.

Hoc odore poſtquam ineſcati ſunt, qui, aut quæ de feneſtris proſpiciunt, & iam etiam vltro captant *oua* volantia; mutatis repentè armis, pugnatur, nam *oua* vera, ſed vetuſta ac tetrùm fœtentia proijciuntur: quæ vbicunque fuerint illiſa, Auernalis cuiuſdam Mephitis veſtigia relinquunt, peſtémque naribus faciunt. Tum demum animaduertitur, quid ſit *cum laruis pugnare.* III.

Quid dicam? *ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde. Pſal. 10. 2.* Nullus tam eſt peccator, quàm diabolus, qui ſemper peccat, atque etiam, dum bona ſuadere videtur, malè ſuadet, quia malâ mente. Hic peccator ſemper in vulnus noſtrum, inque perniciem arcum habet intentum, paratáſque, ſeu cupidinis, ſeu mortis, ſagittas. Multos percutit *in obſcuro*, & ignorantes; multos in aprico, & in ipſo ſole vulnerat ſcientes volentéſque. Qua de cauſſa *Pſ. 90. 5.* cauere iubemur (*ſcuto veritatis*) *à ſagitta volante in die.* IV.

Sed inprimis decipit laruatus iaculator, *oua* V.

ſpargens cinnameo odore plena, dum *ſacra nomina*, dum *cereos*, dum *res benedictas*, dum ipſam *crucem* ſacroſanctam iubet ad vaniſſimas ſuperſtitiones adhiberi. Quis dæmonem crederet talia ſuadere? quid mali poteſt ſubeſſe, ſub tantis bonis? Et tamen quoties ſe abſcondit ſub hac larua ſtygius inſidiator? Neq; *oua* hæc bono odore imbuta diu, aut ſemper vibrat. Citò ab his declinat, ad apertos fœtores, atque ad illa *oua*, quæ in multis locis, certis anni diebus, ſuperſtitioſiſſima puellarum gens, ſibi in capite eliſa, & in aquam infuſa, velut ſpeculum inſpicit, viſura nimirum futuri ſui mariti vultum ſpeciémque. Quaſi in *ouo* ſit vis diuinandi, immo monſtrandi ea, quæ ſunt euentura. Quàm fœdè *ouis* maculantur iſtæ? Quibus iam dudum, vt veteres loquebantur, *ſiremſe in lege*, dictum eſt: *non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos, ego Dominus Deus veſter. Leuit. 19. 31.* Et *Deut. 18. 10. Non inueniatur in te, qui ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia atque auguria, nec ſit maleficus, neque incantator, nec qui Pythones conſulat, nec diuinos, aut quærat à mortuis veritatem.*

VI. Satis hæc *oua* fugere deberet, qui agnoſcit, ea eſſe ab hoſte humani generis profecta, quamuis ſub larua lateat. Quam illi detrahit S. Cyprianus de *idol. vanit.* his verbis: *Horum omniũ*

ratio

ratio eſt illa, quæ fallit & decipit, & præſtigijs cæcantibus veritatem, ſtultum & prodigum vulgus inducit. Spiritus inſinceri & vagi, qui poſteaquam terrenis vitiis immerſi ſunt, & à vigore cæleſti terreno contagio receſſerunt, non deſinunt perditi perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere. Et infrà, *Hi ergo ſpiritus ſub ſtatuis atque imaginibus conſecratis deliteſcunt, hi afflatu ſuo, vatum pectora inſpirant, extorum vibras animant, auium volatus gubernant. Sortes regunt, oracula efficiunt, falſa veris ſemper inuoluunt: nam & falluntur, & fallunt: vitam turbant, ſomnos inquietant, irrepentes etiam in corporibus occultè mentes terrent, membra diſtorquent, valetudinem frangunt, morbos laceſſunt, vt ad cultum ſui cogant: nec aliud illis ſtudium eſt, quàm à Deo homines auocare, & ad ſuperſtitionem ſui ab intellectu veræ religionis auertere: cum ſint ipſi pœnales, quærere ſibi ad pœnam comites, quos ad crimen ſuum fecerint errore participes.*

Eò vſque progreditur ſuperſtitionis inſania, VII. vt iam nihil intactum relinquat, aut incontaminatum. Quare & ipſis *ouis*, eorumque nunc ſucco, nunc cortice vtitur, in malarum artium inſtrumentum. Ridentur gallinæ, quarum ſtoliditas libentiùs parit, cum iam priùs *ouum* in nido conſpiciunt, quamuis ligneum, vel marmoreum, aut ex alio lapide candido effictum.

Rideatur potiùs hominum dementia, quæ non modò ſubinanibus, aut ſimulatis, mentientibuſque, ſed etiam ſuperſtitioſis, ſed è Proſerpinæ, & Hecates calatho petitis *ouis* ſe ipſam fruſtratur. Maior enim ſtultitia eſt, rem ad cænandũ factam, adhibere ad peccandum; quàm ligneum, aut lapideum *ouum* pro vero aſpicere; luculentior inſania eſt, res ſacras in inſtrumenta diabolorum conuertere, quàm vice *oui*, ſaxum velle excludere.

Non eſt, fallimini, ſacrata non eſt,
Non eſt, ô vetulæ, ſacrata quæuis
Ars, quæ res adhibere ſcit ſacratas.

Ova

Digitized by Google

Ovo deluſis ſimiles, qui diabolo cre-
dunt, vel de aſtris, vel aliunde magna
pollicenti.

EMBLEMA LX.

QVOD NON EXPECTAS, HA-
BEBIS.



AGyrtæ, qui vel præſtigijs, vel agilitate ludos faciunt, vt faciant lucrum, in circulis perſæpe hominem ſtatuunt vel ruſticum, vel alium quempiam, qui Solonis parum, Salomonis nihil habet. Ei cum perſuadent, vt hiante ore dentes oſtendat, ſuóne numero, aut ſanitate conſtent; vel vt monſtret, ſe inibi nihil abſcondiſſe; mira quadam celeritate *ouum* inſinuant, inq́; ipſo rictu confringunt, vt deridiculo habeant. Quod & in aulis faciunt illi, qui- 1.

bus, inter equorum ſtrigiles, in ſtabulis, libet jocari: nam *ouum* putiſcens, monſtrato & promiſſo pomo, in ſaccum, aut ſinum inijciunt, atque inibi, per ſpeciem palpantis ac blandientis, confringunt. Socios ergo ijs poppiſmis adorant, vt ſi efflictim amarent. Nec verò quidquam eſt facilius quàm fallere adulando.

II. Talis præſtigiator, circulator, & ſtabularius eſt ille, qui *circuit quærens, quem deuoret. 1. Pet. 5.* Aliud agit, dum aliud promittit; & plerumque eos riſui exponit, quos largiſſimis pollicitationibus ſuſpendit, & tanquam hiantes coruos decipit, bolo non expectato. Eiuſcemodi fraudes etiam ab Ethnicis deprehenſas S. Cyprianus *de idol. van.* in hunc modum refert. *Regulus auſpicia ſeruauit, & captus eſt; & Mancinus religionem tenuit, & ſub jugum miſſus eſt. Et pullos edaces Paulus habuit, & apud Cannas tamen cæſus eſt. C. Cæſar, ne ante brumam in Africam nauigia transmitteret, augurijs, & auſpiciis retinentibus, ſpreuit, & eò faciliùs nauigauit, & vicit.* Scilicet vt nemo circumforaneo ludificanti ſapiens ſe credit, ita rectè iſta ſpernuntur, quæ ab Acherontico circitore ortum habent; neque vtilia eſſe poſſunt, cum ſint ab hoſte tali. *Non immeritò* ait S. Auguſtin. *l. 5. de Ciuit. c. 7. creditur, cum aſtrologi* (judiciarij) *mirabiliter multa vera reſpondent, occulto inſtinctu fieri ſpirituum non bonorum:*

Digitized by Google

rum: quorum cura eſt, has falſas & noxias opinione de aſtralibus fatis inſerere humanis mentibus, atque firmare, non horoſcopi notati & inſpecti aliqua arte, quæ nulla eſt, ſed nocendi voluntate. Et quia nihil pronius eſt diabolo, quàm mentiri & fallere, agyrtam agit, hiantéſque eludit, ſpe illorum, velut *ouo*, fracta, atque in ludibrium & damnum credulorum verſa.

Laurentius Surius *Comment. rer. in orbe geſtar. An. 1544.* de Muleaſſe Tunetano rege hæc, inter cetera habet. *Fuit ille rex ſuperſtitioni Machometanæ addictus, & aſtrorum obſeruator, quæ res ei certiſſimum exitium attulit. Viſum enim ipſi fuit ex fatali, vt putabat, aſtrorum influxu, amittendi regni, & diræ mortis cladem ſibi impendere. Eo partim nomine diſceſſit ex Africa, ſed eo ipſo diſceſſu cladem, quam euitare voluit, in ſuas ceruices acciuit. Atque vtinam vel Chriſtiani tandem diſcerent, vaniſſimam eam eſſe, quæ ex aſtris petitur, rerum futurarum, immo & ſuperſtitioſam, atque ideò illicitam diuinationem. Scilicet liberum hominis arbitrium Deus aſtris ſubiacere voluit, quæ in hominũ miniſteria condita ſunt. An non ſcriptura euidentiſſimè dicit, juxta vias gentium nolite diſcere, &c. à ſignis cæli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ ſunt? Ierem. 10. multis locis diuus Auguſtinus, vt alios prætermittam, in hoc genus ſuperſtitioſæ diuinationis acriter inue-* III.

inuehitur, & mathematicos egregiè perſtringit. Lib. 2. de doct. Chriſti c. 21. 22. & 23. *quos, dum ex ſtellarum poſitione actiones noſtras, vel actionum euenta prædicere conantur, nimium errare dicit, & vendere imperitis hominibus miſerabilem ſeruitutem: immo eiuſmodi prædictionem, magnam dementiam vocat. Quod autem non rarò eueniant, quæ ab ipſis Aſtrologis prædicuntur, eius cauſſam idem vir ſanctiſſimus exprimit his verbis: illuſionibus & deceptionibus prauaricatorum Angelorum euenit, vt iſtis ſuperſtitioſis & pernicioſis diuinationum generibus multa præterita & futura dicantur, nec aliter accidant, quàm dicuntur, multaq; obſeruantibus ſecundùm obſeruationes ſuas eueniant, quibus implicati curioſiores fiant, & ſeſe magis magiſq; inſerant multiplicibus laqueis pernicioſiſsimi erroris &c.*

IV. *Verùm ad Muleaſſem reuertamur. Dum Neapoli moraretur, vbi eum Cæſar juſsit ſubſiſtere poſt Niceæ arcem fruſtrà à Barbaruſſa oppugnatam, certis ex Africa nunciis didicit, Amidam filium, ipſius amicis & præfectis trucidatis, Tunetum & arcem occupâſſe. Ea re vehementer perturbatus, militem conſcribit, magna celeritate, confluuntq; breui ad eum mille & octingenti homines, iiſq; nauibus impoſitis, Guletam proficiſcitur. Sperabat enim ſe filium nondum confirmatis viribus facilè oppreſſurum, nec prorex Petrus Toletanus eius conſilia improbabat.*

bat. Amidam filium quidam proceres corruperant, excitatis vaniſſimis rumoribus, Muleaſſem Neapoli diſceſſiſſe è vita, & per ſummum ſcelus ante obitum Chriſtiana religione initiatum eſſe. Amida his rumoribus, & procerum conſiliis permotus, Tunetum ſe confert, ſed inde tunc excedere compulſus eſt, quòd Tunetani de Muleaſsis morte nihil comperti haberent. Hæret interim in hortis Martiis, & rurſus oblata ab inſperato occaſione, à Tunetanis quibusdam euocatus, qui Muleaſſem odiſſent, Tunetum reuertitur, aliquot ipſi aduerſos perimit, & in arcem ſe recipit, paruo momento vrbe, arce & regno potitus. His de cauſsis, vt diximus, Muleaſſes conſcriptis tumultuariis copiis in Africam traiecit.

V. *Vbi Guletam venit, à Franciſco Touarre Cæſaris præfecto admonetur, ne cum tam parua manu Tunetum adeat, niſi Tunetanorum ciuium animos priùs habeat exploratos. At illum facilè fefellerunt proceres quidam Afri ex vrbe progreſsi, qui gladiis iugulo admotis, more gentis, fidei militaris ſacramentum ei dicunt, Amidamq́; ipſo conſpectu celeriter vrbe exceſſurum confirmant. Mox ille, plurimùm deterrente Touarre, Tunetum pergit, & in itinere rurſus ab Hiſpanis equitibus à Touarre miſsis admonitus, vt ſibi ab inſidiis, quæ iuxta vrbem eſſent, caueret, in propoſito perſeuerat. Vbi autem ad vrbem propiùs acceſsit, erumpentibus tum ex vrbe, tum ex oliuetis Afris, ex eius exercitu periêre ſupra*

mille

mille & treccenti, & ipſe Muleaſſes fugiens, nulla re alia magis quàm vnguentorum odore ab hoſtibus agnitus & captus eſt. Eum ad ſe adductum, Amida filius vtroque orbatum lumine crudeliter excæcat, candenti ſcalpello procißa vtriuſque oculi pupilla. Idem pertulêre duo Amidæ fratres, cum Muleaſſe capti, Nahaſer & Abdalas. Hæc Surius. Ex qua vel vnica hiſtoria, ab eodem copioſiùs adhuc continuata, perſpicuum fit, quàm miſerè non jam *oua*, ſed ſpes ingentes frangat ſtygius ille promiſſor, per ipſa aſtra, ad tartara ducens ſuos admiratores, quod planè miſerum genus eſt pereundi. Alij terrenis rebus grauantur, & ad exitium trahuntur; iſti dum cæleſtia tractant, fiunt ſceleſti, cælúmque amittunt cælo inhiantes.

Quæ deceptio maior eſſe poſſet?
Per cælum Aſtrologi ruunt ad Orcum,
Et per SIDERA *Tartarum merentur:*
Quis non diceret, eſſe SIDERATOS?

Pec-

Peccati grauis odor, in odore oui perceptus.

EMBLEMA LXI.

HARIOLARE NARIBVS, LICET.



SÆpe *ouum*, quod Agyrta in ore alterius 1. frangit, etiam fœtet, vt odore graui pariter moleſtet, ac liquore contaminet. Horreretur fœtor, non dubiò, ſi ſciretur. Et ſunt, qui hac ſciendi arte polleant. *Illud non vanum*, ait Cardan. *l. 7. de rer. var. c. 39. cocum me agnouiſſe Principis Iſtonij, qui odore ſeligebat oua nuper nata, ab his, quæ iam diu. Ratio diſcriminis clara eſt: olent enim quid grauius, ob ſanguinem & vterum gallinæ. Sed oportet in rebus tenuiſſimis, longa & diligenti obſeruatione, velut in gemmarum dignotione, vti.*

Ita

II. Ita *oua* recentia fœtent, quaſi homo, quem in *peccatis concepit mater* ſua *Pſal. 50.* adhuc vterum olens, & nondum ablutus à peccato originali. Longè autem grauiùs olent *oua* vetuſtate vitiata, præſertim fiſſa; vt planè etiam peccator, ſuis facinoribus corruptus. Cui viſcera contabeſcunt, eius halitus totus fœtet, tantámque mephitim exhalat, vt putes te ab Acheronte, non procul abeſſe, aut à ſtygia, vel Lernæa palude. ô quàm fœtentem animam habet peccator! nihil eâ fœdius, nihil magis abominandum! *Sicut putredo*, inquit S. Bonauentura in Diæta ſalutis *c. 2. aufert pomo decorem, valorem, colorem, odorem, & ſaporem: ſic peccatum aufert animæ decorem vitæ, & odorem famæ, valorem gratiæ, & ſaporem gloriæ.*

III. Narrat Petrus Damianus *ep. 3. ad Blancam Comitiſſam cap. 9.* deteſtabilem è ſplendidiſſimo ſepulchro feminæ nobiliſſimę Sophiæ delicatiùs nutritæ, fœtorem integro anno fuiſſe exhalatum. Sed hoc poſt mortem. In vita quoque non eſt boni odoris impius. Et vide mihi quantus ſit peccatoris fœtor. Refert Cyrillus monachus *in vita S. Euthymij*, fuiſſe aliquando obuiam factum S. Euthymio virum, qui ſola mentis cogitatione turpe aliquid verſaret, & tamen tam Auernalem ſpiritum aurámq; peſtilentem afflaret, vt ille graui odore percuſſus, à dæmone ſe in-

inſeſſum arbitraretur. Hoc vir in viro ſenſit. Fuerunt & feminæ ſagaces. Scribunt Anton. Senenſ. Sur. & Ribaden. *ex Raimundo*, Catharinam Senis natam, vſque adeò pios ab impijs diſtinxiſſe, vt impudicæ ſecum loquentis mulieris horrendum fœtorem tolerare non potis, nares fuerit coacta obturare. Cum verò Raimundus, qui illi à confeſſionibus erat, geſtum hunc admiraretur, reſpondit Catharina, ſe, ni hoc feciſſet, præ nauſea & animæ illius exhalata peſte fœtoreque, fuiſſe vomituram.

Et ſi alium vis cocum *oua* odore diſtinguentem, refert S. Antoninus *4. p. ſummæ tit. 14. c. 6. §. 1.* Angelum aliquando Eremicolæ cuidam viæ ſe comitē, ſpectabili forma adiunxiſſe, alio occurrente adoleſcente precioſiſſimè palliato; cuius veſtes Arabiam, cincinni Palæſtinam, chirothecæ ſeplaſiam, manus balſamum, os cinnameum quiddam ſpirabant. Hîc admirari Eremita, & alterum ſibi Angelum obuium fieri exiſtimare, ac optare, vt totum ſe natura naſum faceret. At Genius cæleſtis, omnia in diuerſum faciebat, oſtendebatque, plerumque *non benè olere, qui benè ſemper oleret*. Nam tam comto puſione prætereunte, nares ſibi vtraq; manu compreſſit obſtruxitque; quod paulò prius, cum putidiſſimū, & graueolentiſſimū cadauer tranſiret, nequaquam fecerat: vbi tamen Eremita arbi- IV.

tratus erat, præ intolerantia fœtoris, ſibi moriendum, certè verò, ſuſpenſo pulmone, animam tantiſper differebat reciprocare, ne tantam narium peſtem vnà attraheret. Miranti igitur illi, & cauſſam cognoſcere deſideranti, teſtatus eſt, longè ſe plus horridi fœtoris ex adoleſcentis iſtius flagitijs, quàm Eremitam è corpore tabido, perſenſiſſe.

V. Et cur non perſenſiſſet hanc peccati abominationem Angelus, cum apud Sur. *16. Nou. c. 19:* in vita S. Edmundi, Edmundus ſæpenumero dixerit, malle ſe in fornacem ardentiſſimam, quàm in vnicum peccatum lethale præcipitem cadere? Et D. Anſelmus apud eund. Sur. *2. April.* dicere ſolebat, non iam in fornacem, ſed in ipſum Inferni barathrum ſe, quàm in peccatum malle præcipitari. Si tantus peccati, apud homines eſt fœtor, quantus erit apud Deum, omnia longè acriùs iudicantem? Et adhuc fœtorem iſtum amamus? immo ſæpe de eo gloriamur?

VI. Ducit hîc fœtor peccati ad fœtorem ſupplicij. Qui quantus ſit, luculentâ hiſtoriâ demonſtrat Thomas Cantiprat. *lib. 1. Apum cap. 7. parag. 3.* Sed quia is auctor in manu eſt, exſcribam aliam *ex Epiſt. Cyrilli, quæ inter opera S. Auguſtini eſt, & geſta à S. Hieronymo ad S. Auguſtinum ſcribit.* Ibi qualiſcunque tandem Cyrillus, etiam hæc habet. *Nepos quidam meus Rufus nomine,*

vtro-

vtroque priuatus parente, anniculus ad meas deuenit manus. Quem tanta diligentia ſuo infortunio enutriui, vt plures eum à me genitum credidiſſent. Creſcens itaque puer ætate, non ſapientia; ingenti pulchritudine corporis, ſed non animæ, probis moribus, elegantia multa ſapientiæ decoratus, à cunctis amabatur. Is igitur XVIII. *ætatis ſuæ anno mortuus eſt, flentibus eum cunctis. At ego nimis eum diligens rogaui glorioſum Hieronymũ, vt quid ei contigerit, mihi reuelaret. Oranti itaque mihi, die quadam, hora nona tantus fœtor adfuit, vt omnino tolerare non poſſem. Cogitans vnde tantus hic fœtor, conſpicio ſupremè infelicem meum nepotem, quaſi catenis igneis religatum, fornacis inſtar flammas fœdiſſimas emittentem. Cum itaque tremebundus interrogare ſæpe diſponerem, nec poſſem, reſumto tandem ſpiritu inquiſiui tremens, ſi ipſe meus nepos eſſet. Heu, inquit, ille, vtinam nunquam fuiſſem, ne tam diris pœnis affligerer, nam æternis ſcias me pœnis deputatum. Poſt longam igitur collationẽ, quæro, quæ cauſſa ſuæ damnationis eſſet, cum tamen in mundo tot virtutibus ſic polleret. Pro nulla alia (inquit) cauſſa, niſi quia ludis delectabar. At quia in morte accepta pœnitentia, quaſi ſtulta ignorantia (vt debebam) nolui confiteri, diuinam non merui veniam adipiſci. Et hoc dicens diſparuit. Poſt quem talis fœtor remanſit, quod nullus locum audebat introire.* Sic fœtent hirci.

VII. Vel ſi nondum nauſeam creat, nimis breuis fœtor, accipe, quæ Palladius *in hiſt. Lauſiaca* de Pachomio refert. Huic enim cum inſidiator ſtygius forma muliebri, quamuis deformi, & tanquam Æthiopa apparuiſſet, vt vnà & laruam & tentationem à ſe reijceret, colaphum excuſſiſſima inflixit manu. Sed ecce, quantus ſit fœtor Acherontis, illicò dexteræ percutientis cadaueroſus, & intolerabilis odor adeò adhæſit pertinaciter, vt duobus integris annis, deteri non poſſet, quid adhæſiſſet animæ illius, ſi peccauiſſet? quando hoc contigit manui reſiſtenti?

Pes alijs, alijs hircus ſudante ſub alâ
Fœtet, plaga alijs; quid ſcelerato? anima.

Super-

Superſtitionum vanitas, in ſuperſtitioſo Iuliæ Auguſtæ ouo reprehenſa.

EMBLEMA LXII.

NON AVGVSTVM EST, QVIDQVID FECIT AVGVSTA.



IVlia Auguſta, prima ſua iuuenta Tiberio Cæſare 1.
ex Nerone grauida, cum parere virilem ſexum admodum cuperet, hoc vſa eſt puellari augurio, ouum in ſinu fouendo, atque cum deponendum haberet, nutrici per ſinum tradendo: ne intermitteretur tepor. *Nec falsò augurata proditur.* Plin. *l. 10. c. 55.* Quod etiam refert Petrus Crinitus. *l. 11. c. 5. de honẽſta diſ.* Rectiùs feciſſet Iulia, ſi colum, quàm *ouum* in manum ſumſiſſet. Vniuerſim rectè refellit S. Auguſtinus. Apud quem *l. 4. de ci-*

uit. c. 30. Cicero Augur ipſe *irridet auguria, & reprehendit homines corui, & cornicula vocibus vitæ conſilia moderantes.* Quod quidem fecit *Cic. lib. 2. diuin.* Vbi etiam ſcribit, Pompeio, Craſſo, & Cæſari; ab omnibus Chaldæis prædictum fuiſſe, eos domi ætate iam affecta, immenſa cum gloria morituros, quod tamen non euenerit. Craſſus enim apud Euphratem ſumma cum ignominia obijt. Pompeius in Ægypto longè miſerabilioribus modis trucidatus; Cæſar multis vulneribus, in ipſo ſenatu, confoſſus eſt. Potuiſſet igitur & Iulia *ouum* ſuum gallinæ relinquere: aut Keiuuini patientiam potiùs vſurpare, de qua ſupra *Embl. 53.*

II. Certè aruſpices, augures, aut fulgurales, aut quicunque harioli Iuliæ adulaturi facilè poterant, *ouum* porrigere, de quo ruſticorum experientia nouit, prolem maſculam naſcituram. Qualénam illud? Horat. *ſer. 2. Satyr. 4.*

Longa quibus facies ouis erit, illa memento,
Vt ſucci melioris, & vt magis alba rotundis
Ponere, námq; marem cohibent calloſa vitellum.

Et Columella *l. 1. Cum volet aliquis quàm plurimos mares excludi, longiſſima quæque, & acutiſſima ſubijciet; & rurſus cum feminas, rotundiſſima.* Tota ergo ars aruſpicis fuit, ſuperſtitioſæ Iuliæ *ouum* longum dare, ex quo ſciebat marem proditurum. Cetera caſui commiſſa, & fortè à Deo permiſſa ſunt. Meri-

Meritò igitur etiam Romani ſapientes hæc III.
talia contemſerunt. *Cato*, teſte S. Auguſtino *l.2. doct. Chriſt. c.20. cum eſſet conſultus à quodam, qui ſibi à ſoricibus eroſas caligas diceret; reſpondit, non eſſe illud monſtrum, ſed verè monſtrum habendum fuiſſe, ſi ſorices à caligis roderentur.* Eodem *lib. c. 23.* Auguſtinus oſtendit, etiamſi aliquando eueniat, quod ab impoſtoribus iſtis prædicitur, tamen fiduciam in tali arte non eſſe collocandam; cum Deus *Deuter. 13.1.* diſertè moneat, cur id ita euenire permittat, dicens: *Si ſurrexerit in medio tui prophetes, aut qui ſomnium ſe vidiſſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum, & euenerit, quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus, & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſeruiamus eis; non audies verba Prophetæ illius, aut ſomniatoris, quia tentat vos Dominus Deus veſter, vt palam fiat, vtrum diligatis eum &c.*

Interim ne infallibilitas ſuperſtitioni concili- IV.
liet auctoritatem, ſæpius hæc talia fallunt. Quare Seneca, *in libello de morte Claudij Cæſaris*, refert, Aſtrologos quotannis, immo ſingulis menſibus, conſueſſe prænunciare mortem Claudij, cum tamen dilata mors per annos quatuordecim eos deluſerit. Certè Phauorinus apud Gellium *l.14.c.1.* audet dicere, *vera à Mathematicis prænuntiata non eſſe partem milleſimam mendaciorum, quæ effutiunt quotidie.* Et quid certi afferrent

de animi liberi motibus, aut de fortuitis euentis, qui ne cæli quidem tempeſtates habent cognitas? Affirmat Io. Picus, *in libris contra Aſtrologos*, ſe, cum longo tempore iſtas tempeſtatum mutationes obſeruaſſet, & ſemper ante oculos haberet alicuius Aſtrologi prædictiones, intra continuos 130. dies, non deprehendiſſe ſeptem, in quibus non fuerint hallucinati. Et multi Calendaria faciunt æquè veracia, cum alijs Calendarijs vbique contrarium annotant, & turbido ſerenum, aut ſereno cælo turbidum opponunt. Quo pacto igitur haruſpicæ Iuliæ præſcient, maremné, an feminam ſint pariture, ſi neq; aſtriſpices ſciunt, quid ſit tempeſtas paritura?

V. Aut cur *ouo* credunt, cum aues fallant? Thom. Cantiprat. *l. 2.* hæc habet: *Narrauit nobis anno præterito beatæ memoriæ Theobaldus Abbas Eberbacenſis, quod quidam conuerſus, cùm neſcio quò tenderet, & auem, quæ cuculus dicitur, à voce nomen habens, crebriùs cantantem audiret, vices interruptionis enumerauit, & viginti duas inueniens, eáſque quaſi pro omine accipiens, pro annis totidem vices eaſdem ſibi computauit. Eia, inquit, certè* XXII. *annis adhuc viuam, vt quid tanto tempore mortificem me in ordine? redibo ad ſeculum, & ſeculo deditus, viginti annis fruar deliciis eius, duobus annis, qui ſuperſunt, pœnitebo. Haud dubiũ quin diabolus, qui ſupra dictum conuerſum, vt Epi-*

ſco-

ſcopus fieret, ad credendum induxerat, aperto ſermone, & huic ſuaſerit, vt tali augurio fidem adhiberet, occulta ſuggeſtione; ſed dominus, qui augurium odit, aliter quàm ille ordinauerat, diſpoſuit. Nam duos, quos pœnitentiæ deputauerat, annos, eum in ſeculo viuere permiſit, & annos viginti deliciis ordinatos, iuſto ſuo iudicio, ſubtraxit. Ecce tales ſunt promiſſiones diabolicæ.

Et tamen his omnes anguli pleni. Meliùs eſſet nihil ab aniculis diſcere, quàm id, quod ipſæ à diabolo didicerunt. Quale eſt prorſus & illud diuinantium, certis antè Natalem Chriſti, noctibus, puellarum, qualemné, aut è qua vrbe, vel domo maritum ſint adepturæ? Nam *ouo* in vitrum aqua plenum effuſo, & vrbes, & domos, & ſponſos, vtique Albinos, Albutios, aut Vitellios, ab *oui* albo, aut vitello natos, credunt ſe ſpectaturas. Neque hac ſtultitia contentæ ſunt, vt credant ſe ſpectaturas; multarum amentia vſque eò progreditur, vt perſuadeant ſibi, quod ſperauerant vanè, verè ſpectauiſſe; dignæ phantaſticis maritis, quæ phantaſticis ſponſis ſe ipſas fefellerunt: quemadmodum & illi, qui malis auſpicijs olim negocia ſua peregerunt, ad quæ ſe *bonis auibus ire* arbitrabantur. VI.

Conſilium toties ſi vos, antiqua, fefellit,
Secula; quid mirum? conſuluiſtis aues.

Digitized by Google

Agyrtæ ova attollenti, & reuocanti ſimilis diabolus.

EMBLEMA LXIII.

CERNIS, VT ASCENDANT? VNA VERTIGINE TOLLO, AST ALIA REVOCO.



1. S. Serapion, apud Theodoret. *& in hiſt. SS. PP. c. 83.* vt quoſdam, qui hiſtrioniam factitabant, de ludo ad ſeria, atque ex Orco ad Chriſtum duceret, in mancipium ſe illis tradidit; Seruatorem imitatus, qui & ipſe *formam ſerui accepit*, vt hominem ab Orci ſeruitute liberaret. Diuerſum morem habet diabolus, qui homines à ſerijs ad ludos, à Chriſto ad Orcum ducit, & libertatem promittit, vt mancipia faciat.

Digitized by Google

faciat. Similis illis circulatoribus, qui vno, vel tribus *ouis* perticæ, in morem canalis, excauatæ, impoſitis, ac ſenſim ſubleuatis, in orbem ſe rotant; *ouaq;*, ipsâ vibratione motus, quaſi viuerent, ſerperentque, ſurſum verſus, vſque ad apicem prouehunt. In ſummo vbi hæſerunt aliquamdiu, mox circulum recalcans ſe in gyrum contrario circuitu vertit egregius promotor, ac rurſum deſcendere *oua* ſua pro imperio jubet, itaque ex ſummis ima facit, quaſi idcirco in altum ſuſtuliſſet, vt ad humilia reuocaret. Sæpe etiam, poſt longum eiuſcemodi ludum, *oua* cum ipſa pertica humi applaudit, alliſáque frangit.

Talem ludum quotidie ludit diabolus, peſtilens hiſtrio. Vendit ſe quidem, & vendi ſinit, non vt mancipium ſit, ſed vt mancipium faciat, quemcunque à ſerijs ad nugas, à veritate ad vanitatem, à libertate ad vincula auocat. Et ſanè multos *tollit in altum*, *Vt lapſu grauiore ruant.* Non enim eſt mos illi velle exaltare, ſed humiliare mortales. Itaque ſi quos ad alta promouet, dolo id facit, vt poſſit præcipitare; &, in morem lignatoris agit, qui ſecurim extollit, vt affligat. Quàm multos ille à plumbo ſecuros facit, vt ferro occupet incautos? Quid dicam dona non dona, aut plus quàm hoſtilia dona? ſcilicet ſanitates ab illo datas, vt viuo corpore animas occidat? Quid referam ipſas cruces, & ceras ſa- II.

cras,

Digitized by Google

cras, ipſas aquas conſecratas, ipſas Miſſas & Eucharistiam, qua nihil eſt ſanctius, ab eo adhiberi ad ſacrilegas artes, vt non ſolùm res iſtas ignominia afficiat, ſed etiam hominum quorundam decipiat ſimplicitatem? Quos ſæpe audiuimus dicentes: *Quid mali hoc eſſet? cum Sacroſanctum* IESV *nomen, cum diuinæ Trinitatis perſonæ, cum cruces adhibeantur?* Quaſi vlla res tam ſit ſancta, vt abuſu non poſſit cantaminari? aut quaſi Tartareus hiſtrio non poſſit *oua* attollere cælum verſus, quæ vult in terra frangere? aut quaſi non ſoleat etiam in hoc hiſtrionem agere, vt res ſacras imitetur?

III. Quoties hunc ſimium depingunt Iulius Firmicus *in libello de profanis gentium erroribus*, Tertullianus *lib. de præſcript.* Origenes & alij? Audi Sanctum Auguſtinum *tract. 7. in Io. Illi ipſi*, ait, *qui ſeducunt per ligaturas, per præcantationes, per machinamenta inimici; miſcent præcantationibus ſuis nomen Christi: quia iam non poſſunt ſeducere Chriſtianos, vt dent venenum, addunt mellis aliquantum, vt per id, quod dulce eſt, lateat quod amarum eſt, & bibatur ad perniciem. Vſque adeò vt ego nouerim aliquo tempore illius Paleati* (alij legunt pileati. vide Iac. Gretſer. cap. 5. Paralipomenon) *Sacerdotem ſolere dicere; & ipſe paleatus Chriſtianus eſt. Vt quid hoc, fratres, niſi quia aliter non poſſunt ſeduci Christiani? Ne quæratis ergo*

alibi

Digitized by Google

alibi Chriſtum, quàm vbi ſe voluit prædicari Chriſtus. Aiunt dæmonem malum, cum ſe ſpectandum hominibus præbet, ſemper de pede caprino, aut capite cornuto, vel alia nota prodi: ſic ligaturæ, atque anicularum carmina, & amuleta, plerunque talia ſunt, vt alienum non ſit ſuſpicari, ea eſſe nomine Chriſti veſtita, ſed fraude diaboli; vt ſuperſtitio velum habeat.

Qui nomine Chriſti fallit, fallit etiam templis Chriſti. Hinc multæ mulierculæ, vt, velut *ouum* in cælum conſcendere videantur, hærent perpetuò in templis, plenæ diabolis. Quanquam enim rectè Gregor. Toloſan. *l. 13. de Rep. c. 18. n. 21.* ſcribat, veneficas nuſquam pacem maiorem, quàm in templis inuenire, quò ſcilicet, ob ſanctitatem loci malus Angelus non poteſt ſemper, neq; pro arbitrio accedere; tamen pleræque ſagæ idcirco templum frequentant, vt malitiam ſuam hypocriſi tegant; immò etiam, vt in templo, vbi alij precantur, diras execrationes ferant, in Deum, & ſanctos. Hæ tales Doctrices, quia piæ volunt videri, de templis prodeuntes, res ſacras adhibent, vt velent ligaturarum ſuarum ſuperſtitiones. Quas nemo vnquam ſatis oppugnabit. Velut lolium creſcunt, inſtar Hydræ pullulant. IV.

Quamobrem meritò S. Auguſtin. loc. cit. *Quando nobis dolet caput, non curramus ad præcantato-* V.

tatores, ad ſortilegos, & remedia vanitatis. Fratres mei, non vos plangam, quotidie inuenio iſta, & quid faciam? Non perſuadeo Chriſtianis in Chriſto ſpem eſſe ponendam? Ecce, ſi cui factum eſt remedium moriatur? Quàm multi enim cum remedijs mortui ſunt, & quam multi ſine remedijs vixerunt? qua fronte exijt anima ad Deum? perdidit ſignum Chriſti, accepit ſignum diaboli. An fortè dicet, non perdidi ſignum Chriſti? Ergo ſignum Chriſti cum ſigno diaboli habuiſti. Non vult Chriſtus communionem, ſed ſolus vult poſſidere, quod emit. Tanti emit, vt ſolus poſſideat, tu facis ei conſortem diabolum, cui te per peccatum vendideras. Væ duplici corde, qui in ſuo corde partem faciunt Deo, partem faciunt diabolo. Iratus Deus, quia fit ibi pars diabolo, diſcedit, & totum diabolus poßidebit. Non fruſtra itaq; Apoſtolus dicit. Neque detis locum diabolo. Cognoſcamus ergo Agnum fratres, cognoſcamus pretium noſtrum. Infra. *Cum caput tibi dolet, laudamus ſi Euangelium ad caput tibi poſueris, & non ad ligaturam cucurreris. Ad hoc enim perducta eſt infirmitas hominum, & ita plangendi ſunt homines, qui currunt ad ligaturas, vt gaudeamus quando videmus hominem in lectulo ſuo conſtitutum iactari febribus & doloribus, nec alicubi ſpem poſuiſſe, niſi vt ſibi Euangelium ad caput poneret; non quia ad hoc factum eſt, ſed quia prælatum eſt Euangelium ligaturis. Si ergo ad caput ponitur, vt quieſcat dolor*

capi-

Digitized by Google

capitis, ad cor non ponatur, vt ſanetur à peccatis? Fiat ergo. Quid fiat? Ponatur ad cor, ſanetur cor, bonum eſt. Ita S. Auguſtinus, qui alibi ſæpe, cum ſacris litteris, & cum eo alij SS. Patres, itémque Eccleſiaſticæ & ciuiles leges acriter monent, ne ſacra putemus, quæ ſunt ſacrilega: & ne velut *oua* nos ſurſum rotari ſinamus, mox hiſtrionica fraude à charitate ad carnalitatem, & à ſanctis ritibus, ad diabolicas cæremonias deſcenſuri.

Bis miſer eſt, quiſquis rebus ſe perdit honeſtis:
Et grauiùs celſo culmine lapſa cadunt.

Ova

Ova aſpidum, ſunt dogmata Hære-
ticorum.

EMBLEMA LXIV.

NEC FOVEAS, NEC EDAS: NVLLIS SVNT VSIBVS APTA.



1. ISaias Prophetes, inter ceteras cauſſas, quas affert, cur benignus & potens Deus tamen Iudæos non exaudiat, ait etiam *c. 59. 5. Oua aſpidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt: qui comederit de ouis eorum, morietur: & quod confotum eſt, erumpet in* REGVLVM. D. Gregorij *l. 15. moral. c. 8.* verba ſunt: *Oua aſpidum prauis hominibus rumpere, eſt malignorum ſpirituum conſilia, quæ in cordibus latent, peruerſis operibus aperire.* S. Hieronymus *in c. 59. Iſaiæ*, per *oua aſpidum in-*

intelligit peruerſam Iudęorum & Hæreticorum doctrinam. Quos ibidem Propheta rectè deſcribit *iuſtitiam* à legibus præſcriptam (internamque) contemnentes, & de cauſſis ad ſe delatis (deque ſcripturarum diuinarum ſenſu) præpoſterè iudicantes; ſuáque ſomnia, pro Dei Verbo, iactantes, dum ait: *Non eſt, qui inuocet iuſtitiam, neque eſt, qui iudicet verè; ſed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates: conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem.*

Vocem Hebræam, pro qua hîc (*laborem*) habemus, S. Hieronymus *Iob. 15, & Pſal. 7.* vertit *dolorem*, hoc modo: *Ecce parturijt iniuſtitiam, concepit dolorem*, (cùm labore enim & fatigatione, & dolore, & reclamante conſcientia moliuntur impij in mente ſuas machinationes) *& peperit iniquitatem*, hoc eſt, ſententiam contra ius & fas pronunciatam, aut hæreſin: quæ eſt iniquitas maxima, & more aſpidis, linguæ vulnere venenum infligit; hæreſin inquam, cuius origo ſunt *Oua aſpidum*, omnia in venenũ conuertentium, ſicut hæretici ipſas conuertunt ſacras ſcripturas. His dum ſchiſmata & errores ſuggerit ſerpens Auernalis, *oua* ponit. Rectè enim & Procopius *oua aſpidum*, vocat ſemina diaboli, ſerpentis illius, qui Euam decepit. Ex quo patre diabolo fuêre illi Iudæi, qui, quaſi aſpides, *aures obturauerunt*, ne Chriſti monita au- 11.

dirent; & velut viperæ Chriſtũ parentem ſuum occiderunt. Qua de cauſſa à S. Ioanne vocantur *genimina viperarum.*

III. *Oua* ergo & ſemina, è quibus hæ aſpides, immo reguli, ſeu baſiliſci erumpunt, ſunt ſuggeſtiones & dogmata cum lege Dei pugnantia, qualia ſcribis & Phariſæis obiecit Chriſtus, præcepta Dei, de honorandis parentibus, de iuramento, de Sabbathi violatione &c. prauiſſima interpretatione peruertentibus, vt videre eſt *Matth. 23. 16.* Qui quando *Matth. 16. 11.* dicit, *Cauete à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum*, monet, vt eorum peruerſa doctrina caueatur, quæ bonos mores corrumpit inficitque, ſicut maſſam farinæ corrumpit fermentum; occiditque animas, ſicut occidit halitus è ruptis aſpidum *ouis* aërem venenans; aut ſicut aſpis ipſa ex *ouo* educta, *oui* effractorem mordet. Grauiter S. Leo *ſerm. 18. de Paſſione Domini Viperea*, inquit, *hæreticorum vitate colloquia.* Nam etſi ſcripturas, & verbum Domini iactent, Phariſæorum tamen fermentum imitantur, & ſacris litteris, ſicut diabolus ſacris nominibus, & rebus, abutuntur. S. Auguſtinus *ep. 222. ad Conſentium: Intellectum*, ait, *valde ama, quia & ipſæ ſcripturæ ſanctæ, quæ magnarum rerum ante intelligentiam, ſuadent fidem, niſi eas rectè intelligas, vtiles tibi eſſe non poſſunt. Omnes enim hæretici, qui*

eas

Digitized by Google

eas in auctoritate recipiunt, ipſas ſibi videntur ſectari, cum ſuos potiùs ſectentur errores, ac per hoc, non quòd eas contemnant, ſed quòd non intelligant, hæretici ſunt.

Sicut ergo aſpis bonam herbam vertit comedendo in malum venenum, ita Hæreticus bonam ſcripturam, in malum ſenſum. *De intelligentia enim hæreſis, non de ſcriptura eſt*, inquit S. Hilarius *l. 2. de Trin. Senſus, & non ſermo, fit crimen.* Scilicet, vt in Græco prouerbio, *Multa in interuallo haſtarum* poſſunt collocari; ita plurima eidem ſcripturæ à diuerſis accedere, per diuerſas interpretationes. Nec quidquam contra ſuperbũ hæreticum efficiet Catholicus, ſi ſuam dicat interpretationem à SS.PP. eſſe acceptam, ſtatim enim audiet: *Eius quidem chorus, & thiaſus maior; meus verò maioris harmoniæ.* Sua enim ſuperbo maximè placent. IV.

Senſus ergo tales præpoſteri, hæreſes ſunt, & *aſpidum oua*, quæ cum populo aperiuntur, necant veritatem. Vnde & S. Petrus *2. ep. 2.* hæreſes vocat *ſectas perditionis.* Vtuntur ſcripturis, vt hac velut pellicula *ouum* veſtiant virulentum. Appoſitè S. Nazianzen. *lib. de fide. Vt ſolet*, inquit, *lethale poculum mellis dulcedine temperatum ſuauitate fallente perimere, ſic & hoc malum, per blandimenta aurium, audientiũ ſenſus quadam labe contaminans, contagione adhærentes inficit.* Quod ſi V.

vel halitus nocet huius *oui*, & audire hæreſin; quid non efficiet eſus? Aut quo remedio erit curandus?

VI. *Vir quidam Ciſſus nomine, Serapidis cultui deditiſſimus*, ait Ælian. *l. 11. c. 34. Petitus inſidijs mulieris, quam priùs amatam, deinde vxorem duxerat, quum oua ſerpentis deuoraſſet, angebatur, & miſerè affligebatur, ita vt à morte parum abeſſe videretur. Rogatus autem ab eo Deus, murænam viuam præcepit emendam, & manum viuario, ſeu vaſi (in quo ſeruaretur) immittendam. Paret ille, manum immittit: cui muræna mordicus inhæret: & quum auelleretur, ſimul cum ea morbus etiam iuuenis euulſus eſt.* Præſtaret manum abſcindere, & manu carentem in cælum intrare, quàm manu libros voluere, ne dum ſcribere, aut deſcribere, hæreſin continentes. Ita Chriſtus iuſſit: *ſi manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam*; aut certè præbe eam murænæ mordendam, vt venenum exugat; hoc eſt, Eccleſiæ te cenſuræ ſubijce, ne guſtatis hæreticorum *ouis*, pereas incuratus.

VII. *Qui comederit de ouis eorum, morietur.* Quid eſt edere *oua aſpidum*, niſi legere libros hæreticorum? Paternè Iſaias Abbas *in t. 2. bibl. SS. PP. Si librum*, inquit, *inueneris, qui dicatur eſſe hæreticorum, caue illum legas, ne veneno mortifero cor tuum impleat, ſed in ea doctrina, quam in Eccleſia*

S.

S. didiciſti, ita perſiſte, vt ei nihil addas, nihil detrahas. Si enim rectè dixit S. Hieronymus, *in ep. ad Galatas, non in verbis ſcripturarum eſſe Euangeliũ, ſed in ſenſu; non in ſuperficie, ſed in medulla, non in ſermonum folijs, ſed in radice rationis*: quis ſenſum hunc mihi meliùs indicabit, quàm Eccleſia? Certè non huius, vel alterius ſectæ auctor; cum vterque ſe iactet, de vero ſenſu, & tamen pugnantia dicant. *Aliter namque* Scripturam *Nouatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius intelligit*, teſte Vincentio Lyrinenſi *cap. 2*. Cui ergo credendum? non huic, non iſti, non illi, ſed Eccleſię, cuius, vt antiquior, ita grauior eſt auctoritas; imo & certior, cum ſit *columna & firmamentum veritatis 1. Tim. 3. 15*. Ita *oua aſpidum* non rumpet, ſed vitabit, quiſquis non ſuum, non huius, non illius noui doctoris, ſed Eccleſiæ ſenſum ſequetur.

Porrò ruptis quoque *aſpidum ouis* fœtor exiſtit ingens, qui auras incæſtat. Ita mortuis quoque Hæreticis, libri eorũ venena exhalant. Qua de cauſſa eos S. Auguſtin. l. 4. in Iulianum c. 9. cimicibus comparat, qui *dum viuunt, mordent, mortui autem fœtent*. Hoc fœtore offenſa B. Virgo apud Euiratum, vulgò Sophronium, *Prat. Spir. c. 46*. ſicut & Ioannes Baptiſta, & Euangeliſta cellam Abbatis Cyriaci ingredi noluerunt, in qua, inſcio ipſo, libri duo Neſtorij lati- IIX.

tabant. Quid indoctis damni non inferent libri Hæreticorum, ſi ipſi Diui eos, velut aſpidum oua abhorrent? & quidem iam beati? vt minùs mirum ſit, ſi S. Ephræm, in hac vita, peſtilentes Apollinaris libros foliatim conglutinauit, inutiléſque reddidit, vt eſt in eius Vita apud Suriũ. Cum enim apud eum depoſiti eſſent, neque illi flammis eos tradere liceret; reſtituit quidem, ſed ita, vt tanquam morbidi, ſub medici manu fuiſſe viderentur, & non ſine emplaſtris ad Dominum ſuum redirent. Ita libri, & artes hæreticorum tractandi, & vel in vltimam Thulen, cum auctoribus ſuis, relegandi ſunt. Aſpides in ſola Africa naſcuntur, ſi fides eſt Lucano *l.9*. Vtinam & hæreſes ibi ſolùm fuiſſent natæ! Nunc ferè tam de hæreſi, quàm de aſpide dici, cum eodem Poëta poteſt:

Ipſa caloris egens, gelidum non tranſit in orbem
Sponte ſua, Niló que tenus metitur arenas.
Sed quis erit nobis lucri pudor? inde petuntur
Huc Libyca mortes, & fecimus aſpida merces.

Cur non & *oua* aſpidum, hoc eſt, hæreſes? quas non eſt mirum, pro regnis vendi; mirum eſt, pro regnis emi.

Merx eſt peſſima, quæ, ſuo veneno,
Emptorem necat, atque venditorem.

Ora

Ova à ſuis feliciùs fota, parentum ſunt documenta.

EMBLEMA LXV.

CVR NATVM COGIS DEGENERARE, PARENS?



EXperimento didici, inquit Hieron. Cardan. *lib. 7. de rer. Variet. c. 35. pullos anſerinos, aut pauonis, qui ex gallinarum fœtu proueniunt, cum oua pepererint, ea nolle fouere: atque ita cogi, vt perpetuò gallinæ ſeruitio indigeamus. Quamobrem eos ſaltem, quos propagationis cauſſa habere volumus, conſulo vt à ſuo genere cubari facias.* Hæc *ouorum*, quæ librorum cura? quando Catholici parentes hæreticis Magiſtris tradunt filios erudiendos; aut bonæ alioqui matres, lacernatis 1.

aniculis, vel malis nutricibus ipſos adeò infantes, (vt iram, leuitatem, & omnes tam animi, quàm corporis morbos cum ipſo lacte bibant) de meretricijs ſæpe vberibus ſuſpendunt? Cum, vt in Græco adagio monetur, *roſa canina, & anemone non ſint conferenda.*

II. Gellius *l. 12. c. 1.* Fauorino puerperam inuiſenti hunc tribuit ſermonem: *Nihil dubito, quin filium lacte ſuo nutritura ſit.* Sed cum mater puellæ, parcendum eſſe ei, diceret, adhibendaſque puello nutrices, ne ad dolores, quos in enitendo tuliſſet, munus quoque nutricationis graue ac difficile accederet; *Oro te,* inquit, *mulier, ſine eam totam integram eſſe matrem filij ſui. quod eſt enim hoc totum contra naturã imperfectum atque dimidiatum matris genus, peperiſſe, ac ſtatim ab ſe ſe abieciſſe? aluiſſe in vtero ſanguine ſuo neſcio quid, quod non videret: non alere nunc ſuo lacte, quod videat, iam viuentem, iam hominem, iam matris officia implorantem? an tu quoque, inquit, putas naturam feminis mammarum vbera, quaſi quoſdam naeuulos, non liberûm alendorum, ſed ornandi pectoris cauſſa dediſſe? ſic enim quod à vobis ſcilicet abeſt, pleraque iſta prodigioſæ mulieres, fontem illum ſanctiſſimum corporis, generis humani educatorem, arefacere & extinguere, cum periculo auerſi corruptiq; lactis, laborant: tanquam pulchritudinis ſibi inſignia deuenuſtet? quod quidem faci-*

unt

Digitized by Google

unt eadem vecordia, qua quibuſdam commentitijs fraudibus nituntur, vt fœtus quoque ipſi in corpore ſuo concepti aboriantur; ne æquor illud ventris irrugetur, ac de grauitate oneris & labore partus fatiſcat. quod cum ſit publica deteſtatione communiq́ odio dignum, in ipſis hominem primordijs, dum fingitur, dum animatur, inter ipſas artificis naturæ manus interfectum ire: quantulum huic abeſt, iam perfectum, iam genitum, iam filium, proprij atque conſueti, atque cogniti ſanguinis alimonia priuare?

Sed nihil intereſt (hoc enim dicitur) dum alatur & viuat, cuius id lacte fiat. Cur igitur iſte, qui hoc dicit, ſi in capeſſendis naturæ ſenſibus tam obſurduit, non id quoque nihil intereſſe putat, cuius in corpore, cuiuſq́ ex ſanguine concretus homo & coalitus ſit? an quia ſpiritu multo & calore exalbuit, non idem ſanguis eſt nunc in vberibus, qui in vtero fuit? nonne hac quoque in re ſolertia naturæ euidens eſt, quòd poſtquam ſanguis ille opifex in penetralibus ſuis omne corpus hominis finxit, aduentante iam partus tempore in ſupernas ſe partes profert, ad fouenda vitæ atque lucis rudimenta præſto eſt, & recens natis victum offert. Quamobrem non fruſtra creditum eſt, ſicuti valeat ad fingendas corporis atque animi ſimilitudines vis & natura, non ſecus ad eandem rem lactis quoque ingenia & proprietates valere. III.

Neque in hominibus id ſolùm, ſed in pecudibus IV.

quoque animaduerſum. nam ſi ouium lacte hœdi, aut caprarum agni alantur, conſtat fermè in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem. In arboribus etiam & frugibus maior plerumque vis & poteſtas eſt, ad earum indolem vel detractandam, vel augendam, aquarum atq; terrarum, quæ alunt, quàm ipſius, quod iacitur ſeminis. ac ſæpe videas arborem lætam & nitentem in locum alium transpoſitam, deterioris terræ ſucco, deperiſſe. Quæ malùm igitur ratio eſt, nobilitatem iſtam nati modò hominis corpusq́; & animum benè ingenuatis primordijs inchoatum inſitiuo degenerîq́; alimento lactis alieni corrumpere? præſertim ſi iſta, quam ad præbendum lactem adhibebitis, aut ſerua, aut ſeruilis eſt, vt plerumq; ſolet, externæ atque Barbaræ nationis, ſi improba, ſi informis, ſi impudica, ſi temulenta eſt, nam plerunque ſine diſcrimine, quæcunque id temporis lactens eſt, adhiberi ſolet. Patiemurné igitur infantem hunc noſtrum pernicioſo contagio infici, & ſpiritum ducere in animum atque in corpus ſuum ex corpore & animo deterrimo? id hercle ipſum eſt, quòd ſæpe miramur, quoſdam pudicarum mulierum liberos parentum ſuorum neque corporibus, neq; animis ſimiles exiſtere.

V. *Scitè igitur & peritè* (poſt Homerum) *Maro, non partionem ſolam, ſed alituram quoque feram & ſæuam criminatus eſt: addidit enim hoc de ſuo:* Hyrcanæq; admôrunt vbera tigres. *quoniam*

vide-

Digitized by Google

videlicet in moribus inoleſcendis magnam ferè partem ingenium altricis, & natura lactis tenet: quæ à principio imbuta paterni ſeminis concretione ex matris etiam corpore, & animo recentem indolem configurat. & præter hæc autem, qui illud etiam negligere aſpernariq́ poſſit, quod quæ partus ſuos deſerunt ablegantq́ à ſe ſe, & aliis nutriendos dedunt, vinculum illud coagulumq́ animi atque amoris, quo parentes, cum filiis natura conſociat, interſcindunt, aut certè quidem diluunt deteruntq́. Nam vbi infantis aliorſum dati facta ex oculis amolitio eſt; vigor ille maternæ flagrantiæ ſenſim atque paullatim reſtinguitur, omnisq́ impatientiſſimæ ſolicitudinis ſtrepitus conſileſcit. Neque multò minor amandati ad nutricem aliam filii, quàm morte amiſſi obliuio eſt. Ipſius quoque infantis affectio animi, amoris, conſuetudinis, in ea ſola, vnde alitur, occupatur: & proinde, vt in expoſitis vſu venit, matris quæ genuit, neque ſenſum ullum, neq; deſiderium capit. Ac propterea, obliteratis & abolitis natiuæ pietatis elemẽtis, quidquid ita educati liberi amare patrem atq; matrem videntur, magnam ferè partem non naturalis ille amor eſt, ſed ciuilis & opinabilis. Hæc Fauorinus de lacte alieno: quid dicendum eſſet de religione aliena?

Quæ lac & vbera filio mater negat,
Lactat tamen: vis ſcire quem? quem decipit.

Oyo-

Ovorum varietas, & augmentum, ſpeculum dogmatum variorum è ſuperbia natorum.

EMBLEMA LXVI.

NEQVAQVAM, SI NON TVMVISSENT, NATA FVISSENT.



1. PIſcium diſcrimina etiam à generatione ſumuntur. *Alia enim* genera *generantur ex animali ipſo, velut quæ reſpirant*, ait Cardan. *l. 7. de rer. Variet. c. 37. vt turſio, balæna, delphin, vitulus, ac cetera huiuſmodi: alia ex ouo, vt fluuiatiles omnes penè celebriores, perca, lucius, tinea: alia è putredine, aut ſimili, velut anguillæ, & aquarum genera pleraq; . Rurſus quæ ex ouis (vt extrema medijs coniungantur) quædam intus prodeunt, vt in* galeo-

galeorum genere, ac pleriſque quæ mole magna ſunt, non tamen reſpirant, veluti lamiæ. Et infra. *Quæ verò oua foras emittunt, generant ex ouis piſces. Vt verò multitudini conſuleretur, oua parua eſſe neceſſarium fuit. At ex ouis paruis piſces non poterant commodè generari: natura igitur effecit, vt incrementum ſuſciperent extra, atque velox, ne interim corrumperentur, itaque edita celerrimè augentur. Etenim vim quaſi fermenti retinent, ſponteq́; intumeſcunt, & humidum pingue tum terræ, tum aquæ in ſe conuertunt. Creſcunt autem oua celerrimè, quia humidum pingue plurimùm continent, & quod facilè extenditur: hacq́; cauſſa amiæ & murenæ adeò celeriter augentur, vt in ſingulos dies incremẽtum earum dignoſcatur. Oſtenſum eſt autem, quæ tam celeriter augentur, parum viuere.* Hæc ille.

Nempe quæ citò fiunt, citò deſiunt, & fluxa eſſe conuenit, quæ in aquis degunt; ſemperq́ue maior eſt profunda petentium multitudo. Nam quæ in piſcium ortu varietas, ea ferè etiam eſt in origine morũ ac religionũ. Piſces alij ex animali, alij ex *ouo* animalis; alij ex putredine, alij intus de *ouis*, alij foris prodeunt. An non Catholici Catholicis parentibus, vel Hæretici Hæreticis filij ſtatim quaſi à cunabulis naſcũtur? & prima quaſi regula eſt credendi, vt credant filij, quod audiunt parentes credidiſſe? Væ ergo illis, qui bonis parentibus mali fiunt: vę illis, qui eandem 11.

matrem

matrem biberunt, & tamen diuerſam ſuxerunt religionem. Dicet enim Catholicus frater ſorori Lutheranæ, *Genus inde mihi, vnde tibi.* Illud laudabile eſt, bonum fieri, de malis parentibus oriundum. Sæpe enim & iſti filios bonos ſortiuntur, ſi in bonos incidant educatores. Hæreticorum tamen hîc gemina eſt ſimilitudo. Nam & illi ex putredine generantur, & velut piſcium *oua* de paruitate ſua intumeſcunt. An non ex putredine, & corruptis moribus naſcuntur, qui, vt eſt *1. Io. 2: 19. ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis? Sic enim erant in corpore Chriſti,* ait Beda, *quomodo humores mali, qui quando euomuntur, tunc releuatur corpus. Sic & mali quando exeunt, tunc Eccleſia releuatur.* Tanquam putrida ergo membra abſcinduntur, & verminant, &, velut piſcium *oua*, ſponte intumeſcunt, ac ſeſe extendunt: audentque venerandam SS. Patrum vetuſtatem, tanquam Lacon Philomelam prouocare; iiſdemque, per tot ſecula approbatis Doctoribus, velut pica, aut epops cygnis obſtrepere.

III. *Omnes hæretici*, inquit Tertullianus *l. de præſcript. tument, omnes ſcientiam pollicentur.* Et S. Hieron. *in c. 1. Abdiæ, Quis hæreticorũ non in ſuperbiam extollitur?* Cui adſtipulatur & S. Auguſtin. *l. de Paſtorib. c. 8.* inquiens, *diuerſis locis ſunt diuerſa, ſed vna mater ſuperbia omnes hæreſes genuit,*

ſicut

ſicut vna mater noſtra Catholica omnes Chriſtianos fideles toto orbe diuiſos. Dum enim ſapere ſe exiſtimat ſupra omnes, dogma hæreticus cudit contra omnes. Contra quos ne tantùm quidem valet, quantùm jactus taxilli chius ad ſenionem.

Igitur ex Origenis *in Matth. hom. 19.* doctrina, *Hæreticus habendus eſt omnis ille, qui Chriſto quidem credere ſe profitetur, aliud tamen de fidei veritate credit, quàm habeat definitio traditionis Eccleſiæ.* Enimverò hic fidei canon eſt ab ipſo Apoſtolo relictus *Gal. 1. 8. licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquã quod euangelizauimus vobis, anathema ſit*; ſi quidem fieri poſſet, vt Angelus aliter euangelizet, qui in veritate confirmatus, vtique aliter non poterit euangelizare. niſi ſit ater, qualis fuit, qui Lutherum & Zwinglium de Euchariſtia inſtruxit; aut qui Apellis virginem Philumenen docuit. Tanta enim eſt fidei certitudo, tot miraculis & ſeculis confirmatæ, vt quodcunq; nouum dogma, hoc ipſo, ſi cum antiqua & recepta Eccleſiæ Catholicæ fide non concordet, hæreticum cenſeri debeat. IV.

Si de aliqua modica quæſtione, ait S. Irenæus *l. 3. c. 4. diſputatio orta fuerit, nonne oportebit in antiquiſſimas recurrere Eccleſias? & ab eis ſumere de præſenti quæſtione, quod certum, & liquidum eſt?* Et S. Hieron. *ep. ad Pammachium & Oceanum:* V.

Quis

Quiſquis aſſertor es nouorum dogmatum, quæſo te, vt parcas humanis auribus, parcas fidei, quæ Apo-ſtolico ore laudata eſt. Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod antè neſciuimus? vſq; in hunc diem, ſine veſtra iſta doctrina, Chriſtianus Mundus fuit. Sed ſuperbia vult omnes, etiam poſt mille ſexcentos annos, docere. Et mirum eſt, tot diſcipulos nanciſci. Nimirum carni iucunda docet; & pereuntium ſemper pronior eſt ruina, ac maior multitudo damnandorum: ſicut in omni re ſequiorum maior eſt copia. Hinc & auium generi tribuit hoc natura, vt fœcundiores eſſent fugaces, quàm fortes; vtque plura forent *oua* paſſerum, quàm aquilarum; *Et viles pulli nati infelicibus ouis* longè vberiùs prouenirent.

Quid numero gaudes, & magna tumore triumphas?
Ah quò maior, eò peior, es Impietas!

Spei

Spei vanæ, in ovo, delineatum emolumentum.

EMBLEMA LXVII.

NON SIC OVANDVM.



I*Dem ouum & duriſſimum, & molliſſimum eſſe* 1.
faciliùs credas, ſi fortaſſis quod optimum eſt, fieri peſſimum poſſe pronunciem, ait Putean. *orat.* 20. Duriſſimum eſſe, paulo ſupra probat his verbis: *Qui neruos & firmitatem corporis iactant, hoc certamine exerceri ſolent, ut confringant ouum. Conantur etiam, & ſtrictis nexisq; digitis vtrumque cacumen validò palmarum niſu premunt. Sed quidē ut fruſtra ſint, & vires humanas à fragili teſta vinci fateantur. Putares ſub ipſis manibus ouum in marmor commutari. I nunc homo, & robur iactat*

b *tenuiſ-*

tenuiſſimum corticem non dicam conterere, ſed ne commouere quidem potes. Quid dicam? niſi ludere naturam, mortales verò illudi? Quod tenerrimum eſt, firmiſſimũ tamen exiſtit. nihil faciliùs læditur, frangitúrque, nihil pertinaciùs reſiſtit. Miraculum, ſi quis velit, hîc habet. Nullum vitrum ouo fragilius eſt, nullum tamen æs, nullus chalybs durior: leni caſu, aut colliſu vulnus capit, & effluit; & vim tamen omnem è tranſuerſo illatam ſuperat. Si partes has concedis ouo, dixerim, in capite pedibúſque tantum robur eſſe. Huius rei cauſſam indicauimus *ſupra Embl. 31.*

11. Hîc rei tam robuſtæ fragilitas indicat, humanæ potentiæ ſpeíque infirmitatem. Quam cum Poëta quiſpiam, in theatro, vellet exhibere ſpectandam, ruſticum induxit, inuento *ouo*, mirificè OVANTEM. Nam ſecum has ipſe rationes inſtituebat. Ex hoc *ouo* pullum, ex pullo gallinam, ex gallina & gallinæ pullis mille *oua*; igitur & mille gallinas, & mille gallinarum pullos: atque rurſus his venditis, pro *ouis*, oues habebo; & mox mille oues; deinde ouium grege ſe multiplicante, mille boues nanciſcar, & greges in armenta conuertam. Quid ni tunc agros & villas emam? & velut regulus aliquis familias alam? Enimuerò meam quoque familiam ac ſtirpem Corydonis, in multos hæredes nepoteſque producam. Horum ego omnium Pater, Auus, Caput,

put, Princeps audiam. Dum hæc dicit, dum OVAT, & tantùm aras ſibi non deſtinat, in mentem illi venit, vicini ſui filius, malè moratus, iners, potator, gerro, fraus, helluo, ganeo, damnoſus. Mox ergo, quid ſi & mihi talis obtingat, ait, filius? tum ego illum profectò ſic humi applaudam, & pedibus conteram. Hæc iratus, & *oui* oblitus, dum dicit, *ouum* ipſum cum dicto in terram allidit, vnóque iactu, *oui*, gallinæ, *ouorũ*, gallinarum, ouium, boum, agrorum, villarumq; omnium iacturam facit; nec ſecus laceratis crinibus, lamentatur, quàm ſi hæc omnia iam, cum *ouo*, in manu habuiſſet.

Similem rem de Eremicola ſcriptam, polito III. epigrammate comprehendit Iac. Bidermannus noſter editione poſtrema: & paſſim narrant veterum Patrum hiſtoriæ de olla mellis perdita, ictu bacilli. Scribit Spartianus, *eo tempore, quo natus eſt Antoninus Geta* (verba ſunt Puteani *or. 20.*) *gallinam in aula, ſiue olla ouum peperiſſe purpureum; quod cum allatum Baſſianus frater eius, adhuc paruulus, acciperet, & quaſi ludens applosum ad terram frangeret, Iuliam matrem in hac verba iocatam*, Maledicte parricida, fratrem tuum occidiſti. *Ac ſanè occidit poſtea; vt velut diuinitus emiſſam putes augurantis, non ludentis vocem.* Spes ergo vana in *ouo*, & quidquid cum *ouo* frangitur, vt ferè ſpes humanæ.

IV. Quid enim non ſperant mortales? quos non honores, quas opes ſibi non promittunt? quæ regna, quæ ſceptra non ſomniant? quæ non cogitant ſecula? *Ecce nunc, qui dicitis: Hodie, aut craſtino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus; qui ignoratis, quid erit in craſtino. Quæ eſt enim vita veſtra? vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Iac. 4. 13.* Quo citiùs ſpes omnes mortalium franguntur. Vt neque confidendum ſit *in principibus, in filijs hominum, Pſal. 145. 3.* & ſæpe, qui his nititur, baculo arundineo nitatur. *4. Reg. 18. 21.*

V. Audi apud improbum ſcriptorem, probè loquentem. *Poſtero die, cum poneremus conſilium, cui nos regioni crederemus, repentè video corpus humanum circumactum leui vertice, ad littus deferri. Subſtiti ergo triſtis, cœpique viuentibus oculis maris fidem inſpicere; &, Hunc fortaſſe, proclamo, in aliqua parte terrarum ſecura expectat vxor: forſitan ignarus tempeſtatis filius: aut patrem vtiq; reliquit aliquem, cui proficiſcens oſculum dedit. Hæc ſunt conſilia mortalium. hæc vota, magnarum cogitationũ. En homo quemadmodũ natat. Adhuc, tanquam ignotũ deflebam, cum inuiolatũ os fluctus conuertit in terram, agnouiq; terribilem paulo ante, & implacabilem Licam pedibus meis penè ſubiectum. Non tenui igitur diutiùs lachrymas, immo percuſſi ſemel iterúmque manu pectus: &, Vbi nunc*

eſt,

eſt, inquam, iracundia? vbi impotentia tua? nempe piſcibus belluiſq́; expoſitus es; & qui paulo ante iactabas vires imperij tui, de tam magna naue, ne tabulam quidem naufragus habes. Ite nunc mortales, & magnis cogitationibus pectora implete. Ite cauti, & opes fraudibus captas per mille annos diſponite. Nempe hic proxima luce patrimonij ſui rationes inſpexit: nempe diem etiam, quo venturus eſſet in patriam, animo ſuo finxit. Dij deæq́;, quàm longè à deſtinatione ſua iacet! Sed non ſola mortalibus maria hanc fidem præſtant. Illum bellantem arma decipiunt: illum diis vota reddentem penatum ſuorũ ruina ſepelit: ille vehiculo lapſus properantem ſpiritum excuſſit. Cibus auidum ſtrangulauit, abſtinentem frugalitas. Si bene calculum ponas, vbique naufragium eſt. At enim fluctibus obruto non contigit ſepultura? Tanquam interſit periturum corpus quæ ratio conſumat, ignis, an fluctus, an mora. Quidquid feceris, omnia hæc eodem ventura ſunt.

Hæc in ſpes humanas Petronianum Satyricon, quæ meritò doceant, NON SIC OVANDVM. VI.
Spem certam qui optat, diuinam arripiat, illa neminem fallit; ſed illud etiam atque etiam ſecum perpendat, aliud eſſe ſpem, aliud præſumptionẽ. Hæc ſine alis volare, ſine ſemente metere cogitat; illa ſcit, Deos ſudoribus omnia vendere. Quare in ore ſemper habet illud:

Nolo, quod cupio, ſtatim tenere,
Nec victoria mi placet parata.

Ova ſerpentum fota, beneficia ſunt ingratis, & impijs collata, & charitas maleficijs compenſata.

EMBLEMA LXVIII.

SÆPE NOCET PRODESSE MALIS.



I. NAtura, quæ ſæpe homini in beſtijs monſtrat virtutem, ciconias erudiuit, vt parentes ſenio confectos, & iam ſeminudos, defluentibus plumis penniſque, ſuccollando portent, ac ſuarum beneficio alarum ſuſtentent, teſte Plinio *l. 10. c. 23.* Ex qua re Græcis prouerbium natum eſt: *Antipelargiam ſerua.* Eadem natura vitiorum quoq; fœdam imaginem in multis feris exhibuit, vt tædium faceret aſpicienti. Quid enim vel nomine viperæ

dete-

deteſtabilius? Illa multos parit fœtus, vſque ad viginti; ſed ſenſim eos enititur, ſcilicet *ſingulis diebus ſingulos. Itaque ceteri tarditatis impatientes perrumpunt latera, occiſa parente*, ait Plinius *lib. 10. c. 62.* Quare *S. Gregorio lib. 15. Moral. c. 9.* teſte, *vipera, quòd vi pariat, nominatur.* Nam etſi non ita certum ſit, viperam ex *ouis* illis fœtus, in vtero, excludere, quod affirmat Plinius, & Ælian. *l. 1. de animal. c. 24.* negat Ariſtoteles *lib. 5. hiſt. animal. c. 5.* & licet Aldrouandus neget, viperam à fœtu enecari; eſt tamen is communis ſenſus & ſermo, cui ſeſe ſacra ſolet ſcriptura conformare. In qua apud Iſa. *59. 5. ouis aſpidum* incubans, eáque viuificans ac *rumpens*, à fœtu erumpente dicitur lethaliter morderi; dum *quod confotum eſt, erumpit in regulum.*

Itaque & gallina, quæ *oua* vel aſpidis, vel viperæ calefacit, mortem ſuam excludit; & homo, qui ſerpentem in ſinu fouet, nunquam ſecurus dormiet. Malus hoſpes malam poſt ſe relinquit mercedem. Et quidem ſæpe neceſſe eſt benefacere malis, à quibus ſi malæ gratiæ referuntur, merces tamen, apud Deum, non perditur. Non rarò tamen magnus delectus habendus eſt. Nam SÆPE NOCET PRODESSE MALIS. *quibus cum beneficeris, peiores fiunt*: quippe tuis te beneficijs oppugnant: vt dici tibi queat illud: *Octipedem excitas: Tuo laqueo captus es:* II.

Tuo gladio iugularis. Quod Trebellius Pollio narrat, Mario contigiſſe, vni è triginta tyrannis. Interemptus eſt enim à milite, qui eum adoriens dixit: *Hic eſt gladius, quem ipſe feciſti.* Quippe Marius, ante imperium faber ferrarius fuerat, eiuſdemq; militis opera in officina fabrili vſus. Meritò proinde vſurpare poterat, illud Ouidianum:

Heu patior telis vulnera facta meis!

III. Quoties parentes à filijs, magiſtri à proprijs diſcipulis, ijs ipſis opibus, quas dederunt; vel ſcientijs, quas docuerunt, impugnantur? vt, ſicut *ſentiebat Hannibal ſuis ſe artibus peti*, apud Liuium *l.2. de ſecundo bello Punico*, ita iſti ſentiant, ſuis ſe vel diuitijs, vel inſtructione peti. Acerba ſunt vulnera ab ijs inflicta, à quibus tu vulnera ipſe auertiſti. *Si inimicus meus maledixiſſet mihi*, ait *Pſal.54.13. ſuſtinuiſſem vtique. Et ſi is, qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet; abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus: qui ſimul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulauimus cum conſenſu.* Sunt ergo vulnera ab inimico inflicta, vulnera gladio facta, & ideò tolerabiliora, quia expectata. At ſi is, cui benefeceris, ferrum ſuum vulnuſque ingrati animi crimine, velut vipereo felle, linit, lethale cenſetur, quidquid ſentitur. Danda ergo opera eſt ſedulò, ne homines impro-

probi promoueantur, qui euerſuri ſunt promotorem ſuum.

Doctè Gabriel Faernus Cremonenſis in Gallinæ & Hirundinis fabula (quam ſoluta oratione etiam refert Vlyſſes Aldrou. *tom. 2. ornith. l. 24.*) ait, IV.

Gallina cum ſerpentis oua nacta eſſet,
Ea diligenter fouit, atque ab ijs fœtus
Excluſit. Id prateruolans eà fortè
Hirundo conſpicata, cur, ait, demens
Hos alere tendis, qui vbi adoleuerint, abs te,
Tuóque capite iniuriam auſpicabuntur?

Rectè hi tales ſerpentibus comparantur. Fecit id & Tiberius, qui, apud Suetonium *in Caligula c. 11.* de Caligula aiebat, *exitio ſuo Caium viuere*, &, *ſe natricem populo Romano, Phaëtontem orbi terrarum educare.* Nec vllum nomen tam eſt infauſtum, quo ingratus non ſit dignus. Nam iuxta Publij Mimi dictum: *Dixeris maledicta cuncta, ſi ingratum dixeris.* Ergo beſtiæ ſunt, immo & beſtijs peiores, qui bona accipiunt, & mala reddunt. Nam, teſte Seneca *l. 1. de benefic. c. 3. officia etiam feræ ſentiunt. Nec vllum tam immanſuetum animal eſt, quod non cura mitiget, & in amorem ſui vertat. Leonum ora à magiſtris impunè tractantur.*

Quod conſtat exemplo Geraſimi, apud Sophronium *in Prat. ſpir. c. 107.* cui ob euulſam V.

Digitized by Google

ſibi è pede ſpinam leo vſque ad mortem ſeruiuit, & cuius mortem rugitu ingenti, ſepulchrũ propria morte honeſtauit; defuncti enim tumulo incubuit, donec & ipſe defungeretur. Simile ferè eſt de leone Androdi, ſiue Androcli, apud Gellium *l. 5*. & apud Matthæum Paridem *in hiſt. Anglicana pag. 241*. In qua hiſtoria vltima, non ſolùm leo è ſcrobe, ſed etiam immanis ſerpens liberatus gratum ſe oſtendit liberatori, gemma precioſiſſima allata, cum interim Vitalis ex eadẽ fouea extractus, ingratus exiſteret. Quare non iam alijs beſtijs, ſed ipſis quoque ſerpentibus ſæpè ſatius eſt prodeſſe, quàm hominibus improbis: qui plerumque malam gratiam, pro bona, reponunt: quia nec ipſi boni. Si boni eſſent, gallinam imitarentur, quæ, vt eſt apud Putean. *or. 20. refundit gratiam, quia alitur: & quod nullum agit brutum, ſe, & ſpem quoque ſtirpis impendit. Paucula quotidie grana ſiue hordei, ſiue auenæ accipit, aut panis miculas, & magnam reddit partem ſui; id, inquam, quod ſatis nunquam laudem: reddit cibum, & ſimul delicium, ferculum & pharmacum, deductum velut cælo cerebrum Iouis*. Præſtat ergo alere gallinam, quàm hydram, & auis, quàm ſerpentis *oua* fouere.

Oua venenati quicunque excluſerit anguis,
Quid ſperare poteſt? virus, & exitium.

Odium

Odium charitati aduerſum, in fractis aquilæ ouis, repræſentat ſcarabæus.

EMBLEMA LXIX.

QVANTVLVS HEV QVANTO SÆPE NOCERE POTEST?



LEpus, vt fabulatur Æſopus *fab. 2.* & eſt *in* 1. *vita eius* (cuius fabulæ etiam Ariſtophanes meminit) *quẽ Aquila inſequebatur, ad Scarabæi lamulam confugit, & illius auxilium implorauit. Sacrabæus petit ab Aquila, vt parcat ſupplici, perq; ſummum Iouem obteſtatur, ne deſpiciat paruitatem ſuam; at illa profligato Scarabæo raptum leporem deuorat. Quam auolantem aſſectatur Scarabæus, vt cognoſceret, quo illa loco nidificaret, ac mox occaſionem nactus, de nido aquilæ omnia oua, quæ* *in-*

inerant, deuoluit per petrarum præcipitia. Aquila, re comperta, authori doloris ſui valde irata, nidum extruxit in multò magis arduis rupibus, & in illo parit oua, ſed ſimili euentu. Tum inops conſilij ad Iouem aduolat, cuius propria auis eſſe perhibetur, & teſteam faturam, in gremio illius deponit, orans atque obſecrans, vt tutam præſtaret. At Scarabæus globulum ſterquilinij eodem deijcit. Quem excuſſurus Iupiter, laxata veſte, oua aquilæ effundit, quæ inflicta pauimento æreo facilè comminuuntur. Cum autem de Scarabæo intellexiſſet, quòd ab Aquila factam iniuriam ſibi hac voluiſſet ratione vindicare, quòd ſtatueret, non ſolùm Scarabæum, ſed etiam ſuum Numen ab Aquila læſum, atque violatum eſſe, reuerſam illam grauiter obiurgauit, & indicauit ei auctorem malorum, quæ paſſa eſſet. Cum tamen genus Aquilarum funditus interire nollet, Scarabæum ad gratiam cum Aquila reconciliandam adducere tentat; quo vehemēter refragante, Aquila tum partum transtulit ex eo tempore in aliud, quo Scarabæi non apparerent.

II. Scilicet non eſt panthera tantùm hyænæ inimica, & nemo tam vilis eſt, qui contemnatur impunè, ac vel pauper opportunitatem exſpectat, quæritque vindictam, atque potentioris injuriâ laceſſitus, illud prouerbium vſurpat: *Aquilæ Scarabæus ero obſtetrix*. Itaque ſapienter *in Mimis* Publius ait:

Ini-

Inimicum quamuis humilem, docti eſt metuere. III.
Sæpe audaciores ſunt, quibus nihil eſt, quod perdant vindicando. Braſidæ, cum eum ficus legentem ſorex momordiſſet, illud celebratur: *O bone Iuppiter, nullum eſt tam minutum animal, quod ſui defendendi, aut periculum vitandi, cum ſit opus, occaſiones non perquirat.* Id adeò cauſſæ eſt, quamobrem licet ſceptro potens *Alexander, Ptolomæi* tamen, vt ſcribit Ælian. *l. 14. var. c. 48. dexteritatem habebat ſuſpectam, Arrii verò turbulentiam, & Pythonis nouarum rerum ſtudium timebat.* Igitur

Non quia ſunt Aquila, Scarabæi crimine tantùm,
Excutit è ſacro Iuppiter oua ſinu.

Tantùm poteſt, profundus ſulcus, & alta mente repoſtum vulnus, odijque machinatio, vt neque in ipſo Iouis gremio ſecuritatem relinquat. Odium è ſinu quodammodo parentis excuſſit Ioſephum *Gen. 37. 8.* quem fratres diligere potiùs debuiſſent. Odium diaboli excuſſit Adamum è Paradiſo, &, ni reſipuiſſet, è cælo. Odium excuſſiſſet propemodum omnes Iudæos è regnis Aſſueri; certè, in auctorem refuſum, Ammanem excuſſit è menſa regis, & dignitate ſumma, vſque in ſummam crucem. *Eſther 14. 13.* Odium fecit, vt Abel à Cain occideretur *1. Io. 3. 11. Hæc eſt annunciatio, quam audiſtis ab initio, vt diligatis alterutrum; non ſicut Cain, qui*

Digitized by Google

ex maligno, & occidit fratrem ſuũ. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera eius maligna erant, fratris autem eius iuſta. Ita plerunque inſidiantur Aquilis Scarabæi, & juſtis iniqui; ſicut murænæ conger: non raró etiam magnis viris putidi, ac infimæ ſortis humunculi; denique Scarabæis pares, quia nigri, quia ſtridore, & fætore moleſti, ob os, & oculos, & aures circumuolitant honeſtorum.

IV. Nec mediocriter tales ſunt ſcelerati. Quisquis proximum ſuum odit, & grauiſſimo ſe ſcelere obſtringit, & Cainum imitatur. Verè enim S. Ephræm *In interrogat. Quemadmodum*, ait, *omnium virtutum excellentiſſima eſt charitas, ita vniuerſorum vitiorum grauiſſimum eſt, odiſſe proximum. Nam qui fratrem ſuum odit, homicida eſt, ſicut ait Apoſtolus. Qui odit fratrem, Deum ipſum odio habet. Qui odit fratrem ſuum in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit, quò vadat, quoniam tenebræ obſcurârunt oculos eius.* Vides quô odium hominem ducat, vſque ad homicidia, vſque ad odium Dei, vt quaſi cum Scarabæo aſcendat ad ipſum gremium Iouis (in quo is fouetur, quem odium petit) contaminandum.

V. S. Ambroſium *precatione. 2. ad Miſſam* audi: *De inuidia odium, ſuſurratio, detractio, exultatio in aduerſis proximi, afflictio autem in proſperis eius propagatur. O mala progenies, quæ ſi animo intromiſſa domi-*

dominari cœperit, omnem ſanctitatis ſobolem extinguit. Qui itaque inuidet, vel odit, non alium priùs quàm ſe ipſum occidit. Qui exultat in aduerſis proximi, & affligitur in proſperis eius, alieno proximũ, ſe ſuo petit gladio. Hoc ſecundum ſuperbiæ virgultũ, tunc primùm fuit exortum, cum ille de quo ſcriptum eſt (Sap. 2. 24.) Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum, Cain perſuaſit, vt liuoris odio fraternum funderet ſanguinem.

Itaque odium non ſolùm proximo nocet, ſed Deum in proximo petit, ſed ipſum quoque occidit oſorem. Non occidat? cum charitatem illi, quæ vita eſt ſpiritualis, & omnes actiones vitales auferat? & ipſum diabolum mortis auctorem inferat? S. Baſil. *Serm. de inſtit. monachor: Vbi deliquium patitur charitas, eò prorſus, eius loco odium ſuccedit. Quod ſi vt Ioannes (1. ep. 4. 9.) ait, Deus charitas eſt, ſine dubio neceſſe eſt diabolum odium eſſe, vt igitur, qui charitatem habet, is Deum habet, ſic qui odium habet, diabolum in ſe nutrit.* VI.

Quæ igitur opera à tali ſperes? nullis poteſt vti ſacramentis, immo neq; orationem quidem Dominicam poteſt ſine mendacio recitare, nec munus ante altare offerre, *Matth. 5. 23.* nec veniam à Deo offenſo ſperare, quam ipſe negat inimico *Matth. 6. 15.* nec juſtitiæ perfectionem habere, quam Deus in fratris dilectione poſuit, VII.

teſte

teſte S. Aug. *l. 8. de Trin. c. 8.* Qui *lib. 50. homil. hom. 42.* ait: *Quid eſt ira? libido vindictæ. Quid odium? ira inueterata ſi facta, iam odium dicitur. Quod videtur confiteri ille, qui cum dixiſſet turbatus eſt, præ ira oculus meus, addidit, inueterani in omnibus inimicis meis. Quod erat ira, cum erat noua, odium factum eſt, quia in vetuſtatem conuerſum. Ira feſtuca eſt, odium trabs eſt. Aliquando reprehendimus iraſcentem, & odium tenemus in corde, & dicit nobis Chriſtus. Feſtucam in oculo fratris tui vides, & trabem in oculo tuo non vides? Vnde creuit feſtuca, vt trabem faceret? quia non ſtatim euulſa eſt.* Aliter fecit fratribus ſuis Ioſeph, perſecutoribus Dauid, lapidatoribus Stephanus, qui læſi lædentibus benefecerunt, quia non ſcarabæi, ſed aquilæ fuerunt, Deum ſcilicet ipſum in proximo etiam lædente intuentes. Quod quia tam multi non faciunt, diuinorum obliti, origine viles, deſperatorum conſiliorum authores; idcirco

Ah quoties Aquilam ſcarabæus perdere tentat!
Non faceret, ſi non perditus ipſe foret.

Im-

Imprudentia, per anſeres ovis parien-
dis ſe rumpentes, adumbrata.

EMBLEMA LXX.

NIL EGO SOLLICITOR: SI VIVERE DESIIT ANTE, QVAM PARERE, O FILI, NON OLOR, ANSER ERAT.



ANſeribus *oua ſiquis ſurripiat, pariunt, donec* 1.
rumpantur. Aliena non excludunt. ait Plin. *l. 10. c. 59.* Et ibidem: *Pullis eorum vrtica contactu mortifera, nec minus auiditas, nunc ſatietate nimia; nunc ſuamet vi: quando apprehenſa radice, morſu ſæpe conantes auellere, antè colla ſua abrumpunt.* Nempe nimius in omni re conatus, noxius eſt; qui quidem in pijs rebus rarò eſt, in

rebus autem ad carnem, aut ſeculum pertinentibus, ferè ſemper eſt. Quid non fit ſtripis ac poſteritatis cauſſa? ad quæ remedia non curritur? Nec anſeres tantùm, multæ etiam mulieres *pariunt, donec rumpantur*: pariunt enim iniquitatem, & inuidia rumpuntur. Quidquid vident vel in moribus alienis magnificum, vel in veſtibus tumidum, vel in delicijs cibi ſumtuoſum, id cõtinuò exiſtimant pullis ſuis deberi. Quare per fas & nefas, equis & quadrigis id accerſunt. Ita nihil laboris piget, dummodo ſua *oua* foueant. *Aliena non excludunt*. Quid dico? ne alunt quidem, aut fruſtillo panis pauperes juuant, quę cum inopem ante fores audiunt, pro ſtipe rogantem, perinde gaudent, ac ſi tigris tympanum audiret: quin ſæpe, vt abundent, etiam illicitis queſtibus, & vendita pudicitia opuleſcunt, de hæreditate iniqua ſollicitæ antè, quàm ſciant ſe hæredem habituras.

11. Hæc eſt prudentia carnis, vrticæ, & omnibus vrentibus carnémque mortificantibus inimica. Sed eodem recurrens, vnde fugit. Nam carnem necat, dum ſaginat, auiditate veneno inhians, & letho ſatietate. Quis ergo jure prudentiam hanc non appellet imprudentiam? Cum alioquin etiam vniuersè quiſquis peccat, contra judicium prudentiæ peccet, vt docet S. Thomas 2. 2, *q*. 53. ſicut & quodlibet laudabile

le opus, non, niſi prudenti judicio, peragitur. Sanè prudentis monitum eſt: *Ne quid nimis.* Et teſte Horatio *l. 1. Sat. 1.*

Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines, III.
Quos vltra citraq; nequit conſiſtere rectum.

Nempe quoties etiam in bono opere vel excedis, vel deficis, à recto deficis; cum in ipſo quoque recto nimium non ſit rectum. Deficis autem 1. ſi *præcipitas*, cum prima prudentiæ regula ſit, vt antè, quàm opus aggrediaris, vel judicium feras, deliberes de *mediis*, *modo*, *ordine exequendi*, *cauendiſq; impedimentis.* Si ergo, præfixo fine, ſtatim, ad opus, te accingis, in leges prudentiæ, & contra *conſilium* peccas, Coræbo ſtultior. 2. Si, prætermiſſa diligenti inſpectione, judicas, *inconſideratione* contra *iudicium* peccas, Mammachuta, & Sanna amentior. Eſt enim altera prudentiæ regula, vt rem de qua judicandum eſt, eiúſque circumſtantias diligenter expendas.

Quod non fecit ille, de quo Antonius Laubegeois *in Epitome Hellados. pag. 65.* ita ſcribit: IV.
Nautam quendam ſubiit deſiderium agriculturæ. Linteum itaque neglectum expandit accommodatum aratro, & vomeri, & adiutorem Deum ſolicitè præſtolabatur. Non promouente verò quidquam vomere, indignabatur. Accedens quiſpiam: O amice, bobus opus eſt, Quomodo igitur, ait, paulo antè ma-

nè, afflante Subſolano in nauigiolum meum non valido, onus graue vehens bellè vehebar ? Sanè. Verùm, ô Portitor, hic alia quapiam re, præterquam vento, inſuper opus eſt.

V. 3. Quia prudentiæ officium eſt, vt rebus deliberatis, & rectè judicatis, conſtanter inhæreas, neque te ſinas, velut *arundinem, vento agitari*, & ob leues ratiunculas à propoſito dimoueri; ideò *inconſtantiâ a iudicii firmitate* deficis, ſi vel nulla, vel certè juſta cauſſa ſententiam mutas, & Vertumnum agis. 4. Exigit prudentia, vt rem deliberatam opportuno tempore agas; quod per *negligentiam* cum non fit, in prudentiæ leges, contra *rationis vigilantiam*, delinquitur. Non eſt autem hîc ſermo de negligentia, quæ eſt omiſſio diligentiæ requiſitæ, in externo opere (ſic enim non repugnat directè prudentiæ, ſed illi virtuti, in cuius materia verſatur) ſed quæ eſt omiſſio diligentiæ requiſitæ in intellectu excitante ac dirigente voluntatem, viréſque externas ad executionem.

VI. Facilè hæc foret omnia oſtendere, in anſeris emblemate: ſed eo magis indicantur exceſſus prudentiæ, qua etſi anſer omni careat, non caret tamen exceſſu, ſeu potius quadam ſpecie, ac imagine excedentis prudentiæ. Cuius exceſſus apud S. Thomam ſex ſunt modi; hîc ſufficiat commemorare: *prudentiam* ſcilicet carnis; qua

quis

quis viuit & ſapit ſecundùm carnem, ſequitúrq; naturæ corruptæ motus, atque excogitat idonea media, ad opera carnis complenda, quæ ſunt *fornicatio, immunditia, impudicitia &c.* quæ Apoſtolus recenſet *Gal. 5.* Vt enim quæuis virtus ſuam habet prudentiam, qua, tanquam regula, in ſuis functionibus dirigatur, vt opus ſuum honeſtum faciat; ita quoduis vitium ſua quadam falſa prudentia dirigitur ad obtinendum honorem, opes, aut bonum delectabile, quod eſt eius finis.

Porrò non opus eſt, vt huius falſæ prudentiæ iudicio inſit error, atque ea falſitas, quaſi media, quæ eligit, non ſint idonea ad finem, vel vt iudicet, illa abſolutè eſſe bona; ſed ſufficit, quòd iudicium tale ſit cauſſa prauæ electionis; aut quòd non ſit conſentaneum appetitui recto: idcirco enim tale iudicium practicè falſum appellatur, eſto ſpeculatiuè verum ſit. Quanquam ſæpe etiam ſpeculatiuè erret: *qualis enim quisque eſt, ita iudicat*, teſte Philoſopho. Hinc frequenter noxia appetuntur. Atque vt anſerem videas, donec rumpatur parientem, ſicut prudentia *ſpiritus vita & pax eſt*, ita *ſapere ſecundùm carnem mors eſt. Rom. 8.* Neque animæ tantùm mors eſt, ſed non raró corporis quoque: alij enim nimia auiditate, alij nimia pereunt ſatietate. Denique audi, quò imprudens hæc car- VII.

nis prudentia ducat, *propter crapulam multi obierunt*, ait *Eccli. 37. 34.* Itaque hi tales ſaginantur, ſed, præ nimia mentis cæcitate, neſciunt ſe, more gladiatorum, ad mortem ſaginari. Ad quem modum etiam obcæcatæ acu gallinæ, capique, ceteræq; volucres mirificè pingueſcunt, tanto citiùs ad culinam, & cacabum, & ignem venturæ, quantò celeriùs pingueſcunt. Sed non abſterrent voluptati mancipatos ſupplicia; magis extimulant, vt quoad poſſunt, voluptuentur. Hinc ſibi illud Horatij Epicureum *l. 4. carm. od. 12.* aſſiduè canunt mutuò, vt inuitent ad curas eluendas, poculis tingendos amicos.

Verùm pone moras, & ſtudium lucri,
Nigrorúmque memor, dum licet, ignium,
Miſce ſtultitiam conſiliis breuem:
Dulce eſt deſipere in loco.

Stul-

Digitized by Google

Stulta ſæculi ſcipſum decipientis aſtutia, immo ignorantia in ovo pullifero reprehenſa.

EMBLEMA LXXI.

NIL OPVS EST FRAVDEM TEGERE, TEGE SIMPLICITATEM.



D*Vo adoleſcentes in diuerſorium ſumendi cibi gratia ſe receperunt*, ait Othmarus Liſcinius *In Sali. cap. 128. Ex his, qui erat iunior, ouum in menſam allatum aperiens, pullum propemodum iam fœtura abſolutũ reperit. Quem cum Sodali oſtendiſſet, ſubmonuit ille, clanculum abſorberet, ne hoſpiti, ſi reſciret, decuplum ſoluere cogeretur. Paruit iuuenis; & cum ratio ſumtuum expoſceretur ſenior alteri ſuſurrauit in aurem: Ne graue-* I.

tis hoſpiti pro me, quod debeo numerare, alioqui prodam te de deuorato pullo, & exſolues decuplum.

II. In contrarium penè alius *ouum* pullo fœtum exiſtimans culinæ artibus deceptus, parum abfuit, vt abijceret. Arbitri, *in Satyrico*, verba ſunt. *Repoſitorium allatum eſt cum corbe, in qua gallina erat lignea patentibus in orbem alis, quales eſſe ſolent, quæ incumbunt oua. Acceßêre continuò duo ſerui, &, ſymphonia ſtrepente, ſcrutari paleam cœperunt, erutáq; ſubinde pauonina oua diuisêre conuiuis. Conuertit ad hanc cœnam vultum Trimalcio: &, Amici, ait, pauonis oua gallinæ iuſſi ſupponi. Et mehercule, timeo, ne iam concepta ſint, tentemus tamen, ſi adhuc ſorbilia ſunt? Accipimus nos cochlearia, non minùs ſex libras pendentia, ouáque ex farina pingui figurata pertundimus. Ego quidem penè proieci partem meam: nam videbatur mihi in pullum cöiſſe. Deinde, vt audiui veterem conuiuam, Hic neſcio quid boni debet eſſe, perſecutus putamen manu, pinguiſſimam ficedulam inueni piperato vitellio piperatam.* O albam hominum mentem albis dentibus ridendam?

III. Contrarijs erroribus dicunt *malum bonum, & bonum malum. Iſa. 5. 20.* Nam prorſus bono numero ſunt, qui ſua ſimplicitate ſe percutiunt, non pauci huic vtrique perſimiles; nam ea ipſa in re, qua aquilæ eſſe volunt, talpa fiunt cæciores. Dum enim naſum rhinocerotis ſe habere pu-

putant, longiorem habent; nempe tricubitalem. Plerumque verſipelles tandem ſua ſe ſica vulnerant, proprióque hamo induunt, dum alijs malum meditantur. Adoleſcentes iſti auarè guloſi, non cauponem, ſed in gratiam ventris ventrem, & ſuum etiam genium deceperunt. Deus enim eſt, *qui diſſipat, cogitationes malignorum, ne poſſint implere manus eorum, quod cœperant. Qui apprehendit ſapientes, in aſtutia eorum, & conſiliũ prauorum diſsipat. Per diem incurrent tenebras & quaſi in nocte, ſic palpabunt in meridie. Iob. 5. 12.*

Eſt hic alter, poſt prudentiam carnis, veræ prudentiæ exceſſus, vt deſipiant, qui volunt eſſe nimis prudentes, & in meridie cæcutiant, dum ſutelas & aſtuta verba componunt, per propriũ iugulum reditura. Tametſi enim Aſtutia generatim, eſt ratio aliquid agendi modo occulto, quo ſenſu Ariſtoteli *1. Magn. Mor. c. vlt.* omnis prudens eſt aſtutus, licet non viciſſim omnis aſtutus ſit prudens: tamen peculiari modo aſtutia ſumi ſolet, pro notitia prauorum mediorum ad fallendum idoneorum, cum affectu ea exequendi coniuncta. Hæc aſtutia, teſte S. Auguſtino *l. 4. contra Iulianum c. 3. prudentia ſimilis*, ab Apoſtolo prohibetur. *2. Cor. 4.* Haud rarò tamen in caput auctoris recidit, vt *incidat in foueam*; qui eam *fecit Pſal. 7. 16.* Ita quæ aſtutia putatur, paracope eſt. Luculentum exemplum IV.

traditur, in conſilio, quod dedit Achitophel. *4. Reg. 17. 23.*

V. Aſtutiæ ſociatur dolus, tanquam executio illius, ſeu verbo, ſeu opere facta. Nullus enim committitur dolus, niſi erga proximum, ac præſertim in rebus ad iuſtitiam ſpectantibus. Hinc non multùm à dolo differt fraus, quæ eſt executio aſtutiæ per facta, vt cum eſt, vel putatur hoſpitij, aut cibi precium minus iuſto, & tamen loco iuſti precij perſoluitur. Eſt enim fraus externus iniuſtitiæ actus. Et quia *fraus, & dolus nemini debet patrocinari*, etiam in foro externo, vt habetur, *cap. Ex tenore. de Reſcriptis.* multò minùs ſolet patrocinari in foro interno; ſiue *fraus* fiat *contra legem* (ſeu contra id, quod lege præcipitur, vel vetatur) abſque colore & artificio, quo violatio illa tegatur: ſiue fiat *ipſi legi, fraus*, qua ita, eóque artificio contra mentem legis agitur, vt is, qui agit, nihil legi aduerſum committere videatur: ſéque pallio quodam iuſtitiæ tegat: vt cum coniunx volens donationem facere coniugi (quod lege prohibetur) ſubſtituit aliam perſonam, cui donat, cum onere transferendi in coniugem; aut cum beneficiarius ſpecie gratitudinis ſoluit mille Philippæos ei à quo beneficium accepit.

VI. Noluit talem gratitudinem Propheta Eliſæus, at eius famulus Giezi, quia non modo non re-

pu-

pudiauit,ſed etiam auarè clanculóque popoſcit, vnà cum veſtibus Naaman,etiam leprā Naaman accepit. *4. Reg. 5. 27.* Quid profuit aſtutia & fraudulentè ſepultum ſpolium Achan,niſi vt & ipſe lapidibus obrutus ſepeliretur? *Ioſ.7.* Quanta erat machinatio Iezabelis,vt vinea potiretur aliena? Obtinuit ſanè vineam, ſed & illam canes, qui eam in plateas proiectam deuorauerunt, Cerebro interea animam illius lacerante. *3. Reg. 9.* Aſtutè & perfida fraudulentia Iudas peculium ſubduxit; quin & totius Mundi theſaurum 30. argenteis vendidit ſceleratus plagiarius. Quo lucrò? tandem & ipſe de arbore pendulus, velut turgidum marſupium crepuit,& viſcera,velut numiſmata, prodigè effudit,vt compenſaret,quod auarè collegerat. Callidè de precio agri decerpſerant duo coniuges miſerandi Ananias & Saphira. *Act.5.* Sed quanti ea fraus ſtetit? morte repentina extincti ſimul & mendacium, & furtum luerunt.

Hoc ſi perpenderent, quicunque iniquis inuentionibus volunt diuites fieri, ſæpe manus abſtinerent. Neq; enim tantùm lucra vera iniquis lucris iugulantur; ſed longè grauiora incommoda à Deo emuntur. Vt proinde reuera poſſit *ſtulta* vocari *Mundi ſapientia*; quæ deſultoriè exorbitat; & à tibia,quod dicitur,exerrat. Falces petit, nec ligones accipit. Iamque non VII.

pul-

pullum,ſed embryonem pro *ouo* deuorat. Cumque amentiſſimè egit, exiſtimat ſe maximè ſapuiſſe; vt bis deliret, & agendo ſcilicet,& iudicando. Vt ergo *virtus eſt vitium fugere*, ita verè *ſapientia prima*, *Stultitiâ caruiſſe.* Horat. *l.1. epiſt. 1.* quæ cum nulli proſit, ſibi nocet maximè.

Nemo tam ſimplex, neque tam maligno
Sidere eſt natus, rigidóque cælo;
Quàm ſuo qui ſe miſerandus ipſum
Decipit aſtu.

Ovum

Digitized by Google

Ovum avi, diſcipulum præceptori parem eſſe, & ab eo callidam iniquitatem trahere.

EMBLEMA LXXII.

MALVS CORVVS, MALVM OVVM.



A. Gellius *Noct. Attic. lib. 5. c. 10.* vbi agit de argumentis reciprocis, quæ referri contra conuertique in eum poſſunt, à quo dicta ſunt, addit illud, *quo Protagoram Sophiſtarum acerrimum vſum eſſe ferunt aduerſus Euathlum diſcipulum ſuum. Lis namque, inter eos, & controuerſia ſuper pacta mercede hac fuit. Euathlus adoleſcens diues, eloquentiæ diſcendæ, cauſarumq́ue orandi cupidus fuit. Is in diſciplinam Protagoræ ſe dedit; daturumq́ue promiſit grandem pecuniam,* 1.

Digitized by Google

niam, quantam Protagoras petiuerat: dimidiumq́ eius dedit iam tunc ſtatim, priusquàm diſceret. Pepigitq́, vt reliquum dimidium daret, quo primo die cauſſam, apud Iudices, oraſſet, & viciſſet. Poſtea cum diutulè auditor, aſſectatorq́ Protagoræ fuiſſet, & in ſtudio quidem facundiæ abunde promouiſſet: cauſas tamen non reciperet: tempusq́ iam longum tranſcurreret, & facere id videretur, ne reliquum mercedis daret: capit conſilium Protagoras, vt tum exiſtimabat aſtutum. Petere inſtitit ex pacto mercedem. Litem cum Euathlo conteſtatur, & cum ad iudices conijciendæ, conſiſtendæq́ cauſæ gratia veniſſet: tum Protagoras ſic exorſus eſt.

II. *Diſce, inquit, ſtultiſſime adoleſcens, vtroque id modo fore vti reddas, quod peto, ſiue contra te pronunciatum erit: ſiue pro te. Nam ſi contra te lis data erit: merces mihi ex ſententia debebitur: quia ego vicero. Sin verò ſecundùm te iudicatum erit: merces mihi ex pacto debebitur; quia tu viceris. Ad ea reſpondit Euathlus. Potui, inquit, huic tuæ tam ancipiti captioni iſſe obuiam: ſi verba non ipſe facerem: ſed alio patrono vterer; ſed magis mihi in iſta victoria proludium eſt, cum te non in cauſa tantùm, ſed in argumento quoque iſto vinco. Diſce igitur tu quoq́, Magiſter ſapientiſſime, vtroque modo fieri, vti non reddam, quod petis, ſiue contra me pronunciatum fuerit, ſiue pro me. Nam ſi iudices pro cauſa mea ſenſerint, nihil tibi ex ſententia debebitur: quia ego vice-*

vicero; ſin contra me pronunciauerint, nihil tibi ex pacto debebo, quia ego non vicero. Tum iudices dubioſum hoc, inexſpectabileq́, quod vtrinque dicebatur, rati, ne ſententia ſua vtramuis in partem dicta eſſet, ipſa ſeſe reſcinderet: rem iniudicatam reliquerunt, cauſamq́ in diem longiſſimum diſtulerunt. Sic ab adoleſcente diſcipulo Magiſter diſciplina eloquentiæ inclytus, ſuo ſibi argumento confutatus eſt, & captionis verſutæ excogitatæ fruſtratus fuit. Idem narrat L. Apul. *in Florid.*

Quid verò judices? an non optimo jure hoc ſaltem ſententiæ vice pronunciare debuerunt, ait adagiorum Collector *Chil. 1. cent. 9.* κακῦ κόρακος κακὸν ὠόν; MALI CORVI MALVM OVVM? Quod alij referunt ad naturam animantis, quæ nec ipſa eſt idonea cibis humanis, nec *ouum* parit ad quidquam vtile. Et ſunt, qui dicant fieri, vt coruorum pulli parentes ipſos deuorent, ſi fortè non paſcant illos ad ſatietatem. Quod multi imitantur parricidæ; multi magiſtris faciunt ingrati diſcipuli. Simile quid S. Caſſiano contigit, quem proprij diſcipuli graphijs confoderunt; ſed bono Magiſtro id à malis diſcipulis cõtigit; ſicut cum quondam, apud Volſcos, malo Magiſtro diſcipuli innocentes in tergum incurſarunt. Multò id crebriùs mali diſcipuli malis Magiſtris faciunt, vt malam mercedem, pro mala doctrina, reponant. Hinc adagij III.

origo

origo ex eo eſt, quod *in Prolegomenis in Hermogenis rhetoricen* legitur, Coracem quendam primum Syracuſis, poſt mortem Heronis, inſtituiſſe artem rhetoricen mercede profiteri. Cum hoc adoleſcens quidam in vtrumque dexter, & in morem Chimæræ, aut cothurni, Proteiúe verſatilis, nomine Tiſias, hac lege, pactus eſt, vt tum demum mercedem perſolueret, vbi jam artem perdidiciſſet. Dein vbi, jam arte cognita, præmium reddere cunctaretur, Corax in jus diſcipulũ vocat. Ibi juuenis ſicut antiquorũ fiſtula eadem grauem & acutũ ſonũ reddere apta, jurat per anſerem, ſe Magiſtro nihil debere. Quare huiuſmodi dilemma proponit. Percontanti, quis eſſet artis finis, vbi Corax reſpondiſſet: *Perſuadere dicendo*: Age, inquit, ſi perſuadeo Iudicibus, me nihil debere, non reddam, quia vici cauſſam; ſin minùs perſuadeo, non reddam, quia non perdidici artem. Hæc cum diſcipulus intorſiſſet, & Magiſter, ad eum modum, quo ſupra è Gellio appoſitum eſt, argumentum retorſiſſet, admirati judices ſucclamarunt: MALVS CORVVS, MALVM OVVM.

IV. Sunt qui id à corona circumſtantium exiſtiment eſſe ſucclamatum. Meritò. Sed & Magiſter mercedem retulit, quam meruit. Quid enim boni expectet homo ab ijs, quos docuit facere mala? Diſcant ex hoc *ouo*, qui quotidie

Mun-

Mundum accuſant de ingrati animi crimine. Vnusquisque alterum toties conſilijs factiſque mala docet, docétque cum coruo crocitare: quid ergo deſiderat, niſi vt ex albo *ouo* niger & ingratus coruus prodeat? cui ſeducto jam nihil candoris, multùm fuliginis inſit, qua & ipſe os alijs ſublinat. Quam gratiam, aut ſinceritatem ab altero expectat, qui eum ipſe docuit Creticè loqui, & politicâ, vt jam vocant, veritate alios decipere? Quid autem, apud diuinum judicem, hos tales maneat præmij, vide mihi in exemplo, quod Petrus Cantor Pariſienſis, & ex eodem Iacobus de Voragine, itemque Petrus de Natalib. *lib. 10. c. 8.* refert.

Magiſter Silo quendam ſuorum diſcipulorum extremè ægrotantem, obteſtatus eſt, vt defunctus ſibi compareret, ſtatumque ſuum exponeret. Moritur æger, effertur mortuus. Poſt aliquot ſoles, adeſt Magiſtro terribili forma. Nam epomis illi de capite in humeros Academicè fluebat, pergameno tamen extra, intus furioſo igne conſtans, quaſi flammis vndantibus ſubſuta eſſet. Ceterùm membrana illa exterior vbique ſophiſmatis inſcripta, ac velut litteris maioribus fimbriata erat. Horruit, aſpecto diſcipulo, Magiſter. Quem diſcipulus compellans ait: Epomis hæc membranacea, magis me premit grauatque, quàm ſi vaſta, mihi aliqua turris V.

ſupra caput impoſita eſſet: Enceladus mihi eſſe videor, & non Ætnam nunc tantùm, ſed & Pelion portare. Hæc merces mea eſt, pro inani gloria, quam de Sophiſmatis captaui, in quibus mihi ipſe nimis placui, nimis plauſi. Flamma verò, quæ huic chlamydi tam egregiæ ſublucet, méque acerbiſſimè lambit identidem, vorátque, pellibus ſucceſſit delicatis ac precioſis, quibus ad ſuperbiam vſque me exornaui. Ac ne leue exiſtimes, quod patior, manum exhibe, & vel vnicam mei ſudoris guttam excipe. Fecit. Sagittam dixiſſes, non guttam illi in manum incidiſſe, ita extemplo eam cum incredibili cruciatu perforauit. Sed longè altiùs in animum, quàm in manum Magiſtri penetrauit; qui altero die orto diſcipulis in ſchola collectis, religionem ingreſſurus, his verſiculis vale dixit:

Linquo coax ranis, cras coruis, vanaq; vanis.
Ad Logicam pergo, quæ mortis non timet Ergo.

Iniu-

Iniuſta exigentium, aut iuſta non red-dentium ingrata auarities, in ovi vitello poſtulato & negato.

EMBLEMA LXXIII.

CVR SPEREM VITVLVM? NON DAS, INGRATE, VITELLVM.



QVam ex Chryſippo lib. de orac. Suidas 1.
hiſtoriam refert, eam Cicero lib. 2. de diuin. his verbis narrat. *Defert ad coniectorem quidam, ſomniaſſe ſe, ouum pendere ex faſcia lecti ſui cubicularis. Reſpondit coniector, theſaurum defoſſum eſſe ſub lecto. fodit. inuenit auri aliquantum, idq; circumdatum argento. miſit coniectori quantum viſum eſt de argento. Tum ille,* NIHILNE DE VITELLO? *id enim ex ouo videbatur aurum*

declaraſſe: reliquum argentum. Vtroque verſum vſurpari hoc poteſt. Multi cum coniectore nimis petunt multùm, nec vlla compenſatione ſatiantur. Lepidè Accius: *Nihil credo auguribus, qui aures verbis diuitant alienas, ſuas vt auro locupletent domos. Prou. 30. 15. Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, dicentes: Affer, Affer.* Et auaritia pecuniæque cupiditas eſt *ignis*, qui *nunquam dicit: Sufficit.* Nam vel Saluſtio teſte, *Auaritia ſtudium pecuniæ habet. Ea quaſi venenis malis imbuta corpus animumq; effeminat. Semper infinita, & inſatiabilis eſt, neque copia, nec inopia minuitur. Neque enim* ait Cic. *in Parad. vnquam expletur, neque ſatiatur, cupiditatis ſitis: neque ſolùm ea quæ habent, libidine augendi cruciantur; ſed amittendi metu.* Pulchrè Seneca *l. de morib. Pecunia non ſatiat auaritiam, ſed irritat.* Et Ariſtoteli *l. 1. Politicor. Deſiderium diuitiarum vadit in infinitum.* Cuius *16. c. 6.* rationem reddit. Certè etſi per acquiſitionem poſſidemus, non tamen acquirimus, vt poſſideamus, ſed vt ijs, quæ poſſidemus, tanquam inſtrumentis vtamur. Hunc finem auari ignorant, hinc nimis ſunt petaces.

II. Pleriqueex eodem fonte ijs amant dare nimis parum, *aut* nihil, à quibus omnia acceperunt. Immo, ſi Iuuenali credimus, *Sartyr. 7. Scire velint omnes, mercedem ſoluere nemo.* Multi quorum auxilio ditati ſunt, eos ipſos deglubũt.

Multi

Digitized by Google

Multi à quibus promoti ſunt, eos de gradu deijciunt. Quàm ingratus fuit optimo ſuo coniectori pincerna ille, cui cum Ioſeph ſomnium tam verè, quàm lætè expoſuiſſet *Gen. 40. 14.* dixit: *Tantùm memento mei, cum bene tibi fuerit, & facias mecum miſericordiam &c. Et tamen ſuccedentibus proſperis præpoſitus pincernarum oblitus eſt interpretis ſui.* Quæ ingratitudo ad Deum vſque ſeſe extendit. Docet enim S. Hieronymus *l. 11. in Iſa. c. 39.* Hebræos antiqua traditione retuliſſe, Ezechiam regem ideò *vſque ad mortem ægrotaſſe*, quòd pro reportata ab Aſſyrijs inclyta illa victoria, qua vna nocte ab Angelo hoſtium centum octoginta quinq; millia cæſa ſunt, nullum, more reliquorum regum, canticum laudis & gratiarum actionis accinuiſſet. Ipſius Chriſti querela eſt: *Nonne decem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt? Luc. 17. 17.* Plura S. Auguſt. *Serm. 18. de verb. Apoſt.* Quoties ſanitatis redditæ obliuiſcuntur homines? quoties victoriâ obtentâ ſunt ingrati? Quàm pauci Ioui ſtatori, Seruatori, immo vero Numini ſtatuunt templum, hoſtis cæſi, fugatique monumentum? Aliquid ſaltem theſauri repertor retulit coniectori: multi ipſis parentibus nihil referunt, à quibus tamen & vitam, & fortunas omnes acceperunt.

Recentis omnino memoriæ eſt, ait Philipp. Doultreman *p. 1. Pædag. Chriſt. c. 6. §. 3. quodq;* III.

ab oculato teſte Soc. IESV *Sacerdote R. P. Henrico Compegio ego ipſe nuper accepi, de Adoleſcente Nobili Flexiæ in Gallia nato. Hic cum à parentibus tantum pecuniæ, quantum petierat, non accepiſſet, litteras ad eos dedit diris, contumeliisq́ꝫ, ac maledictis plenas. Sed eas vix miſerat, cum ſubitò ita omni audiendi facultate ſpoliatus eſt, vt ne vel tormenti bellici fragorem perciperet. Malo iſti diu quæſita per Galliam remedia, ſed fruſtra. Statuit ergo Adoleſcens è cælo petere, quod in terra negabatur. Eam ob rem Lauretum, ad miſericordiæ Matrem properat, vbi poſitis ritè, anteactæ vitæ maculis, indictisq́ꝫ ſibi nouendialibus, in Sacra B. Virginis æde, precibus, Deum per Matrem placare aggreditur. Proximè aderat dies, quo eiuſdem S. Virginis in cælos Aſſumtæ memoria ſolenniter colitur, cum in eiusdem diei peruigilio, ſecundùm quietem nocte, videre ſibi viſus eſt Matronam auguſta ſpecie cum vtroque parente, cubiculũ ingredientem, & ab his percunctantem: Eſſetné iſte eorum filius? &, an ei ſanitatem reddi vellent? Quibus annuentibus, acceſſiſſe ad lectum, immiſſoq́ꝫ in aurem digito, chartam eduxiſſe, & explicatam legendam propoſuiſſe: legiſſe verò ipſa illa impietatis ſuæ carmina, quæ nuper parentibus exarâſſet. Super quæ, euaneſcente viſo, expergefactus Adoleſcens, reſtituto in integrum auditu, ad P. Compegium ſibi à confeſſionibus accurrit, & in ipſa ſacra Virginis Matris æde iureiurando rem ſibi euenisse*

niſſe

niſſe teſtatur An. 1613. Hæc ille, de ingrato, ſed tamen miſericordiam conſecuto.

Grauiùs punitum alium filium deſcribit S. Bonauentura *l. de 10. Præceptis ſerm. 5. de 4. præcepto*. Is patre pranſum veniente, caponem, quem in menſa habebat, ſeponi juſſit tantiſper, dum ſenex abiret, & abeunte reponi. Sed ecce tibi mutatus in horridum bufonem capo, ex lance in impij vultum inſiliēs, totum à mento in frontem occupauit: nec, ante miſerandi hominis mortem, arte vlla auelli potuit. Quin & ſiqua parte bufoni moleſtiæ aliquid afferebatur, eandem iſte ſimili parte corporis percipiebat. Simile quid refert Cæſarius *l. 6. c. 22.* & Thom. Cantiprat. *l. 2. apum c. 7. art. 4.* licet hîc alias quaſdam circumſtantias addat, quæ ob diuerſitatem indicent, hiſtoriam non eſſe eandem. Sed nihil refert, idem ſupplicium miraculoſum bis acciдiſſe, cum & idem iniquiſſimæ atque auariſſimæ ingratitudinis flagitium accidat quotidie. IV.

Indignos Cereris ſemine dicimus,
Et ſaxis ſimiles Caucaſeis agros,
Qui tantùm accipiunt, reddere neſciunt,
Quod fidi agricolæ dextera ſparſerit.

Ovi in vitrum conuerſio, humanæ fragilitatis imago eſt.

EMBLEMA LXXIV.

VITRVM VEL OVVM SIS, VTRVMQVE FRANGITVR.



I. *QVa exeunt à rotundiſſima ſui parte, dum pariuntur, molli putamine, ſed protinus dureſcente, quibuſcunque emergunt portionibus.* Plin. *l. 10. c. 52.* Hæc tamen durities non tollit fragilitatem; ſicut nec ſplendor, cum *ouum* in vitrum degenerat ſupra menſam ſuſpenſum. Ita enim & ſuſpendi vidimus, & in vitrum flaueſcens, vel halitu ciborum, vti non nemo recenſet, vel potiùs vetuſtate in calicem ſubſidens, ac velut glacie flaua dureſcens ſæpius conſpeximus.

Digitized by Google

mus. Tametſi nonnullæ anus neque hîc ſua abſtineant ſuperſtitione; quaſi certo die, aut ritu ſuſpendi oporteret. Quanquam ambigi poteſt, veréne *oua* naturam, an ſimilitudinem vitri induant? Certè ſi ſpeciem perdunt, non perdunt fragilitatem.

Quod & in hominibus fieri amat, qui cum ſæpe ex humili fortuna incipiant florere, ac ſplendere, velut *ouum* in vitrum tranſeunt, fragilitate retenta. Perinde enim poſtea morbis, & morti; immo & timori periculorum omniū obnoxij ſunt, ac priùs. Siquidem *mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regúmque turres.* Horat. *l. 1. od. 4.* Et *ventorum ſtatio eſt vita hominis.* Itaque fragilitati noſtræ fortitudine opus eſt, quæ impedimenta rectè operandi, ex periculis & malis huius vitæ occurrentia, remoueat, ne propter illa ab honeſto recedamus. Quæ virtus maior eſt quàm temperantia. Etſi enim Virtutes Cardinales non ſemper eodem ordine numerentur à SS. Patribus, ex Ariſtotelis tamen *lib. 1. Rhet. c. 9.* doctrina, eæ virtutes ceteris antecellunt, quarū vtilitas latiùs patet, quales ſunt, quæ in commune multitudinis bonum vergunt. *Multitudinis ſiquidem bonum*, inquit idem *1. Ethic. c. 2. diuinius eſt proprio*, vel priuato. Hinc iuſtitia, & fortitudo, maximè quæ eſt in bello, temperantiæ præferuntur. Adde, quòd difficilius ſit, timorem II.

mortis, & verberum vincere, quàm cupiditatem voluptatum refrænare : cum etiam immanes belluæ à maximis voluptatibus, metu verberũ, abſtineant.

III. Hanc ergo, inter pericula tanta, virtutem induere oportet. Quidam, vt à fulminibus ſint tuti, galericulos ſibi faciunt è vitulo marino, quem immunem à Iouis telo arbitrantur: potiùs laborent, vt *virtute induantur ex alto. Primum argumentum compoſitæ mentis exiſtimo*, ait Senec. *ep. 2. ad Lucil. poſſe conſiſtere, & ſecum morari.* Tale *ouum* non *ouum*, nec vitrum fuit Ludouicus Bauarus, quem cum in vinculis teneret Albertus Marchio Brandeburgicus, ac multa petens nihil impetraret, minas adiecit, ni pareret, tradendum in manus ſui hoſtis. Cui, vt ſcribit Æn. Syl. *l. 3. Comm. de Geſtis Alph.* Ludouicus reſpondit: *Quæ poteris ex me libero impetrare, eadem modò ex capto petito. Si amplius quid voles, corpus meũ in tua poteſtate eſt; animum verò mihi, non tibi obnoxium inuenies.* Gerebat nempe in fragili corpore animum infractum.

IV. Ceterùm quia multis non tantùm in corpore, ſed in animo quoque fragilitas ineſt, *ſæpe quod temeritas eſt, fiduciam eſſe credimus.* Ex doctrina S. Cypriani *lib. de ſingularit. Clericor. Vtilius eſt, vt infirmũ ſe homo cognoſcat, vt fortis exiſtat, quàm fortis videri velit, & infirmus emergat. De qua re* pre-

præſumtores obiurgat Apoſtolus dicens: ſi quis putat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ſe ipſum implanat. Ille autem tutiùs ſibi conſulit, qui circa malos ſemper inſidus ſpecies quaſdem noxias extimeſcit. Cautiùs vitrea, quàm lignea vaſa portantur; nec *oua* licet iactare, vt ſaxa. Igitur ſicut corpori, ob fragilitatem vbique cauemus, ne aut caſu allidatur, aut inſidijs petatur; ita animo quoque fragilitate ſua non carenti fas eſt cauere. Fortitudo exerenda eſt, cum in hoſtes venitur. At domos ſuſpectas adire, familiaritates noxias quærere, hoſtem prouocare, eſt de ſaxo atque in ferrum mucronéſque inſilire; quod non fortes, ſed temerarij faciunt. Et *qui amat periculum, in illo peribit.*

Timiditas quidem in vitio eſt, cautela tamen exigitur: cuius vt memores ſimus, ipſa *oui* & vitri fragilitas admonet. Bobadilla noſter in ſatrapæ cuiuſdam menſa, fracto per neſcio quem ſcypho cryſtallino preciosè æſtimato, per ſalutarem iocum, & culpam diluit frangentis, & iraſcentis impetum cohibuit, cum diceret: *Res tanti ſteterat, támque caduca fuit?* O quanti nobis ſtat corpus, vt illud ſaginemus, & veſtiamus, & tamen quàm eſt caducum? quàm ſcilicet ipſum vitrum. V.

Noui ego familiariter in Alſatia nobiliſſimi nominis & familiæ Dominum, cui mos erat meri- VI.

ridiari, atque idcirco, remotis ſecundis menſis, in tumultuario lecto accumbebat. Lectus erat humilis, ſtragulis ruſſei coloris inſtratus. Pendebant circumſecus cortinæ holoſericæ eiuſdem coloris. Sed & menſa oblonga propter lectum ſtabat puniceo tapete tecta. Nec excedebat hic apparatus opes. Ex eadem illa arce in qua habitauerat, nouem in ambitu ſeu vicos, ſeu pagos conſpiciebat, tam vicinos, vt penè omnes tangere poſſet glande plumbea. Illi omnes pagi ad illius dominium pertinebant. Nihil prætcrea deerat, quod poſſet à tali viro optari, niſi quod *ouum*, immo fragile vitrum fuerit. Nam ecce ſiue quia in pauperes ac religioſos beneficus, ſiue quia in Diuos pius erat, ſicut Bobadilla ſuum inuitatorem, ita bonus Genius hunc in vitro docuit, quàm fragilis vita eſſet humana.

VII. Cum ſe à meridie in torum reciperet, iubebat in menſa ſtatui cryſtallinum calicem vino rubro punicantem, vt à ſomno ſiccior illico ſe poſſet hauſtu præſenti refrigerare. Hic mos illi erat quotidianus. Aliquando igitur, integris ſenſibus, & valetudine prorſus vegeta accubuit. Ibi neſcio quæ hominem ſubijt cogitatio *de æternitate*, quæ eum non ſiuit obdormiſcere. Cum hac cogitatione dum luctatur, atque ante oculos poſitum vitreum ſcyphum animo nolente identidem contemplatur, ſcyphus repentè, nullo

lo

Digitized by Google

lo attingente, velut ictus, ſonat, & ſponte ſua medius diſſilit, vinumque in menſam effundit. Territus inexpectato ſpectaculo Dominus, tintinnabulo, quod ponè ſtabat, dat ſignum: adſunt famuli; quærunt, quid velit? quibus trepidâ voce rem, vti euenerat, recenſet, additque, ita vitam ſuam, quemadmodum vitrum, rumpendam, animamque, vini inſtar, effundendam. Solantur illi; triſtem cogitationem abijcere iubent, vitium in vitro fuiſſe, caſu crepuiſſe, atque vt mentem illi aliò auertant, ſcyphum remouent ex oculis, aliumq; illius loco ſubſtituunt, perinde Bacchi ſanguine, repletum, vt priorē, herumque ſe quieti reddere iubent, quo ſe intorum recipiente, abeunt.

Non abijt tamen cum illis triſtis ſolicitudo. IIX. Ecquis ſcit, ait, an non & mihi omni fortuna pleno, ſic repentè interitus immineat, vti huic vitro de Burgundiaca vua pleno? Quid ſi Genius meus bonus, hoc mihi ſignum dediſſet inſtantis mortis? Multis talia contigêre, vt ante obitum monerentur. Primus ego non ſum. Quin ergo alienis ſapio exemplis? Hæc fortè ſecum tacitus dum agitat, per mediam horæ partem, ecce tibi rurſus etiam alterum hoc vitrum, cum ſonitu claro ſponte medium rumpitur, nemine lædente, atque purpureum vinum in menſam euomit. Maior ergo, quàm priùs, homi-

funus fuit. Itaque ſerò adductus Confeſſarius mortuum inuenit, ſatis tamen occupationis reperit, circa viuos conſolandos, qui ſua dicebant negligentia, aut incredulitate potiùs, herum ſine diuinis Sacramentis è vita diſceſſiſſe. Quò autem diſceſſit? Ah! Deus nouit. De ſalute illius nolim deſperare. Spes tamen vtique robuſtior eſſet, ſi, ſicut ipſe, ita & familia illius, eandem & vitri, & hominis agnouiſſent fragilitatem.

Vitra, vt rem fragilem, contingit frangere multis;
Sed multos etiam frangere vitra ſolent.

Ovum

Digitized by Google

Ovum, pro pila, iactatum, temerariorũ audaciam accuſat.

EMBLEMA LXXV.

PERICLITARI LVDVS EST.



OVis olim luſum, Varro ruſticans his verbis docet: *Non modò ouum illud ſublatum eſt, quod ludis Circenſibus nouiſſimè curriculi finem facit quadrigis; ſed ne illud quidem ouũ vidimus, quod in Cereali pompa ferri ſolet eſſe primum. Sed quod antiqui in Circo*, ait Puteãn. *or. 20. quidni in Sphæriſterio nos faciamus? tam pulchrè notari pilæ termini ouis poſſint, quàm quidquid in Circenſi puluere ſignabatur.* Periculum tamen ſubinde foret metæ tam fragilis conculcandæ. Sicut non ſine periculo grandi *ouis* pro pila ipſi 1.

Ovi in vitrum conuerſio, humanæ fragilitatis imago eſt.

EMBLEMA LXXIV.

VITRVM VEL OVVM SIS, VTRVMQVE FRANGITVR.



I. OVa exeunt à rotundiſſima ſui parte, dum pariuntur, molli putamine, ſed protinus dureſcente, quibuscunque emergunt portionibus. Plin. *l. 10. c. 52.* Hæc tamen durities non tollit fragilitatem; ſicut nec ſplendor, cum *ouum* in vitrum degenerat ſupra menſam ſuſpenſum. Ita enim & ſuſpendi vidimus, & in vitrum flaueſcens, vel halitu ciborum, vti non nemo recenſet, vel potiùs vetuſtate in calicem ſubſidens, ac velut glacie flaua dureſcens ſæpius conſpeximus.

Digitized by Google

mus. Tametſi nonnullæ anus neque hîc ſua abſtineant ſuperſtitione; quaſi certo die, aut ritu ſuſpendi oporteret. Quanquam ambigi poteſt, veréne *oua* naturam, an ſimilitudinem vitri induant? Certè ſi ſpeciem perdunt, non perdunt fragilitatem.

Quod & in hominibus fieri amat, qui cum ſæpe ex humili fortuna incipiant florere, ac ſplendere, velut *ouum* in vitrum tranſeunt, fragilitate retenta. Perinde enim poſtea morbis, & morti; immo & timori periculorum omniũ obnoxij ſunt, ac priùs. Siquidem *mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regúmque turres.* Horat. *l. 1. od. 4.* Et *ventorum ſtatio eſt vita hominis.* Itaque fragilitati noſtræ fortitudine opus eſt, quæ impedimenta rectè operandi, ex periculis & malis huius vitæ occurrentia, remoueat, ne propter illa ab honeſto recedamus. Quæ virtus maior eſt quàm temperantia. Etſi enim Virtutes Cardinales non ſemper eodem ordine numerentur à SS. Patribus, ex Ariſtotelis tamen *lib. 1. Rhet. c. 9.* doctrina, eæ virtutes ceteris antecellunt, quarũ vtilitas latiùs patet, quales ſunt, quæ in commune multitudinis bonum vergunt. *Multitudinis ſiquidem bonum*, inquit idem *1. Ethic. c. 2. diuinius eſt proprio*, vel priuato. Hinc iuſtitia, & fortitudo, maximè quæ eſt in bello, temperantiæ præferuntur. Adde, quòd difficilius ſit, timorem 11.

Digitized by Google

mortis, & verberum vincere, quàm cupiditatem voluptatum refrænare: cum etiam immanes belluæ à maximis voluptatibus, metu verberũ, abſtineant.

III. Hanc ergo, inter pericula tanta, virtutem induere oportet. Quidam, vt à fulminibus ſint tuti, galericulos ſibi faciunt è vitulo marino, quem immunem à Iouis telo arbitrantur: potiùs laborent, vt *virtute induantur ex alto. Primum argumentum compoſitæ mentis exiſtimo*, ait Senec. *ep. 2. ad Lucil. poſſe conſiſtere, & ſecum morari.* Tale *ouum* non *ouum*, nec vitrum fuit Ludouicus Bauarus, quem cum in vinculis teneret Albertus Marchio Brandeburgicus, ac multa petens nihil impetraret, minas adiecit, ni pareret, tradendum in manus ſui hoſtis. Cui, vt ſcribit Æn. Syl. *l. 3. Comm. de Geſtis Alph.* Ludouicus reſpondit: *Quæ poteris ex me libero impetrare, eadem modò ex capto petito. Si amplius quid voles, corpus meũ in tua poteſtate eſt; animum verò mihi, non tibi obnoxium inuenies.* Gerebat nempe in fragili corpore animum infractum.

IV. Ceterùm quia multis non tantùm in corpore, ſed in animo quoque fragilitas ineſt, *ſæpe quod temeritas eſt, fiduciam eſſe credimus.* Ex doctrina S. Cypriani *lib. de ſingularit. Clericor. Vtilius eſt, vt infirmũ ſe homo cognoſcat, vt fortis exiſtat, quàm fortis videri velit, & infirmus emergat. De qua re*

pre-

præſumtores obiurgat Apoſtolus dicens: ſi quis putat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ſe ipſum implanat. Ille autem tutiùs ſibi conſulit, qui circa malos ſemper inſidus ſpecies quaſdem noxias extimeſcit. Cautiùs vitrea, quàm lignea vaſa portantur; nec *oua* licet iactare, vt ſaxa. Igitur ſicut corpori, ob fragilitatem vbique cauemus, ne aut caſu allidatur, aut inſidijs petatur; ita animo quoque fragilitate ſua non carenti fas eſt cauere. Fortitudo exerenda eſt, cum in hoſtes venitur. At domos ſuſpectas adire, familiaritates noxias quærere, hoſtem prouocare, eſt de ſaxo atque in ferrum mucronéſque inſilire; quod non fortes, ſed temerarij faciunt. Et *qui amat periculum, in illo peribit.*

Timiditas quidem in vitio eſt, cautela tamen exigitur: cuius vt memores ſimus, ipſa *oui* & vitri fragilitas admonet. Bobadilla noſter in ſatrapæ cuiuſdam menſa, fracto per neſcio quem ſcypho cryſtallino preciosè æſtimato, per ſalutarem iocum, & culpam diluit frangentis, & iraſcentis impetum cohibuit, cum diceret: *Res tanti ſteterat, támque caduca fuit?* O quanti nobis ſtat corpus, vt illud ſaginemus, & veſtiamus, & tamen quàm eſt caducum? quàm ſcilicet ipſum vitrum. V.

Noui ego familiariter in Alſatia nobiliſſimi nominis & familiæ Dominum, cui mos erat me- VI.

Digitized by Google

ridiari, atque idcirco, remotis ſecundis menſis, in tumultuario lecto accumbebat. Lectus erat humilis, ſtragulis ruſſei coloris inſtratus. Pendebant circumſecus cortinæ holoſericæ eiuſdem coloris. Sed & menſa oblonga propter lectum ſtabat puniceo tapete tecta. Nec excedebat hic apparatus opes. Ex eadem illa arce in qua habitauerat, nouem in ambitu ſeu vicos, ſeu pagos conſpiciebat, tam vicinos, vt penè omnes tangere poſſet glande plumbea. Illi omnes pagi ad illius dominium pertinebant. Nihil prætereа deerat, quod poſſet à tali viro optari, niſi quod *ouum*, immo fragile vitrum fuerit. Nam ecce ſiue quia in pauperes ac religioſos beneficus, ſiue quia in Diuos pius erat, ſicut Bobadilla ſuum inuitatorem, ita bonus Genius hunc in vitro docuit, quàm fragilis vita eſſet humana.

VII. Cum ſe à meridie in torum reciperet, iubebat in menſa ſtatui cryſtallinum calicem vino rubro punicantem, vt à ſomno ſiccior illico ſe poſſet hauſtu præſenti refrigerare. Hic mos illi erat quotidianus. Aliquando igitur, integris ſenſibus, & valetudine prorſus vegeta accubuit. Ibi neſcio quæ hominem ſubijt cogitatio *de æternitate*, quæ eum non ſiuit obdormiſcere. Cum hac cogitatione dum luctatur, atque ante oculos poſitum vitreum ſcyphum animo nolente identidem contemplatur, ſcyphus repentè, nullo

Digitized by Google

lo attingente, velut ictus, ſonat, & ſponte ſua medius diſſilit, vinumque in menſam effundit. Territus inexpectato ſpectaculo Dominus, tintinnabulo, quod ponè ſtabat, dat ſignum: adſunt famuli; quærunt, quid velit? quibus trepidâ voce rem, vti euenerat, recenſet, additque, ita vitam ſuam, quemadmodum vitrum, rumpendam, animamque, vini inſtar, effundendam. Solantur illi; triſtem cogitationem abijcere iubent, vitium in vitro fuiſſe, caſu crepuiſſe, atque vt mentem illi aliò auertant, ſcyphum remouent ex oculis, aliumq; illius loco ſubſtituunt, perinde Bacchi ſanguine, repletum, vt priorẽ, herumque ſe quieti reddere iubent, quo ſe intorum recipiente, abeunt.

Non abijt tamen cum illis triſtis ſolicitudo. Ecquis ſcit, ait, an non & mihi omni fortuna pleno, ſic repentè interitus immineat, vti huic vitro de Burgundiaca vua pleno? Quid ſi Genius meus bonus, hoc mihi ſignum dediſſet inſtantis mortis? Multis talia contigêre, vt ante obitum monerentur. Primus ego non ſum. Quin ergo alienis ſapio exemplis? Hæc fortè ſecum tacitus dum agitat, per mediam horæ partem, ecce tibi rurſus etiam alterum hoc vitrum, cum ſonitu claro ſponte medium rumpitur, nemine lædente, atque purpureum vinum in menſam euomit. Maior ergo, quàm priùs, IIX.

homi-

hominem inuadit conſternatio. Vocat famulos, vocat vxorem, mandatq; vt actutum Bruntruto aduocent animæ ſuæ medicum, nam de corpore actum eſſe, non ſecus, atque de vitro iam altero, prodigioſè vtique, fracto; neque aliud indicante, quàm vitæ ſuæ fragilitatem ac interitum repentinum: ita enim animam ſuam effundendam, vti vinum; neque tam vitrum, quàm Parcæ ſtamen ictum; ſonitu illo mortem ad fores ſuas pulſauiſſe. Ne igitur in extremis verſantem deſtituant auxilijs ſpiritualibus, quando corporis deinceps ſubſidia deſint, etiam atque etiam rogat. Hoc tali ſermone vxor magis, quàm ipſo vitri prodigio perculſa, cum diu laboraſſet, in perſuadendo marito, ne ſomnijs crederet, aut triſtitiæ delirantis vanitati, tandem appromiſit, ſe Patrem Societatis conſuetum aduocari curaturam.

IX. Interim vt ſedaretur mentis tumultus in marito, tertium iubet ſcyphum reponi, priúſque bene inſpici, ne fractus, aut veſtigium habens læſionis reponeretur. Ita maritus ſe denuo ad ſoporem componit; vxor quia inanem viri arbitrata eſt eſſe imaginationem, mittere pro Confeſſario omittit. At non ita Dominus, qui ſingula peccata in digitos digerit, & totus in eo eſt, quemadmodum non ſomnum capere, ſed mortem obire velit. Hæc dum agit (quis digitum

tum Dei non agnoſcat?) rumpitur tertium quoque vitrum, & vinum per menſam diſpergit. Tum demum nihil ampliùs dubitare dominus, tum per ſuperos obteſtari vocatam coniugem & ſeruos, vt Confeſſarium quantocyus accerſant; modicum ſibi temporis ſupereſſe, quo ſaluti ſuæ proſpiciat, illud ſe negligere nolle: ſed obſequi cupere Angelo monitori; itaque feſtinent, volent; nam feſtinare etiam id vitæ, quod reliquum ſupereſſet. Omnia Mundus faciliùs credit, quàm ſua pericula. Quare tum quoque, inſanire dominũ, familia magis, quàm non ſano corpore eſſe credidit. Ita dies à prandio vſque in ſerum veſperum ijt; nec quiſquam miſſus eſt, qui Confeſſarium Bruntruto aduocaret. Crepuſculum diei, fuit & crepuſculum vitæ. Nam ad primam facem mirificè cœpit pallere, ſegniùs & vena micabat, ac vires in momenta ſingula deficiebant. Ergo tum demum vxor mittit equos expeditos, & quanta poſſit contentione iubet famulum celerare. O quàm occulta ſunt iudicia Dei! Itinere alioqui non admodum longo, & intra montes plerumque continuato, neque erroribus expoſito, pergit incitatiſſimis equis famulus, & in modica ſiluula, quæ interiacet, tota nocte circumuagatur, cum interea media iam nocte herus

funus

funus fuit. Itaque ſerò adductus Confeſſarius mortuum inuenit, ſatis tamen occupationis reperit, circa viuos conſolandos, qui ſua dicebant negligentia, aut incredulitate potiùs, herum ſine diuinis Sacramentis è vita diſceſſiſſe. Quò autem diſceſſit? Ah! Deus nouit. De ſalute illius nolim deſperare. Spes tamen vtique robuſtior eſſet, ſi, ſicut ipſe, ita & familia illius, eandem & vitri, & hominis agnouiſſent fragilitatem.

Vitra, vt rem fragilem, contingit frangere multis;
Sed multos etiam frangere vitra ſolent.

Ovum

Ovum, pro pila, iactatum, temerariorũ audaciam accuſat.

EMBLEMA LXXV.

PERICLITARI LVDVS EST.



OVis olim luſum, Varro ruſticans his verbis docet: *Non modò ouum illud ſublatum eſt, quod ludis Circenſibus nouiſſimè curriculi finem facit quadrigis; ſed ne illud quidem ouũ vidimus, quod in Cereali pompa ferri ſolet eſſe primum. Sed quod antiqui in Circo,* ait Puteãn. *or. 20. quidni in Sphæriſterio nos faciamus? tam pulchrè notari pilæ termini ouis poſſint, quàm quidquid in Circenſi puluere ſignabatur.* Periculum tamen ſubinde foret metæ tam fragilis conculcandæ. Sicut non ſine periculo grandi *ouis* pro pila ipſa 1.

vtuntur nonnulli, quibus omnia in amœnitatibus eſſe conſueuerunt. Nam *ouis* vel ſigillatim certant, quis ſurſum ſparſa ſæpius altiúſque recidentia reprehendat illæſa; vel datatim iactata diutiùs conſeruet integra, reddátque colludenti volantia; vel denique, quod cum admiratione ſpectatur, certant nonnulli in pratis, quis ea, altiúſque, longiúſque, ſumma vi brachiorum proijciat, in terram ſine rupturis vllis labentia. Nam præſertim ad duritiem cocta, niſi in lapidem, aut lignum incidant, cacuminibus à molliore terra vel ceſpite excepta, non confringuntur. Vt enim nihil citiùs rumpitur, ita nihil firmiùs reſiſtit. Latera leui caſu, aut alliſu vulnus capiunt; in capite vtroque robur ingens, vt omnem vim è tranſuerſo illatam vincat. Ita & vitrum eſt, & chalybs. Et quamuis chalybs, ſæpiſſime tamen, vel inter ludentium manus, frangitur obliquum, vel in terram excidens interit ruptum.

II. *Sic ad capiendi conſilij prudentiam maximè incitaberis*, ait Iſocrates *in paranes. ad Demonic. Si quæ damna temeritatem ſequantur, cogitâris. Nam & valetudinem diligentiſſimè curamus, cum ægrotationum moleſtias recordamur.* Sed iuuenes *oui* iacturam parui faciunt: idcirco & iactant. Enimuerò alij quoque, qui res grandiores & ad vnguem non exigunt, & periculis temerè exponunt,

nunt, prudentiâ iuuenes ſunt. Nam, vt Quintilianus *declamat. 8.* ait *nunquam ex magno venit affectu incredibilia, vel non profutura tentaſſe: & in re, quæ plus de incerto habet, temeritas experimenti ſolam probat deſperationis audaciam.* Fortes videri volunt, fortes non ſunt, temerariè qui agunt. Torpent enim primo ſtatim impetu, aut vltra æquitatem ſunt firmi, aut duri potiùs, ac pertinaces. Fortitudo autem, vt docet S. Ambroſ. *l. 1. de officijs c. 36. in duobus generibus ſpectatur. Primò, vt externa corporis pro minimis habeat, & quaſi ſuperflua deſpicienda magis, quàm expetenda ducat. Secundò vt ea, quæ ſumma ſunt, omnéſque res, in quibus honeſtas, & illud πρέπον cernitur, præclara animi intentione, vſque ad effectum proſequatur.*

Itaque fortis viri eſt, non ſolùm contemnere diuitias, honores & voluptates, ſed etiam habere firmum propoſitum inhærendi bono honeſto, ſic vt nullis malis nec ipſius quidem mortis periculo ſe ſinat ab eo dimoueri. At qui animi eſt præfidentis ac temerarij, cum nimium virib. ſuis confidat, facilè aggreditur aliquid, quod vires ſuas ſuperet; quod vbi ſe feciſſe animaduertit, deſperatione cogitur deſiſtere. Aut, ſi in falſa illa de ſuis viribus opinione perſiſtat, in pertinaciam ruit. Qui enim perſeuerat in propoſito, vbi non oportet, vel plus quàm oportet, III.

pertinax eſt, iuxta *Ariſt. 7. Ethic. 9.* Inde multa damna incurrit. Quod in Phaëtonte ſuo deſcripſit Ouid. 2. *Metam.* totum ferè orbem perdente, qui nullis parentis monitis potuit, à pernicioſo conſilio dimoueri. Ita omnes, qui plus quàm par eſt ſententiam ſuam amant, illi inhærent, vſque ad interitum. Nam hoc pacto hæretici multi ſuam falſam religionem mutare nolunt, ne videantur inconſtantes; & multi magiſtratus, ob eandem cauſſam nolunt abrogare legem à ſe latam, quam vſus docet eſſe pernicioſam. Alterutrum ergo vitium comitatur præſumtionem aut temeritatem, pertinacia vel inconſtantia.

IV. Sed & ipſum in ſe eſt ſatis deforme ac noxium; nec iam *oua* tantùm, ſed res longè maiores exponit diſcrimini, valetudinem, famam, honorem, vitam, animam. Quoties mortales ingenij aut prudentiæ, aut ſcientiæ, aut experientiæ viribus maiora tentant? quoties regimen ambiunt inepti, cathedram indocti, belli imperium timidi? quoties medicinam profitentur ſe facturos, qui ipſi elleboro, hoc eſt, medicina cerebri indigerent? quoties ipſi Confeſſarij poteſtatem iuriſdictionis transgrediuntur; & nonnulli in perſonis cōſecrandis etiā ipſius ordinis? quoties ſcripturas exponere aggrediuntur, qui neque in SS. Patribus verſati, neq; in vllis ſcholis

lis exercitati! id didicerunt? quoties gratia gratis data qui carent, tentant tamen, faciuntque ea, quæ ſine eiuſcemodi gratijs non peraguntur? quàm multi dæmones expellere tentant, qui ipſi ſunt ſub dæmonis poteſtate? quoties nonnulli miracula iactant, abſque dono miraculorũ? quanti futura vaticinantur, & in ipſos faſtos aſcribunt vulgantque, qui nec Prophetæ ſunt, nec filij Prophetarum? quot, ſolis naturæ viribus, exiſtimant ſe poſſe benè viuere, legemque implere, de gratia diuina impetranda non ſoliciti? quot alijs promittunt, ſe aduocaturos, ipſi indigentes Aduocato, qui eius lucri iſtam occaſionem, apud clientem, extorqueat? quoties iudex ſecularis de cauſſis Eccleſiaſticis cognoſcit? Denique de ipſa diuina miſericordia quàm multi præſumunt? diuinam iuſtitiam nihili facientes? dum confidunt, Deum ipſis libenter veniam daturum etiam, ſi illi nihil ſoliciti ſint de vitæ emendatione; quaſi Deus illis obligetur tale beneficium conferre. Ad horum vnumquemque dicere licet, quod ille parens apud Poëtam *l. 2. Met.* dixit:

Non eſt tua tuta voluntas,
Magna petis, Phaëthon, & quæ non viribus iſtis
Munera conueniunt, nec tam puerilibus annis.

 Sors.

Sors tua mortalis; non eſt mortale quod optas.
Plus etiam, quàm quod ſuperis contingere fas eſt,
Neſcius affectas.

Hoc dici potuiſſet fratri illi, de quo in Vitis PP. *p. 1. in vita S. Pachomij* §. *9.* qui præſumtione ſua, non *ouum*, ſed cæleſtis patriæ teſſeram confregit.

Qui neque ſecurè vitro, neque ludimus ouo;
Tam temerè in ſummis ludimus exitijs?

Ova

Ova ſua frangens pauo intemperantis animi exemplum.

EMBLEMA LXXVI.

NON AMAT CONIVGEM, QVI LIBEROS ODIT.



PAuo à trimatu parit. Primo anno vnum, aut alterum ouum, ſequenti quaterna, quináue, ceteris duodena, non ampliùs. intermittens binos dies ternoſue parit, & ter anno, ſi gallinis ſubyciantur incubanda. Mares ea frangunt, deſiderio incubantium. Quapropter noctu, & in latebris pariunt, aut in excelſo cubantes, & niſi molli ſtrato excepta, franguntur. Plin. *l. 10. c. 59.* Idem de cygnis tradit Ælian. *lib. 14. de hiſt. animal. c. 13.* his verbis: *Nec cygnis quidem amici ſunt Indi, quòd* 1.

illas, quanquam Apollini ſacras, & mirè canoras aues, ſua tamen pullitiei inſidiari, & oua propria perdere fama ſit. Nempe odio dignos cenſent Indi cygnos, qui præſtantia *oua* in id pariunt, vt perdant. Quanquam, ſi de præſtantia ad eſum ſermo ſit, alij aliter ſentiant. Ita loquitur quidem Cælius *l. 14. antiq. lect. c. 50. Inter oua, pauonis primatem locum tribuunt pleriqne; chenalopecijs, id eſt, anſerinis ſecundam ſibi notam vendicantibus; tertiam auitijs.* Medici præferunt *oua* gallinarum, & phaſianorum. Quidquid ſit de excellentia, ſatis conſtat de pretio *ouorum* pauoninorum. Et tamen hæc frangunt mares, dum perditè nimis amant matres *ouorum*.

II. Clarus intemperantiæ eſt iſte typus. Nam, vt ex *lib. 2. Ciceronis de Inuentione*, temperantiam definit S. Auguſtin. *lib. 83. qq. Temperantia eſt rationis in libidinem, atque alios non rectos impetus animi, firma & moderata dominatio.* Seu vt *l. 1. de liber. arb. c. 13.* ait, *eſt affectio coërcens & cohibens appetitum ab ijs rebus, quæ turpiter appetuntur.* Quales, teſte Ariſtotele *3. Ethic. c. 10.* & S. Thoma. *2. 2. q. 141.* ſunt illæ paſſiones appetitus concupiſcibilis, quæ circa delectabilia corporis, juxta ſenſum tactus & guſtus, in vſu ſcilicet cibi, & potus, ac venerearum voluptatum, verſantur: quas in freno habere pernimiũ intereſt. Has enim qui non moderatur paſ-

ſio-

ſiones, etiamſi in matrimonio ſit conſtitutus, Intemperãs eſt. Sicut enim è proprio aliquis poteſt dolio inebriari, ita etiam in legitimo toro ſe illegitimè gerere, ac pauonis impatientiam imitari; vt neque honeſtè, neque verecundè, neq; vt filiorum ratio exigit, neque remotis arbitris faciat, quod alioqui fas eſſet, vt docet S. Auguſt. *lib. 1. de ciuit. c. 17.* Ea ergo ad hæc ipſa pars temperantiæ illi neceſſaria eſt, quæ pudicitia ſolet appellari; ſicut vina amanti *Sobrietas*, cibis inhianti *abſtinentia*. Quàm pauci enim cum S. Auguſtino *lib. 10. Conf. c. 31.* dicunt: *Hoc me docuiſti, vt quemadmodum medicamenta, ſic alimentum ſumturus accedam?*

Porrò ex dignitate, & neceſſitate temperantiæ, conijci poteſt intemperantiæ turpitudo ac pernicies. Et ferè ex intemperantia in vino & epulis oritur intemperantia carnis. Ex vtraque morbi, mortes, & tam fortunarum, quàm animarum damna. Sed & ea, quæ in liberos redundant. Qui enim hæreditate deſtituuntur? quorum parentes omnia dilapidarunt commeſſando. qui debili ſtomacho, ad calculum, ad podagram, ad oculorum lippitudinem, immo & ad lepram proni naſcuntur? quorum parentes vino, cibo, matrimonio intemperanter vſi. qui ſtupidi, qui indomiti, qui ad omnia vitia inclinati & affecti? quorũ parentes continuis ebrie- III.

tatibus conuiuijſque ætatem, ingenium, vires & virtutes contriuerunt. Cum enim intemperantia temperantiæ opponatur, contrarios illi fructus pariet.

IV. Ac *Temperantia*, teſte S. Proſpero l. 2. de Vita contempl. c. 19. *temperantem facit, abſtinentem, parcum, ſobrium, moderatum, pudicum, tacitum, ſerium, verecundum. Hæc virtus, ſi in animo habitat, libidines frænat, affectus temperat, deſideria ſancta multiplicat, vitioſa caſtigat, omnia intra nos confuſa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes prauas remouet, inſerit ſanctas, ignem libidinoſæ voluptatis extinguit, animi teporem deſiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placida tranquillitate componit, & totam ſemper ab omni vitiorum tempeſtate defendit.* Ita in Daniele, pueris Hebræis tribus, Iudithe, Heſtere, Elia, Eliſæo, Io. Baptiſta, & omnibus, qui hac virtute emicuerunt, fuit manifeſtum.

V. Contrarium autem in Holoferne, populo, qui ab epulis ſurrexit ludere, & in ipſo Loth apparuit. Hi omnes à ſatietate, vel ebrietate in libidinem exæſtuarunt. Libidine autem væſanientes parentes ſæpe ad proprios deſcendunt liberos interimendos; quos ſcilicet miſeri iſti metuunt, ſi naſcantur vel ſpuriam progenitorum libidinem prodituros, vel ob inopiam deſtituendos. Ergo, per artes impias, vel fæcundita-

tem

tem præpediunt, vel fætum immaturum expellunt. Nonne hoc eſt cum pauone *oua* frangere? naturamque ipſam ſcelere nefario violare?

Itaque ſicut Adamus pomo Paradiſum; Eſau primogenita, vno ruſtico ferculo; Iſraëlitæ terram lacte & melle manantem, ob Ægypti pepones, & allia perdiderunt: ita iſti breuiſſima voluptate ſtirpem, filios, cælum, Deum vendunt; ſimiles Tantalo, qui Pelopen filium, aut Prognæ, quæ Ityn coxit; aut furenti Agauæ, quæ Pentheum diſcerpſit; aut Altheæ, quæ Melegrum ſuum, in ſtipite, combuſſit; aut Hippodamanti, qui Perimelen præcipitauit; aut Athamanti, qui Learchum, & Eurycleam occidit; ne dicam Mario, qui Calpurniam immolauit; aut Herodi, qui tres filios minoris, quàm tres porcos fecit. *Macrob. l. 2.* ipſi ſunt ſimiles Deiotaro, Erictheo, ipſi Medeæ, Dyndimum & Theſſandrum iugulanti. Tanta fuit amoris impotentia. Nam, vt Maro canit *Eccl. 8. Sæuus amor docuit natorum ſanguine matrem Commaculare manus.* Scripſit Io. Sariſberienſis *lib. Policratici 5. c. 4.* iure quidem diuino iuſſos nos honorare patrem & matrem; at *liberos non multùm oportuiſſe commendari, eò quòd nemo carnem ſuam odio habuit,* natura ſcilicet maiores in homine affectus erga prolem, quàm erga parentes effundente. Sed impietas omnes rumpit naturæ leges, & ſæpe odiũ, VI.

aut

aut furor eſt tantus, vt ipſum amoris maternæque flagrantiæ impetum ſuperet. Quare non tantùm parricidia, ſed naticidia quoque audiuntur. At quis hos, parentes dixerit? Parentum eſt, vitam dare, non eripere.

Quid miraris aues, ſi frangunt oua? nefandum
Eſt magis in propria prole quod audet homo.
Quem nondũ peperit, mater necat impia: poſt hæc
Eſſe cupit quauis virgine caſta magis.
Virgine ſic fictâ licet vrbem fallat, & orbem,
Iure tamen NATVM *ſe iugulaſſe negat.*

Modus

Modus implendi ova, ſymbolum ſuperbiæ.

EMBLEMA LXXVII.

PRÆSTAT INESSE NIHIL, QVAM SIC IMPLERIER OVA.



O*Va vitrea quæ exiguum tantùm habent foramen, attracto ſpiritu, ſtatimque aqua immerſa, repetito ſæpius ordine, ſenſim implentur. Aliter autem repleri nequeunt: adeò enim aër reſiſtit, vt ſi imo vrcei, etiam latiſſimi oris charta extendatur, vrceus verò ſic conuerſo ore, rectè ſub aqua etiam in multam horam detineatur, non madeſcat charta, quoniam ne aqua aſcendat, aër ipſe cohibet.* Hanc artem tradit rectè Cardan. *lib. 13. de rer. var. c. 63.* exercent malè hominũ ſocio- 1.

rum-

rumque peruerſores. Si enim in aliquos inci-
dunt Spiritu diuino plenos, quibus mores ſuos decreuerunt inſtillare, vt *velut aquam bibant iniquitatem Iob. 15. 16.* ſenſim pietatis Spiritum eis ſubducunt, ac demum omnino omnes igniculos virtutis extinguunt; dum bona malaque omnia eleuant; dum furta jocos, adulteriorum horrorem ſcrupulos vocant.

II. Sed maximè malus Dæmon, hac arte diuinum ex hominum corde Spiritum elicit, vt ea tumore impleat, ac vana ſui opinione. *Eſt enim ſuperbia non magnitudo*, ait S. Auguſtinus, *ſerm. 16. de temp. ſed tumor: quod autem tumet, videtur magnum, ſed non eſt ſanum.* Ita quidam, tanquam chamæleontes, ore patulo, ventos captant, exiſtimationem Mundi, applauſus laudeſque hominum: vt virtute parui, ſermonibus magni fiant. Sed tumor eſt, non magnitudo. Faſtu, velut hydrope implentur, vt, ſi quis in eis eſt Spiritus vitæ, euocetur. Sunt enim inſidiatores, *qui dicunt: exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea. Pſal. 136. 7.* Hi exinaniunt primò *Spiritum timoris*, vt Spiritus tumoris ſubeat. Perſuadent ergo homini, ſatis eum tandem ſapere; non amplius eſſe ſub ferula & Pædagogo; ex ephebis dudum exceſſiſſe; non indigere, vt ad ſingula inſtruatur; vt conſilium petat; vt Confeſſarium interroget; vt de ſingulis negocijs ſe-

natum

natum cogat; aut examinet, an quid communi Eccleſiæ Romanæ doctrinæ, an traditioni, an Patribus, an Scripturis ſit conſentaneum.

Hinc eo vſque intumeſcunt, vt viſiones, & reuelationes, vt critiria jactent; vt res iniquiſſimas, pro juſtitia; falſiſſimas, pro veritate, habeant, ſeque magnos, non tumidos arbitrentur; cum ſint tumidi, non magni; & ſæpe non integris ſenſib. qui mera ſomnia & phantaſmata habent, pro reuelatione. Maximeque feminæ, huic vel inſaniæ, vel ſuperbiæ ſunt obnoxiæ; quæ ſæpe magnos decipiunt viros; vt Maximilla, & Priſcilla Nouatianos; & Montaniſtas, & ipſum adeò Tertullianum, qui *lib. de anima c. 9.* animam probare contendit eſſe corpoream, ex viſione Priſcillæ, quæ in Eccleſia tempore diuini officij extaſi rapiebatur, & cum Angelis loquebatur, ſed atris. Terribile eſt exemplum quod de Theologo Peruano narrat Ioſephus Acoſta *de natura noui orbis.* Ex quo ſatis prolixo apparet verè eum, *qui communicauerit ſuperbo, induere ſuperbiam. Eccl. 13. 1.* neque tantùm pro Spiritu timoris Domini Spiritum tumoris, ſed etiam deſperationis, hæreſis ſubire, & omnis impietatis, quæ *velut aqua bibitur.* III.

Excludunt hanc ſuperbiæ aquam omni conatu, in quibus ineſt Spiritus Dei, Spiritus humilitatis. Hinc in vitis PP. *lib. de obed. c. 35.* legimus, IV.

gimus,

gimus; Eremitam dæmoni, in forma Gabrielis Archangeli, ſe conſpiciendum præbenti dixiſſe: *Forte ad alium à Deo miſſus es, ego enim viſitatione Angelorum non ſum dignus.* Nec Angelos tantùm veretur aſpicere Spiritus humilitatis, ſed multò magis ipſum etiam Dominum Angelorum. Nam *Luc. 5. 8.* ait Petrus: *Exi à me, quia homo peccator ſum.* Immo vſque adeò à Spiritu ſuperbiæ abhorret Deus, vt, ad eum excludendum, ſæpe hominem permittat in alia peccata labi; vt poſtea dicat: *Bonum mihi quia humiliaſti me, vt diſcam juſtificationes tuas.* Ita Petrus, cum occulta ſuperbia inflatior dixiſſet *Matth. 26. 33. Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor*, ſtatim à Chriſto humiliatus eſt, prædictione negationis; longeque poſtea magis ipſa negationis fæditate agnita. *Audeo dicere*, ait S. Aug. *l. 14. de ciuit. c. 13. & ſer. 53. de verb. Dom. ſuperbis eſſe vtile cadere in aliquod apertum manifeſtumq́ peccatum, vnde ſibi diſpliceant, qui tam ſibi placendo ceciderunt.*

V. Immo Dei ſpiritu pleni, ipſo diabolo, quàm ſuperbiæ tumore, maluerunt occupari. Sur. 8. *Ian.* narrat S. Abbatem Seuerinum, in ſuo Monaſterio, tres habuiſſe monachos arrogantes, typhoque plenos, qui ſapere ſibi videbantur, ſuaque ſcita, velut è tripode, aut ad cribrum dicta accipi volebant, acclamationibus dediti, vt re-

rum

rum ſuarum omnium haberent approbatores, ſicut qui in naui vehuntur paraceleuſtas. Quos primùm commonuit. Sed quia, vt ſpiritu ſuperbiæ infecti, monitionibus non paruerunt, cum lachrimis Deum eſt precatus, vt eos caſtigatos humiliatoſque emendaret. Nondum orare deſierat, cum jam ſuperbos illos totidem cacodæmones inſederunt, atque ita agitarunt, vt cordis tumorē inſolentiſſimis clamoribus prodere cogerentur; ídque per totos quadraginta dies. Quibus exactis S. Abbas oratione denuo liberauit, quos precibus, ad emendationem, impetrauerat caſtigari. Et ſanè cum ſpiritu ſuperbiæ ſuperbia quoque ipſa illos reliquit.

Neque alios ſancti hoc remedio tantùm, ſed ſeipſos quoque voluerunt ſanari. Nam Sur. *loc. cit.* & Seuerus Sulpitius *dial. 1. §. 14.* recenſent, Sanctum quempiam virum virtutibus & miraculis clarum, ægris ſanitatem, energumenis immunitatem paſſim reſtituiſſe, obque id vbique gentium notum, ab Epiſcopis, à magnatibus, ab aulicis vndique viſitatum, qui certatim tunicam eius tangere, & benedictionem reportare laborabant. Titillauit ea res animum viri, ſenſitque vanitatem quandam ſubrepere. Igitur cum, odio ſuperbiæ, de varijs medicinis circumſpexiſſet, neque ſubducere ſe turbis confluentibus poſſet, ardentiſſimis precibus à Deo popo- VI.

ſcit, & obtinuit, vt qui alios à vexante diabolo liberaſſet, ipſe à Diabolo inſiliretur ac vexaretur. Miſerandum erat atque inexpectatum hominibus ſpectaculũ, videre iam illum ſic vexari cœptum; immo furentem, & catenis vinctum, etiam per templa circumductum, ad quem paulo ante alij vinculis circumdati ducebantur ſanandi. Quæ quidem tragœdia quinque menſes tenuit. Poſt quintum menſem ad ſe, & humilitatem rediuit, qui cuneo cuneum pepulit, & ipſum ſpiritum ſuperbiæ cuſtodem poſuit, ne ſuperbia locum haberet.

Quàm dira res ſuperbia eſt,
Si præſtat ipſum dæmonem,
Habere, quàm ſuperbiam?




Digitized by Google

Ova irrita, inanis gloriæ operibus ſimillima.

EMBLEMA LXXVIII.

VT QVID DILIGITIS VANITATEM? Pſ. 3. 4.



O*Vum* quidem ex doctrina S. Greg. *31.* 1. *mor. 7. eſt, vbi ſemen aliquorum animalium, præcipuè auium, continetur; vnde animal fouendo producant*, quod etiam ſcribit S. Hieronym. *ſup. Iob. 39.* ſed loquuntur hi Doctores de *ouis* prout à natura deſtinantur, ſi ſint perfecta. Nam alioqui, vt author eſt Plin. *l. 10. c. 58.* Palumbes & turtures, *quamuis tria pepererint* (oua) *nunquam plus duobus educunt. Tertium quod irritum eſt, vrinum vocant.* Quin *&* *ipſa*

inter ſe (ſi mas non ſit) feminæ æquè ſaliunt, pariuntq́ oua irrita, ex quibus nihil gignitur: quæ hypenemia Græci vocant. Et *cap. 60. Irrita oua, quæ hypenemia diximus, aut mutua feminæ inter ſe libidinis imaginatione concipiunt, aut puluere: nec columbæ tantùm, ſed & gallinæ, perdices, pauones, anſeres, chenalopeces. Sunt autem ſterilia, & minora, ac minùs jucundi ſaporis, & magis humida. Quidam & vento putant ea generari: qua de cauſſa etiã Zephyria appellantur. Hæc autem vere tantùm. Vrina fiunt incubatione derelicta; quæ alii cynoſura dixêre:*

11. Nempe ex Ariſtotele *l. 3. de gen. anim. c. 2.* quòd caniculæ tempore gignuntur, *Zephyria*; quia Fauonio vento flante concipiuntur, etiam *ſubuentanea* ſolent nominari. Quam rem etiam S. Baſil. *hom. 6. in Hexam.* de quibuſdam auium generibus affirmat, inter quas ponit & vultures. *Nam in aëreas,* inquit, *ſubuecta plagas, ſolo ventorum hauſtu & afflatu concipiunt oua: quæ quia ex vento ſunt, ideo ſubuentanea nuncupantur: euadunt tamen oua iſta irrita ſemper, atque inania. Immo etiam ab eiuſmodi ouis Baſiliſcos excludi plerique ſcribunt.* De quorum origine infra *Embl. 85.* Hæc ergo *oua*, quia vt *ſeq. Embl.* dicam, certis indicijs dignoſcuntur, & nullo unquam incubatu, nullo calore in pullum matureſcunt, ſub matre, corrumpuntur. Ea cauſſa eſt, ob

quam

quam gallinas ab incubatu abigere ſit neceſſe.

Vtinam & homines poſſemus abigere ab *ouis ſubuentaneis*, inanibus illis & vento vanitatis conceptis conſilijs, & inceptis actionibus. *Oua Zephyria* fæturæ inepta ſunt, & irrita redduntur, quippe citra patrem generata, tamen in cibum idonea gignuntur: at ventoſa illa mortalium opera non tantùm nihil proſunt vlli, vel teruncio indigna; ſed etiam obſunt inde gloriã captanti. Itaque nullum illis, tanquam *ſubuentaneis ouis*, ineſt ſemen cæleſtis præmij; irritum eſt, quidquid iſti pariunt. *Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam. Matth. 6.23.* Quantum damnum facit, qui ſingulis operibus cælum mereri poſſet, & tamen non, ſicut palumbes, & turtures, tertium *ouum* irritum facit, ſed ne tertium quidem opus vtile reddit, ad ſalutem æternam promerendam? III.

Quid dico vtile? etiam pernicioſum, vt quaſi baſiliſcum ſibi peperiſſe videatur. *Væ*, ait S. Bern. *ſerm. 45. in Cant. qui bene de Deo & ſentire, & eloqui acceperunt, ſi quæſtum æſtiment pietatem; ſi conuertant ad inanem gloriam, quod ad lucra Dei acceperunt erogandum; ſi alta ſapientes, humilibus non conſentiant.* Quàm meritò de his queritur Deus *Oſee 2.8. Dedi eis argentum, multiplicaui eis aurum, quæ fecerunt Baal.* Atque vt videas hæc IV.

gua, per inanis gloriæ ventum, illegitimè conçepta, refert huc S. Greg. *l.* 22. *Mor. c.* 17. illud S. Pauli 2. *Cor.* 2. 17. *non ſumus, ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei, ſed ſicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquimur.*

V. Nec enim tantùm verbum Dei adulterant hæretici, & qui illud peruersè exponunt ſenſu adulterino judicij proprij, relicto legitimo ſenſu Spiritus Sancti, qui eſt legitimus ſcripturæ, vt auctor, ita & maritus, & interpres, per Sanctos Eccleſiæ Doctores: ſed etiam qui è ſcientia vel ſacrarum, vel etiam profanarum ſcripturarum, relictâ Dei gloriâ, & ſalute atque vtilitate animarum, vanos honores captant. Vt enim legitimus conjux, & adulter eo differunt, quòd ille filios, hic voluptatem duntaxat ſpectet; ita qui inanis non eſt, doctrinâ ſuâ ſpirituales Deo gignere filios quærit, vt dicere poſſit; *Per Euangelium ego vos genui* 1. *Cor.* 4. 15. at qui propriam delectationem, commoda, atque laudes humanas in concionibus, vel quocunq; negocio ſpectat, qui ad gratiam loquitur, & verbis etiam coquinarijs delinit; qui ditiſſimo cuique aſſurgit, & more lupi ceruarij adulatur; næ ille verbum Dei adulterat. Qua de cauſſa SS. Patres vanæ gloriæ, *ſpiritualis luxuriæ* dant nomenclaturam.

Nihil

Nihil ergo proſunt opera, ob vanam gloriam, aut ex ſuperbia facta, ſicut *oua ſubuentanea*. Et fortaſſe haud parum viliora. *Oua ſubuentanea* eſui ſaltem ſunt idonea; vanitates illas, ne ſemiobolo quidem, aut caſſa nuce vnica emeris. Immo ſicut ex his, quidam exiſtimant gigni baſiliſcum, ita ex illis deteſtandorum criminum monſtra naſcuntur. Quin & ipſa ſuperbia ſatis peſtilens eſt monſtrũ, quod quis meritò conferre poſſit cum baſiliſco. Et ſanè contulit S. Bern. *in Pſal. 90. 13.* vbi exponens illa: *Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis*, ait: *De baſiliſco res mira & inaudita refertur, taliter ſcilicet cum viſu ſuo homini venenum afflare eum, vt occidat.* (videri poteſt *Plin. l. 8. c. 21, & l. 29. c. 4.*) Hanc baſiliſci naturam vanæ gloriæ accommodat ex illis *Matth. 6. 1. Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* ita enim videri, eſt videri velut à baſiliſco, & occidi. Vbi bellè quadrat ſimilitudo baſiliſci. Vt enim videri ab illo, eſt occidi, & videre illum, eſt occidere illum; ita illi ſoli à vana gloria pereunt, qui videri concupiſcunt; qui autem eius inanitatem, & turpitudinem, velut baſiliſcum, priùs vident, ita fumum & venenum illud deteſtantur, vt eis non noceat. Hac conſideratione accidit, vt diuinum illud ingenium, & An- VI.

Digitized by Google

gelicæ ſcientiæ Doctor Aquinas nunquam tot vitæ tempore, vt eſt in vita eius; S. Ignatius autem noſter, multis ante mortem annis, nunqu vanæ gloriæ peccatum contraxerit *Rib. l. 5. c. 3* Fuerunt ergo opera iſtorum non *oua ſubuentanea*. Quos vt quiſque bonus ſequatur magiſtros ſibi illud identidem occinat:

Concepta ventis oua nil gignunt boni;
Ventoſa virtus quid ferat?
Teſtas inanes, corticem, cucurbitas,
Locóque prolis, tormina.

Ova

Ova natantia, ſe ſe extollentiũ inanitas.

EMBLEMA LXXIX.

NIHIL OVA NATANTIA PROSVNT.



NE *oua* ſterilia incubentur, *in aqua eſt experimentum: inane fluitat; itaque ſidentia, hoc eſt, plena ſubijci volunt.* Plin. *l. 10. c. 54.* Cui ſubſcribit Aldrouand. *l. 14. Ornithol. c. 1.* his verbis: *Oua recentia nomen ſeruant, vetuſta verò antiquis requieta dicta ſunt, nobis vulgo ſtantia, fortè quoniam leuitate ſua aquis ſupernatent. Hac enim ratione tutò experiere, ſi plena ſunt, & recentia, an è contrario.* Ex aliorum quoque medicorum ſententia tradit Putean. *Orat. 20. Ouum corruptum vrinumq; fluitare, integrum ſub-* 1.

ſidere. illud enim aqueſcere contabeſcendo ſpiritibúſque augeri : hoc pondere ſuo & ſoliditate trahi. Quemadmodũ & circa cadauer vſuuenit : id enim ſpiritu deſtitutum primò fundum petit, & in imo deliteſcit : mox vbi computreſcere cœperit, emergit ac natat. Sic verè & in ouo velut cadauer habemus, ſed corrupto; hominisq; fatum hæc imago, hoc ouum ſuſtinet, quoties tabeſcit ac moritur. Moritur ouum, nec colorem ſeruat : &, vt ſcias, in hoc naturæ miraculo meras tenerrimáſque delicias eſſe, nihil tam facilè perit, quàm quod præſtantiſſimum eſt : ac tale eſſe debebat, quod tanta cuſtodia ſeruaretur, albumine cinctum, membrana clauſum, teſta munitum, immo tale eſſe debebat, quod auri colore dignum natura iudicauit. Ergo non in terra tantùm, ſed etiam in ouo habent mortales quod æſtiment.

II. Habent verò & quo abutantur ad ſuperbiam, & quo vtantur ad doctrinam. Ouo enim mulierculæ, pictæ illæ, & formam mentientes illinunt frontem, vt ſplendeant, ſi effætæ ſunt; ſi vernant, ne à ſole colorem contrahant aduſtæ, aut æthiopiſſæ fiant. Nam *candido oui* facies illitæ, ab vrente Phæbo non læduntur, neque nigreſcunt. Quod, vt aliæ caueant, laruas induunt. Ita ſuperbia abſcondere vultum cogit illas, quæ maximè videri cupiunt. Hæ ergo tales, quæ *ouis* vtuntur, vt ſuperbiant, ijſdem vtantur, vt demiſsè ſentiant. Nam more *ouorum*, inania, &

in-

inanes ſumma petunt; ſtant, natant, & apparent in aquis, quæ putrida ſunt: ſaniora, & in quibus eſt momentum, ſubſidunt. Quod in lignis quoque videre eſt, viliora aquis innatant, ebenum deſcendit. Qua ratione vulgus noſtrũ *Romana*, vt vocant, *roſaria* probat.

Piſces quoque in ſummo capiuntur, tuti forent, ſi in maris imo poſſent latitare. Et eſt quoddam genus, Murænam vocant, cuius in ſupremis vndis ſol cutem ita ſiccat & arefacit, vt imum non poſſit ampliùs ſubire, itáque prædantibus exponitur. Martial. l. 13. III.

Quæ natat in Siculo grandis muræna profundo,
Non valet exuſtam mergere ſole cutem.

In fabulis, quid Icaro notius? quò altior, eò ſtultior patre factus eſt. Vera ars Dædalum cohibuit. Et plerumque minùs docti, magis ſunt ſuperbi: glorantiúſque loquuntur, qui mentem habent extibiatam. Dolia quæ tinniunt, inania ſunt; plena obſcurè reſonant percuſſa. Sic verè pij non gloriantur; neque ſe iactant, aut immortalibus æquant, qui ſunt ſapienter docti. In quibus nihil eſt, niſi ventus, inanes non ceſſant flare glorias: poppyſmata ſitiunt, altiſſima affectant; &, ſi rectè expendas, non *oua*, ſed ſtercora ſunt natantia, quorum perpetua vox eſt, *Nos poma natamus*.

At quis miretur, ab his *amari primos recubitus* IV.

in

in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro? Matth. 23. 6. cum ſuperbia nihil aliud ſit, quàm inordinatus celſitudinis appetitus, vt eam definit S. Aug. *l. 14. de ciuit. c. 13.* omnis enim ſuperbus vult maior eſſe eo, quod eſt, ſiue apud ſe, in ſuo iudicio & tacita cogitatione, ſiue in æſtimatione aliorum, vnde ſe iactat; ſiue in opere, quod ſupra vires ſuas aggreditur; vt audiat : *Io Paan.* Quæ omnia varijs modis fieri poſſunt, & ſæpe vſque ad iniuriam proximi, & contemtum Dei ac mandatorũ eius progrediuntur. His modis qui ſe effert, quàm inane eſt *ouum*; non ſic nataturũ, niſi vacuum? Nam ſiue à ſe habere ſe exiſtimet, aut exiſtimari velit, quod ab alio habet; ſiue ſuo merito, quod gratis habet; ſiue maius eſſe putet, quod habet, quàm reuera ſit, nonne ſemper inanis & vanus, & mendax eſt?

V. Quare nullum aptius illi eſt remediũ, quàm vt hunc baſiliſcum priùs intueatur. Non poterit enim eum non contemnere, ſi cognoſcat. Si enim vana, & mendax eſt illa opinio, quàm de ſeipſo, vel in alio quis habet; quid quæſo amat? nonne merum *nihil*? Et tamen hoc *nihil* quot, & quantos tenet? Sciuit id probè S. Franciſcus Xauerius, qui vt eſt *in l. 6. c. 8. vita eius*, ſæpe erat auditus, multo cum gemitu ac ſuſpirio, dicere: *O arrogantia venenũ Christiana virtutis, quantum*

ob-

obfuiſti, obes, obfutura es orbi terrarum? Quod ſi verò etiam opes, ſi vires, ſi ingenium, ſi ſcientias, ſi virtutes, quis habet, facilè etiam ibi agnoſcet ſuam paruitatem ac inanitatem, ſi ſe ad alios magnos æſtimet: ſi reputet, etiam Druſos olim felices appellatos: ſi cogitet, quot in his terris ſint, aut fuerint in omni genere laudis maiores. Et ſi vel neminem putat, ſe, in terris maiorem excellentiorémque reperire; mente ad Inferos deſcendat, & videat quanta damnatorũ dæmonum, Deo inimicorum ibi ſit multitudo, quorum vel minimus eſt fortior, ingenioſior, doctior, & natura ſua nobilior maximo, qui nunc viuit in hoc mundo. Quod ſi nondum ſatis perſpexit ſuam paruitatem, ad cœlos cogitatione euolet, & tot millia Angelorũ, ac deniq; ipſum Deum, & abyſſum ſcientiæ, ſapientiæ, potentiæ illius conſideret.

VI. *Solitarius equus*, ait S. Io. Climachus *grad.* 25. *nonnunquam currere videtur, at ſi gregi ſocietur, tunc ſuam agnoſcit tarditatem.* Et paulò poſt, hæc ſubiungit. *Cuidam fortiſſimo athletæ Chriſti, impuri dæmones laudem in corde ſubſeminabant: At ille diuina inſpiratione malignorum ſpirituum nequitiam pio & religioſo compendio vincere aggreditur. Deſcribit in cellulæ pariete altiſſimarum virtutum appellationes, puta perfectæ charitatis, angelicæ humilitatis, mundiſſimæ orationis, incorruptibilis caſtita-*

ſtitatis, & huiuſmodi virtutum reliquarum. Cum ergo illum cogitationes extollere cœpiſſent, dicebat illis: Eamus ad arguentem: aduenienſq́ relegebat, ſibique ipſi clamabat: Cùm has omnes poſſederis, tunc ſcies, quàm longè adhuc à Deo ſis. Cum enim eas poſſederis, ſeruus eris inutilis, feciſti enim quod facere debuiſti. Hæc Climachus.

VII. Chryſoſtomi *ad pop. hom.* 39. hæc ſunt. *Fortis es, & altum ſapis, nonne per ea magis humiliari debes? Quare ſapis altùm in re viliſſima? Nam & leo te eſt audacior, & aper fortior, nec es ad eos culex. At & latrones, & fures, & gladiatores, & ſerui tui fortiores ſunt: hoc igitur laude dignum? Sed pulcher es & ſpecioſus. Cornicum oſtentatio, non es pauone pulchrior, neque propter florem, neque propter alas. Verùm & cygnus valde pulcher eſt, & aliæ aues multæ, quibus ſi fueris comparatus, aſpicies te quaſi nihil. Frequenter autem & viles pueri, & innuptæ virgines, & meritoriæ mulieres, & molles viri hanc gloriam habuerunt. At es locuples? vnde? quid poſſidens? Aurum, argentum, lapides precioſos, hæc eſt & latronum, & metalla ſcrutantium gloria. Sed ornaris, & comeris? Verùm & equos comtos videre licet, apud Perſas quoque camelos, hominum verò ſcenicos omnes. Non confunderis in his alta ſapiens, in quibus bruta tecum ſociantur, & ſerui, & homicidæ, & molles, & latrones, & fures? Sed propter vocem altùm ſapis. Cygno, luſci-*

luſciniáue nunquam tu ſuauius canere poteris. At in artis varietate? Et quid ape in hoc ſapientius? quis phrygio, quis pictor, quis geometres huius opera poterit imitari? Sed in veſtis ſubtilitate? Verùm hæc araneæ tibi præſtant. At in pedum velocitate, rurſum primas ferunt bruta, lepus, & caprea. Sed acutè cernis? tamen non ſicut dorcas, nec vt aquila. At auditum habes acutum? ſed aſinus acutiorem. At olfactum? Verùm canis te præcedere non ſinit, &c. Vides quantùm nobis rerum examinatio conferat? Omnibus hominibus altiora ſapiens etiam brutis vilior inuentus eſt. Quanta ergo inanitas eſt, ſe ſe ſupra ceteros extollentis? Et tamen ſe extollit, non facturus, ſi inanis non eſſet. Itaque

In vacuo, aut pleno virtutem examinet ouo,
Qui vel ſumma leuis, vel grauis ima petit.

Ova

Ova clandeſtinè cocta, hypocritarum ſimulationem prodentia.

EMBLEMA LXXX.

NE FVERIS HYPOCRITA IN CONSPECTV HOMINVM. Eccli. 1. 37.



1. *ANdreas Lucardus cuidam obiicienti, quòd hypocriſin ab ipſo didiciſſet, hanc fabulam narrauit. Fuit Monachus anonymus, qui ieiunij impatiens, cum nihil aliud ſuppeteret, in cella ſua ouum candelæ admotum, tam diu verſauit, donec percoctũ eſſet. Id cum cænobiarcha per rimam inſpiciens notaſſet, cellam ingreſſus cænobitam increpuit. Ille ſeſe excuſans, ait: Hanc artem peccandi tam ſubtilem dæmon ipſe me docuit. Tunc enimverò dæmon, qui ſub menſa latitârat, ſe prœripiens: Mentiris,*

ris,' ait, peſſime : hanc enim nequitiam non tu à me, ſed ego à te didici. Gaſp. Enſ. *l. 2. Epidorpid. p. 241.* Ita quidem retorſit calumniam Lucardus. Ceterùm etſi nec ipſe exiſtimem, vllum cacodæmonem tam eſſe rudem ac ſimplicem, vt nequitiam adeò leuem, hoc eſt, artem *oua* candelæ admota coquendi, didicerit à Monacho, cum naturalia omnia ſpiritibus illis ſint perſpectiſſima; tamen, ob eam vnicam rationem, haud dixerim fabulam eſſe (quam prorſus fabulam eſſe, & in odium Monachorum à maleuolo excogitatam credo) æquè enim diabolus, procliuiuſq; mentiri potuit, ac Monachus: *quia non eſt veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt: Io. 8. 44.*

Certè haud abſimilem hiſtoriam recenſet S. Gregorius *l. 4. dialog. c. 34.* his verbis: *Eſt apud nos nunc Athanaſius ex Iſauria, presbyter, qui in diebus ſuis Iconii rem terribilem narrat eueniſſe, Ibi namq;, vt ait, quoddam monaſterium Thongolaton dicitur, in quo quidam Monachus magnæ æſtimationis habebatur; bonis quippe cernebatur moribus, atque in omni actione ſua compoſitus, ſed ſicut ex fine res patuit, longè aliter, quàm apparebat, fuit. Nam cum ieiunare ſe cum fratribus demonſtraret, occultè manducare conſueuerat. Quod eius vitium fratres omnino neſciebant. ſed, corporis ſuperueniente moleſtia, ad vitæ extrema perductus eſt. Qui cum* 11.

iam eſſet in fine, fratres ad ſe omnes, qui monaſteri inerant, congregari fecit. At illi tali, ut putabant viro moriente, magnum quid ac delectabile ſe ab e audire crediderant. Quibus ipſe afflictus & tremen compulſus eſt prodere, cui hoſti traditus cogebatu exire. Nam dixit. Quando me vobiſcum credeba tis ieiunare, occultè comedebam: & ecce nunc ad de uorandum draconi traditus ſum, qui cauda ſua me genua, pedeſq; colligauit, caput verò ſuum intra me um os mittens ſpiritum meum ebibens extrahit. Quibus dictis ſtatim defunctus eſt, atque ut peni tendo ſe liberare potuiſſet à dracone, quem viderat expectatus non eſt. Quod nimirum conſtat, quia a ſolam utilitatem audientium viderit, qui eum ho ſtem, cui traditus fuerat, & innotuit, & non euaſi Hæc S. Gregorius.

III. D. Auguſtinus *in l. 83. qq. q. 53. Sicut pro pe ſumma & diuina virtus eſt*, ait, *neminem deci pere, ſic vltimum vitium eſt, quemlibet decipere* quod faciunt, quicunque volunt videri, quo non ſunt, qui cum bonitate vera careant, ſalter boni ſibi vmbram circumpingunt. Ita fiunt no virtutum exemplaria, ſed ſpectra Empuſarum Aſſonat D. Hieronymus *lib. 7. in Iſa.* ſub finem *ſi caſtum eſſe me ſimulo*, inquiens, *& aliud eſt conſcientia mea: habeo non gloriam mercenarij, ſe ſupplicia peccatoris. Et in comparatione duorum malorũ, leuius malum eſt, apertè peccare, quàm ſi mulare, & fingere ſanctitatem.* Acce-

Digitized by Google

Accedat quartus Eccleſiæ Latinæ Doctor IV.
Ambroſius, & erudiat ſeculi noſtri Politicos, qui verba ſua ita didicerunt componere, vt ferè nihil illis ampliùs credere audeas; certè trepidare oportet, quoties etiam optima promittunt; & *oua* clam candelæ admouere timendi ſunt, quando palam apparent abſtinentes; ſpondentque omnem protectionem, cum deglubere cogitant, pellace vulpe benigniores. Veritatis ſimplex oratio; fraus fuco veſtienda eſt, & aſtu colenda. Præda citiùs capitur, ſi laqueus tegatur. Ita *loquitur* S. Ambroſius *l. 7. epiſt. 44. Nemo in dolo loquatur ad proximum ſuum. Laqueus eſt in labijs noſtris, & ſæpe vnusquisq; ſermonibus ſuis non explicatur, ſed inuoluitur. Fouea alta eſt os maleuoli, grande innocentiæ præcipitium; ſed maius maleuolentiæ. Innocens dum credit facilè, citò labitur, ſed tamen iſte lapſus reſurgit: maledicus autem ſuis artibus præcipitatur, vnde nunquam exiliat, atque euadat. Ponderet ergo vnusquisque ſermones ſuos, non cum fraude & dolo:* ne ſeipſum magis, quàm alium decipiat.

Similis eſt talis, teſte S. Greg. Nazianz. *in* V.
orat. funeb. Pat. meretrici, *quæ ſicut, cum natiua pulchritudine deſtituta eſt, ad colores, pigmenta & fucos confugere ſolet: ita hypocrita cum ſpecie ſolida, perfectaq; virtutis careat, adumbrationem quandam pietatis externam ſimulat, qua eorum*

oculos retinet, qui adumbrata virtutis ſimulatio-ne capiuntur. Nec meretrici tantùm, ipſi caco-dæmoni ſimilis eſt hypocrita, nam & ille *trans-figurat ſe in Angelum lucis 2. Cor. 11. 14.* Hinc *2. Machab. 6.* Eleazarus ſenex, & eius exem-plo, apud *Sur. 22. Ian.* S. Anaſtaſius Martyr Per-ſa, omnia potiùs extrema pati voluerunt, quàm eſſe impij ſimulatores.

VI. Hæc ſi noſtra ætas impenſiùs imitaretur, non haberemus tot clandeſtinos *Ouorum* cocos: non tot gladios melle litos, nec tot pocillatores, qui lethale mulſum propinant. Ceruis, & da-mis, ſubinde in ventriculo, è ſaluberrimis her-bis, colore ſubuiridi, aut ferrugineo, *ouum* na-ſcitur, quale & in boue aliquando repertum aiunt. Hoc *ouum* ſuccum præſtat; vt cerui qui-dem ac damæ, cum niuibus omnia algent, diu ſine cibo vitam poſſint producere, ſucco ſcili-cet, & viribus *oui* illius, vicem agentibus cibo-rum. Tale *ouum* Eleazaro, atque Anaſtaſio in pectore fuit, vt cum Chriſto *Io. 4. 32.* dicere poſſent, *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis*: &: *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Hinc ne-que cibis vetitis, neque ſimulatione comedendi vti voluerunt. At quibus in corde nullus eſt ſuccus pietatis, neque vllus virtutum theſaurus; foris ſimulant, quo intus carent. Ea propter

Domi-

Digitized by Google

Domini monitio eſt, *Matth. 6. 16. Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam.* Quin &, apud homines, quod quærunt perdunt. Nulli enim minoris æſtimantur, quàm qui virtutem mentiuntur. Quare deprehenſi, *ſicut diploide*, duplici *confuſione* induuntur, & quòd non boni, & quòd fraudulenti; ſicut ille, qui neque ieiunij amans fuit, & tamen videri talem ſe ſtudebat, *oua* occultè ad candelam coquere deprehenſus. Quem proinde ſic licet compellare.

Erraſti, infelix. Si clam coquere oua volebas,
Vmbra tibi, minimè Lvx *adeunda fuit.*

Ovorum vſus, ſimulatorum dolus.

EMBLEMA LXXXI.

QVAM VOTA SVNT MORTALIVM CONTRARIA? NIGER HIC VIDERI, NON VIDERI ALTER CVPIT.



1. OVum ad colorem facere ex Plin. diſcimus *l. 35. c. 6.* nam *pingentes ſandyce ſubdita mox ouo inducentes purpuriſſum, fulgorem minij faciũt.* Ælianus *l.* 1. *de animal. c.* 48 ita ſcribit: *Corui oua audio nigros efficere pilos. Qui verò capillitium ſuum ſic adulterat, oportet oleum in ore compreſſum habeat. nam niſi id fiat, ſimul cum pilis ei dentes nigri redduntur, vixq́; elui poſſunt.* Sed etſi dentes *ouis* nigreſcerent, *ouis* tamen iterum poſſent emaculari, putamine eorum in denti-

fri-

Digitized by Google

fricium redacto. Nec enim aut promtiore remedio oſſeum illud oris ſeptum, aut mundiore puluiſculo illuuies labéſque repurgatur. Ceterùm quia puriſſimi tenerrimiq; ſucci eſt *ouum*, ætatem non fert, ſeniumq; timet; tametſi enim quàm primùm naſcitur, in teſta caluitiem oſtēdit, nihil tamen illi adeò obeſt, quàm ſi diuturnitate ſinatur computreſcere. Fœdus pædor eſt, cum vetuſtum eſt. Exoleſcit, cum aſſeruatur. Venenum fit, cum è diario fit annona.

Idem homini contingit, qui iuuenis cum eſt, vernat, floret, formoſus eſt; cum ſeneſcit, putreſcit. Fugiunt tunc è genis roſæ, & ſubit pro purpura pallor, pro aurea cæſarie canities; pro niue frontis, niues capitis, vultuſq; ipſe hyemem præ ſe fert. Quare ſenex fuit, qui cum iuuenculæ nuptias ambiret; coruorum *ouis* caput curauit lauari dicam, an maculari? Nam è candido niger factus eſt illi capillus, ipſéque è cygno coruus euaſit; & puellam decepit, quæ vtique procum, quia *niger* erat, cauere debuiſſet. Vidit hoc è familia non nemo, æthiops, bello mancipium factus, quem cetera mancipia miſerum affecerunt malè, & peius omnibus oderat herus, quòd niger & ſtigmaticus, & in tergo, vt auis attagen, variegatus eſſet. Artem ergo ſe nactum ratus, qua albeſceret, fortunam ſic aggreſſus eſt emendare. Audiuerat aliquando dici, & velut è Iouis II.

tabulis recitari; *contrariorum eandem eſſe ſcientiam*, hinc ſe Philoſophum ratus, poſtea etiam in medicum euaſit, cum intellexit, *contraria contrarijs curari*. Itaq; ſicut herum viderat coruorum *ouis* nigreſcere, ita ſperauit ipſe poſſe ſe *ouis* cygnorum albeſcere. Sed poſtquam omnia cygnorum *oua* conſumſit, æthiops manſit; ac inſuper in furto deprehenſus (tanquam aliàs nihili, aut certè ſale emptum mancipium, inutiléque terræ pondus) ad coruos miſſus eſt, vt nigri ſimul eſſent. Quin laqueo ſuffocatus, aliquantulo etiam nigrior eſt factus, quàm viuus fuiſſet.

III. Notum eſt, de alio ſene, qui plumbeo calamiſtro, in nuptijs, canos in atros capillos cum vertiſſet, à Principe viro, choreis adeò adactus eſt ſudare, vt denuo caneſceret. Nempe quiſq; ſuo colore contentus eſſe debet; quod prior ille ſenex niuibus, & Æthiops carbonibus ſuis oſtendit. Quod & oſtendit Ælius Adrianus Imperator, de quo, vt refert Spartianus, *illud quoque innotuit, quod cum cuidam caneſcenti quiddam negaſſet, eidem iterum petenti, ſed infecto capite, reſpondit; Iam hoc patri tuo negaui.*

IV. Quibus rebus erudiuntur hypocritæ, ne colores quærant ſuorum vitiorum; aut arte contegere, aut etiam ornare nitantur criminũ ſuorum næuos. Plerumque malè cedit pietas ſimulata;

Digitized by Google

lata; & fucus tranſit in infamiam,cum detegitur. Quis non ridet mulieres *interpoles? veteres* illas, *quæ ſe vnguento vnctitant? Plaut. in Moſtel.* quæ tantùm quotannis ſtibij in oculos, ceruſſæ in cutem inſumunt? quæ magis pictæ ſunt, quàm vlla tabula? quibus nunquam licet in choreis ſudare, ne facies, riuis manantibus, per emtum candorem, nigros ſulcos exhibeat; dûm exanguem piceámque pellem atra lux pererrat? quæ nunquam ſe iuuenculas facient, quamuis adhibeant, quidquid pharmacopolæ vendunt; quæ denique laruæ, quæ *oua* picturata, quæ veteratoriæ artis magiſtræ audiunt?

Meritò Nicias poëta, vt rideret effeminatum caluum, dixit: ὠὸν ἅπας γέγονεν: *ouum totus factus eſt. Mollis ille canitiem non ferens, fuco tingere capillos non deſinebat: ſed cum ſic continuum cum natura negotium eſſet, neque niues capitis vinceret, hoc egit, vt vitiata cute, capilli defluerent.* Put. *or.* 20. Vnde igitur iſti placere volunt, inde diſplicent, ac ibi damna illis eueniunt, vbi commoda quærunt. Nam rectè dicitur *Iob.* 8. 13. *Spes hypocritæ peribit.* Quàm luculentè id apparuit in Anania & Sapphira? *Act.* 5. 3. *Quid euidentius eo*, ait S. Ambroſ. *l.* 3. *de off. c.* 11. *quod Ananias, quia fraudauit de precio agri ſui, quem ipſe vendiderat, & portionem pretij, tanquam ſummæ totius numerum, ante pedes poſuit Apoſtolorum, ſicut reus* V.

fraudis interijt? Licuit vtique illi nihil offerre, & hoc ſine fraude feciſſet: ſed quia fraudem admiſcuit, non liberalitatis gratiam reportauit, ſed fallaciæ pœnam exoluit. Nempe planè ita eſt, vt *fraus* ſua *nemini*, neque apud homines, neque ante diuinum tribunal, *debeat patrocinari*: &, vt dicitur *Prou. 3. 32. Abominatio Domini eſt omnis illuſor.*

VI. Hinc in Caſſiodori *hiſt. tripart. l. 9. c. 48.* ſequentia leguntur. *Quidam pauperes ſtudentes Epiphanium arte deludere, vt eis aliquid daret, cum iter ageret, vnus eorum ſupinum ſe proſtrauit in terra, alter verò ſtabat, quaſi mortuum deflens, nec habens vnde eum ſepelire poſſet. Epiphanius autem ſuperueniens orauit, vt ſub quiete dormiret, & ſepultura neceſſaria præbuit, ſimulq; conſolatus eſt flentem dicens: Quieſce fili a lachrymis: non enim fletu ſuſcitari poterit. Cúmq; diſceſſiſſet Epiphanius, cœpit ille pulſare ſocium, vt reſurgeret. Et cum hoc ſecundò feciſſet dicens: Surge, hodie tuis laboribus epulemur; & ille penitus non ſentiret, cognoſcens verè mortuum, cucurrit ad Epiphanium flens & petens, vt eius ſocium ſuſcitaret. At ille conſolatus eſt eum, hortans ne ferret grauiter, quod euenerat, non tamen defunctum denuo ſuſcitauit. Hoc enim credo proinde geſtum, vt miniſtri Dei non facilè deludantur.*

VII. Simile quid habetur in vita S. Gregorij Thauma-

Digitized by Google

maturgi, quam S. Gregorius Nyſſenus ſcripſit. Ex quibus perſpicuum fit, quid lucri ferat ſimulator, qui dum videri vult aliquid, viliſſimas partes agit; eſtque, quod Iphicrates de Callia dixit, *Mithragyrtes, non daduchus.* Qualibus teſte S. Hieron. *l. 2. contra Pelagianos*, plenus eſt mundus. Quiſquis enim ſe vult videri, quod non eſt, hypocrita eſt. Et S. Baſilij *hom. 1.* verba ſunt. *Hypocrita dicitur hiſtrio, qui in theatro perſonam ſuſtinet alienam: ſæpe heri, cum ſit ſeruus:* aut regis, cum ſit priuatus. Itidem in hac vita pleriq; vitam ſuam, velut è proſcenio, ad oſtentationem componunt, aliud in corde *gerentes, aliud, in ſpecie, hominum oculis præ ſe ferentes.* O quàm miſeri iſti ſunt hiſtriones! qui dummodo hominibus placeant, non verentur Deo diſplicere; neque iam rè tantùm, ſed ipſa etiam ſimulatione mali; ſicut ſenex qui niger, & Æthiops, qui albus videri cupiebat, fraude etiam ſe faciebant deteriores.

Diſſimulare ſenex, iuuenis ſimulare volebat
Candorem; neuter candidus ergo fuit.

Ovum

Ovum aureum auaritiæ nutrimentum.

EMBLEMA LXXXII.

QVID NON MORTALIA PECTORA COGIS, AVRI SACRA FAMES?



1. *HAbebat gallinam quidam, quæ ouum quotidie pariebat aureum. Hic ſperans auri maſſam intra illam eſſe abſconditam: occidit gallinam, & in diſſecta nihil aliud reperit, quàm quod in reliquis eſſe gallinis conſueuit. Itaq; ingentibus ille diuitijs inhians, etiam mediocres perdidit.* Ita Æſopus *fab. 135.* vbi monet, immodicas vt cupiditates, & auidos diuitiarum animos compeſcamus; & vt ſuâ quiſque fortunâ contentus viuat. Quò etiam pertinet illa fabula 24. eiuſdem, qua cum Demoſthene oſtendit, rebus ſecundis non

eſſe

Digitized by Google

eſſe modum, neque finem cupiditatum, multoſ-que ſæpe fortunæ melioris, & neſcio quæ diuitiarũ Gargara ſomniantes, præſentia bona amittere. Eſt autem fabula hæc. *Mulier vidua gallinā habebat, quæ ſingulis diebus ouum vnum pariebat, quæ ſi curaret diligentiùs & ſaginaret gallinam, ſperandum eſſe exiſtimabat, vt bina aut terna illa quotidie oua pareret. Cum autem cibo ſuperfluo opima gallina & pinguis facta eſſet, planè tum oua parere deſiit.*

Perdit ergo lucrum amor nimius lucri; & ad auaritiam allicit *ouum*, quòd, ſi rectè conſideretur, liberalitatem docet. Nam, vt Conciliator *in differentia 69.* deſcribit; *Ouum eſt animal potentia ex ouificantis productum ſuperfluo*; quod officium eſt opulentorum, qui & ipſi de ſuperfluo ſtipem debent erogare, vnde pauperum vitam ſuſtentent. Nam, vt in Græcis dicitur, *Qui multum habet piperis, etiam oleribus immiſcet*: & quò plenior eſt Pactolus, eò magis inundat. Ita quidem par eſſet facere eos, qui è pleno dolio hauriunt. Sed arenæ ſunt ſteriles; imbrem bibunt, gramen non reddunt. Amaltheæ cornu ſi illis eſſet, floſculum non donarent. Denique *Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ*; & qui olim pomo, nunc *ouo*, eoq; *aureo* decipit. Accipe, quod in Societatis noſtræ Annalibus *An. 1588, Collegio Monacenſi* refertur. *Monachij diabolus noctu viro cuidam pio* II.

appa-

apparuit monens, orationem longam ſimul & difficilem Deo gratiſſimam eſſe, oraret proinde noctu quotidie, nudato corpore, flexis genibus, expaſſis brachijs totum pſalterium. Fecit homo: ratus, Angelum bonum fuiſſe. Dubitare tandem cœpit, num inſidiæ laterent, credo ex defatigatione. Adeſt ergo denuò diabolus, & vt ab omni fallacia tutus ſit, rem futuro miraculo firmat. Pone ouum, inquit, in ara diebus Sabathi, poſtridie AVRATVM *reperies. Sed cum ille, gloriam, an conſilium quærens, rem alijs aperuiſſet, ſuaſum eſt homini vt de re tota ad noſtros referret. Retulit, & dæmonis fraudem edoctus, facta confeſſione, omni moleſtia liberatus eſt.*

III. O ſi multi ſeruarent, quod, apud Liu. *l. 5. dec. 1.* Camillus ſanxit, ne quis plus quingenta jugera poſſideret! ô ſi, inquam, multi eo, quod poſſident, contenti, *ouum* poſſent aureum contemnere, quàm truculento ſe dæmone liberarent! neque illis cupiditas ſua damno eſſet, vt non jam gallinam, ſed ipſa viſcera ſua euiſcerarent. Ecquando iſti tales ſatis prandent, niſi quando foris, & alienâ quadrâ? Quod ſi auarities eos cogit, proprium genium defraudare, jam deteriores fiunt viduâ Æſopica, quæ plus hordei dedit, & alimentum gallinæ auxit, vt augeret & fœcunditatem. Nam quia audierat, gallinas *omni tempore, præterquam duob. menſib. brumalib. parere oua*, & quaſdam quidem bis die, ali-

Digitized by Google

aliquas in tantùm, vt effætæ moriantur, non contenta *euo* quotidiano, vt geminarentur *oua*, victum geminauit. Sed pinguefactam gallinam ſterilem reddidit. Iſti verò, qui præ auaritia nunquam audent ſatiare importunè latrantem ſtomachum, neque agros quidem ſuos ſtercorant ad ſatietatem, & metere volunt, vbi ſementem non fecerunt.

Quid quod ne equis ſuis pabulum ſufficiens præbent? quid mirum ſi minùs arant poſtea jumenta, quæ non paſcuntur? Scholaſticus, *apud Hieroclem in Facetiis*, equum emerat, quem docuit, nihil comedere, demenſum ſubducendo. Cum ergo aliquot diebus equus nihil comediſſet, corruit mortuus. Bœoticus ille Scholaſticus mortem jumenti impatienter deplorauit, duplici ſe damno affectum dicens; & quòd equũ amiſiſſet, & quòd tum, cum jam nihil comedere didiciſſet. O quàm multi auari, hanc ſtultitiam imitantur! qui queruntur, ſe optimos famulos, & amicos, atque etiam artifices, immò & milites amittere. Nempe cum nihil dant, quod edant, mirantur ſe perdere lucri ſui promotores. Immo hoc impetrant, vt tales ſibi ipſis longè vberiùs prouideant, de domini crumenâ; exiſtimant enim id æquum eſſe, quando inciderunt in dominum iniquum. IV.

Nuncquid iſti cum *ouo aureo* gallinam amittunt? V.

tunt? Ergo ſua illis cupiditas nocet, quæ ſæpe, quod appetit, amittit. Nihil enim aliud eſt, quàm amor & appetitus immoderatus habendi, qui conſiſtit *in retinendo*, & *non dando*, v. g. *aliena*, vel *mercedem*, *quando*, *vel quomodo*, *& quibus oportet*: itemq; *in acquirendo præter modum*; *per fraudes*, *vſuras*, *furta*. Peccat verò auaritia non ſolùm erga alterum, & contra juſtitiam; ſed etiam contra liberalitatem, quando quis erga ſe ipſum eſt auarus, tenui ſalillo, & freſsâ fabâ victitans, benè nummatus.

VI. Auaritiæ inſignes ſeptem è D. Gregorio filias enumerat S. Tho. *2.2.q.118.art.8*. *Obduratione͂*, quæ animo immiſericorde non vult ſuccurrere neceſſitatibus proximorum: *inquietudinem*, qua quis ob immoderatum affectum, ſolicitus eſt, & varijs anxietatibus diſtrahitur: *fraudem*, *fallaciam*, *periurium*, *violentiam*, *proditionem*. Qui enim contra ratione͂ appetit diteſcere, ſæpe vtitur *fallaciâ* in verbis, & *fraude* in factis, & perjurio ad falſum confirmandum, & *violentiâ* ad furandum, rapiendum, ſpoliandum, occidendū; etiam *proditione* ad acquirendum, vt Iudas.

VII. Neque conſiſtit in his filiabus auaritia, nam ſicut, Mydæ ritu, cibo in aurum verſo, inedia ſe cruciat; ita in alterâ vitâ Tantalos facit, æternæ quoque parens damnationis. Pharmacopæi, inter medicamenta, quoddam aſſeruant, quod *ouum aureum* appellant, quo aiunt malignas à

corde

Digitized by Google

corde fuligines arceri. Contrarium facit auri cupiditas, non tantùm fuligine os ſublinit, ſed pectus quoque implet æſtu, & animam in æternas fuligines, & caminos coniicit. *Eccl. 10. 10. Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam: hic enim & animam ſuam venalem habet.* Et *Baruch 3. 18. Vbi ſunt, qui argentum theſaurizant? & aurum, in quo confidunt homines? Exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt.* Ipſe Apoſtolus *1. Tim. 6. 9.* quàm rotundè pronunciat: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem: & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Nonne hoc eſt gallinam pro ouo perdere? Denique *in nullum auarus bonus eſt, in ſe peſſimus. Senec. ep. 108.* Quid ita? quia diuitijs non vtitur, niſi tanquam compedibus, quibus vinciatur. In hanc rem opes obijcit Mammona: cuius effigies fuit *Circulator à ſimia rogatus, catenulam dum ipſi dedit; quam admittens, & ea detenta captiua facta eſt.* Itaque ſordidus non juuatur, ſed ligatur opibus; & cochleæ vitam agit, ſordibus victitat, abſtemium ſacrificium libat: quin ipſis pecunijs ſuis tanquam Euclio, in mille ſolicitudines datur, nec cælum ijs emit; nec ipſis diuitijs diues, ſed pauper eſt. *Prou. 13. 8.* Cum interim, vel apud Ethnicos, opum contemtor dicere poſſit:

Pauperiem modico contentus ſemper amaui:
Et rerum Dominus nil cupiendo fui.

Ova miraculo mutata impiorum auaritiam caſtigant.

EMBLEMA LXXXIII.

SACRILEGIS NVNQVAM PROSVNT SVA FVRTA.



I. SIlueſter Giraldus Cambrenſis in *Topographia Hibernia*, inter Hiberniæ mirabilia *cap. 40.* hæc habet. *In vlteriore Vltoniæ parte, ſunt montana quædam, in quibus grues aueſq; variæ ſuo in tempore abunde nidificant, propter refugium & pacem non tantùm hominibus, verùm etiam pecoribus & auibus ab incolis ibidem exhibitam, ob reuerentiam ſcilicet S. Beani, cuius Eccleſia locum illuſtrat. Sanctus iſte miro, & inaudito more non tantùm aues, ſed & auium ſuarum oua tuetur. Si enim,*

vt

vt oua rapias, manum admoneas, videas protinus pullos marcidos & rubros, & tanquam eadem hora iam excluſos. Sin autem manum retrahas cum voluntate, videas iterum ſeu miraculosè, ſeu phantaſticè, contra naturæ curſum, pullos in oua vel conuerſos, vel reuerſos. Accedant duo inſpector ſimul & raptor, hic pullos, ille oua videbit. Alexander Magnus, *etiam olitorem odi, qui radicitus euellat*, inquiebat in populi oppreſſorem; ſancti adhuc delicatiùs amant ſibi creditos, vt ne auibus quidem velint ſtirpem ſuam exſcindi.

Nequeunt ſancti tolerare rapinam auium ſuarum, & tolerabunt opum, immo reliquiarum ſuarum? oſores furti, erunt amatores ſacrilegij? Qui vel miraculo cuſtodiunt *oua*, negligent templa? Et tamen ſunt, qui hæc ſpoliant, religionis, ſine vlla religione, violatores. Verè dictum eſt *Eccl. 10. 9. Auaro nihil ſceleſtius.* Cui ſubſcribit Bion, nam ex illius ſententia, *Cupiditas eſt metropolis abominationis.* Certè, vt Cic. *orat. pro Quint.* ait, *Nullum eſt officium tam ſanctum atque ſolenne, quod non auaritia comminuere, atque violare ſoleat.* Et, vt *in Vatinium* inquit, *Nemo tam firmum habuit præſidium, quod auaritia non infregerit, atque debilitauerit.* II.

Bellè in *oui* cupiditate, cupiditas auri denotatur. Nam & in *ouo* aurum argento circumdatum, ſed idcirco teſtâ duriore eſt munitum, vt III.

ſit tutum. Certè auri argentique in ouo color eſt. Sed neque tam in vllis ſiluis, vel nidis eſt abditum, neque adeò in vllis ramis arboribuſque ſublime vllum *ouum*, quo non ſubinde Autolyci, & manus auarę accedant; tametſi ſæpius deluſæ. *Sordidus quidam*, ait Phryx fabulator, *auarus credulus, audito de præruptis montibus, & collibus Indiæ auro, ebore, & electro ſolidis, eò profectus, & gryphes inacceſſos eos cuſtodientes nactus, cum grauibus maledictis reuerſus eſt*. Ita vbicunque aurum, argentumúe odoratur, *auaritia inſatiabilis, immenſa & incredibilia poteſt. Cic. in Vatin.* Et, vt S. Chryſ. *orat. 7. in auaros* loquitur, *quid manibus auari ſceleratius? quid oculis impudentius? & caninum magis? non aſpicit homines vt homines, neque cælum vt cælum, ſed omnia pecuniam eſſe putat.* Hinc ſacra & profana, nullo diſcrimine violat.

IV. Quare nec *volucres cæli nidos habere* ſinit, hoc eſt, nec ipſos Dei ſeruos, in clauſtris ſuis Deum laudantes, intactos prætermittit. Nam & illinc extrahit victui neceſſaria, vt quaſi à mortuis tributum exigat. Sed paruo ſuo lucro. Rarò enim tales diu diuitias malè partas ſeruant. Immo, vt aquilinæ pennæ columbinis additæ eas conſumunt, ita quæ Deo erepta priuatis opibus junguntur, & ipſa euaneſcunt, & illa quoque conſumunt, quæ propria fuêre; vel certè inutilia

red-

Digitized by Google

reddunt, ſicut S. Beanus *vua* ſibi concredita, quando à raptoribus violantur.

Videtur hoc ipſum prædicere S. Iacob. 5. V.
1. *Agite nunc diuites*, ait, *plorate vlulantes, in miſeriis veſtris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt. Aurum & argentum veſtrum æruginauit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras, ſicut ignis. Theſaurizaſtis vobis iram in nouiſſimis diebus.* Quid ni? *Nam auaritia fidem, probitatem,* ait Saluſt. in Catil. *ceteraſque bonas artes ſubuertit, proque his ſuperbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere edocuit.* Hinc grauib. pœnis à Deo mulctatur non rarò, etiam in hac vita, vt Caſſian. *l. 7. Inſtit. c. 14.* in Giezi, Iuda, Anania & Sapphira oſtendit. Quibus addi poteſt Achan, & Abias, Achab, cum Iezabele.

Greg. Turon. *l. 1. de glor. Mart. c. 106.* VI.
refert, mulierem itare ſolitam in terram ſanctã, collegiſſe magnam pecuniæ ſummam, captiuis redimendis, & egenis juuandis, titulo tenus, nam reipſa ſibi collegerat, & defoderat. Sed mox, Deo vindicante, mortua & ipſa etiam in ſepulchro defoſſa eſt; quò inuentæ, juſſu Epiſcopi, pecuniæ, ſimul cum cadauere, ſunt proiectæ. A media ergo nocte, per tres continuos dies, è tumulo, feralis vox audita eſt, quæ identidem diceret:

ret: *Vrit me aurum, vrit aurum.* Aperuerunt tumulum, qui audierunt, & liquatum aurum flammæ inſtar, in os ſe mulieris infundere, indeque ebullire deprehenderunt.

VII. Num clementiùs actum ſit cum illo, cum quo centum Solidi ſepulti ſunt, Nitriæ, de quo S. Hieronym. *ep. 22. ad Euſtochium* aut cum Iuſto, cum quo tres aurei ſepulti ſunt, in ſterquilinio, de quo S. Greg. *l. 4. c. 55*, Deus nouit. Quàm meritò S. Bonauent. *in diæta Salut. tit. 1. c. 4.* auarum porco comparat, qui non niſi mortuus vtilis eſt aliis, quibus opes relinquit, *Volens egenus viuere, locuples mori:* vt, plerumque nihil ei diuitiæ proſint, obſint plurimùm, præſertim rebus ſacris, per Simoniam, aut ſacrilegium comparatæ. Ita ſuo damno jus primogenituræ, id eſt, ſacerdotij lenticulâ vendidit Eſau *Gen. 25. 3.* Nam Hebræi, teſte S. Hieronymo *ep. 126. tradunt, quòd vſque ad Sacerdotium Aaron omnes primogeniti ex ſtirpe Noë, cuius ſeries & ordo deſcribitur, fuerint Sacerdotes, & Deo victimas immolarint, & hæc eſſe primogenita, quæ Eſau fratri ſuo vendiderit Iacob.*

IIX. Hinc & Malachias propheta, *cap. 12.* & S. Paulus *Rom. 9. 13.* Eſau proponit, velut typum ſpiritualem omnium reproborum, vt monet S. Auguſtin. *in Pſal. 46.* Multa hîc poſſent exempla commemorari, præſertim illud, quod Baronius

nius *An. 1055. ex Nicolao Arragonio*, & *Anno 1047. ex Wilhel. Malmesburienſi*, recenſet: ſed videt prô dolor noſtra ætas tot exempla, vt conſuetudine ea contemnat. Quàm multi enim dum ſacra ad ſe trahere vel bona, vel beneficia nituntur, & *oua*, & pullos amittunt? Nam & filios perdunt immatura morte, quibus canonicatus, neſcio qua arte, attrahunt antè, quàm ſciant breuiarium legere. Idcirco enim *dormiunt multi*, vt nihil inueniant in manibus ſuis, quia viri diuitiarum, non horarum canonicarum eſſe voluerunt: ſimiles illi, de quo Puteanus *orat. 20.* ait: *Addam, quid amico cuidam meo & Sodali olim ſtudiorum contigerit. is cum Patauii ageret, & domo ſubſidia nummorum expectaret, viſus ſibi à tabellario ouum accipere, mox frangere, & nucleo totum corpus perungere. Verum profectò ſomnium fuit. Etenim paulo poſt tranſmiſſa pecunia eſt, qua partim aureis, partim argenteis conſtabat nummis. atq; hoc candidum luteumq; oui erat. Sed quid? vix nummos acceperat, & in grauiſſimum morborum incidit, quo omne illud aurum argentumq; conſumtum eſt, id enim erat corpus inungere.*

Ite, quicunque illicitis vijs, & præſertim per ſacra, pecuniam facitis; ite, ſperate opes, ſomniate *oua*, auro argentoque plena, & ſpem, & rem frangetis. Denique benè vncti, tantò lu- IX.

culentiùs in Inferno ardebitis; quot fraudes, tot ignes; quot furta, tot incendia; quot Simonias, tot flammas inuenietis. Quanquam Infernus veſter, etiam in hac vita incipit, dum in ipſa abundantia indigetis. Dexterè hoc vlcus tetigit Cornelius Gallus *Eleg. 1.* ita canens:

Quid mihi diuitiæ, quarum ſi demeris vſum,
Quamuis largus opum, ſemper egenus ero?
Immo etiam pæna eſt partis incumbere rebus,
Quas cum poſſideas, eſt violare nefas.
Non aliter ſitiens vicinas Tantalus vndas
Captat, & appoſitis abſtinet ora cibis.
Efficior cuſtos rerum magis ipſe mearum,
Conſeruans aliis, quæ periêre mihi.
Sicut in auricomis pendentia plurimus hortis
Peruigil obſeruat non ſua poma draco.
Hinc me ſollicitum torquent ſuper omnia curæ,
Hinc requies, animo non datur vlla meo.
Quærere quæ nequeo, ſemper retinere laboro,
Et retinens ſemper nil tenuiſſe puto.

Ova

Ova cuculi, flagitia deſignant impuri.

EMBLEMA LXXXIV.

NON REM SED TANTVM NOMEN HABERE PVDET.



COccyx (ſeu cuculus) vt Plin. ſcribit. *lib.* 1.
10. c. 9. ſemper parit in alienis nidis. Cauſſa ſubiiciendi pullos putatur, quod ſciat ſe inuiſam cunctis auibus, nam minutas quoque infeſtat; ita non fore tutam generi ſuo ſtirpem opinatur, ni fefellerit. Quare nullum facit nidum, alioquin trepidum animal. Educat ergo ſubditum adulterato fœta nido. Ille auidus ex natura, præripit cibos reliquis pullis, itaq; puingueſcit, & nitidus in ſe nutricem conuertit: illa gaudet eius ſpecie, miraturq; ſeipſam, quòd talem pepererit: ſuos comparatione eius dam-

nat, vt alienos, abſumiq́, etiam ſe inſpectante patitur, donec corripiat ipſam quoque iam volandi potens. Vnico Alciatus diſticho *Embl. 60.* rem narrat, & accommodat, inquiens:

Fert oua in nidos alienos, qualiter ille
Cui thalamum prodit vxor adulterio.

II. Quare idem, *lib. 7. Parerg. iuris c. 5.* haud immeritò docet, rectiùs cuculos appellari, qui ipſi violant alienum, quàm qui violari ſinunt ſuum torum; hac enim ratione hos curucas, illos cuculos vocari, cum & *adulterium, quaſi ad alterius torum* dictum ſit. Hoc ſenſu Plaut. *in Aſinaria* ait: *At etiam cubat cuculus; ſurge amator, i domum.* Ac mox: *cano capite te cuculum vxor ex luſtris rapit.* Et *in Perſa: Cadère tum hodie reſtibus. P. tua quidem, cucule, cauſſa.* Et *in Trinummo. Ibi ille cuculus.* Adagiorum collector: *olim,* ait, *qui fuiſſent in re quapiam parum honeſta deprehenſi, vulgari probro Cuculi dicebantur.* Quamuis id ortum à vinitoribus, qui ſeriùs putare vineam cæpiſſent, putet cum Plin. *lib. 18. c. 26.* quod verum eſt; ſi hoc probrum dicatur negligenti; ſi impuro, cum Alciato ſentiendum eſt.

III. Et prorſus appoſitè voluptuarij illi, cum cuculo dicuntur ſemper parere in alienis nidis. Semper enim alienus nidus eſt, ſiue vitium inferatur perſonæ liberæ, quæ vtique non eſt fornicantis, licet pudicitiam vendat; ſiue coniuga-

tæ,

Digitized by Google

tæ,ſiue Deo dicatæ: nam illa coniugis, iſta Dei eſt. Et quoties nothus *præripit cibos reliquis pullis?* quoties in ſe patrem conuertit ſpuria ſoboles? *ille gaudet eius ſpecie, miratúrque ſeipſum, quòd talem pepererit: ſuos comparatione eius damnat, vt alienos.* neſcius nempe, fœtum illum ſanguinis eſſe longè nobilioris, & indolis non quotidianæ. Perſpicilijs ſcilicet egeret, ad laruam detrahendam filio non ſuo, quem tamen fortè plus amat, quàm ſuos. Quare & plus in illum impendit, quàm in ſuos: vt prorſus etiam hîc verum ſit, eum pati, vt, ſe inſpectante, ceteri abſumantur.

Miſer ergo eſt iſte, quia deceptus. Sed miſerior, qui decepit. Primò, quia *neque fornicarij, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores &c. regnum Dei poſſidebunt, 1. Cor. 6. 9.* Si ergo, apud Gell. *l. 1. c. 8.* Demoſthenes dixit: *Tanti pœnitere non emo:* quantò magis nos id dicere debemus, qui plus perdimus? Secundò, quia *fornicatores, & adulteros iudicabit Deus*, vt ait Apoſtolus *Heb. 13. 4.* (vt taceam iudicia & ſupplicia hominum, de quibus Gell. *l. 10. c. 23.* & alij) & quidem non in altera tantùm vita, ſed etiam in hac: nam ait *Rom. 8: 13. Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini:* non tantùm morte æterna; ſed ſæpe etiam vita præſens luxurioſis interrumpitur: implentur enim IV.

nunc

nunc lepra, nunc lue Aphrodiſia, nunc alijs miſerijs; & qui, cum caſti eſſent, tam formoſi erant, vt dicerentur ex *ouo* prodijſſe; vbi cœperunt ſectari illicitas voluptates, luridi, ſquamoſi, ſcabioſi effecti ſunt; vno verbo, angelicam faciem cum laruis mutauerunt dæmoniorum. Tertiò, quia luxuria, hoc eſt, inordinatus impuræ voluptatis appetitus hominem totum euertit, rationem carni, equitem iumento ſubijcit. *Qui dominari neſcit cupiditatibus*, ait S. Ambroſ. *l. 3. de Virginit. is quaſi equus raptatus indomitus, voluitur, obteritur, laniatur, affligitur.* Hinc vel Seneca *ep. 63.* dixit: *Ad maiora natus ſum, quàm vt mancipium mei corporis fiam.*

V. Quartò quia ex homine beſtiam, immo monſtrum facit hoc vitium; monſtrumque, quod, (ſicut cupidus in lucro, guloſus in ventre) cor habet in libidine, laſciuiſque cornibus tranſit in Satyriſcum, aut equum vbique adhinnientem. Hinc illud S. Auguſtini *ſerm. 50.* dictum eſt: *Qualis eſt in oculis hominum, qui inuerſis pedibus ambulare videtur, talis eſt in oculis Angelorum, cui propria caro dominatur.* Id ex filiab. luxuriæ conſtat, quas S. Thom. *2. 2. q. 113. art. 5.* & S. Greg. *l. 31. mor. c. 31.* recenſet. Sunt autem hæ octo: *cæcitas mentis, præcipitatio, inconſideratio, inconſtantia, amor ſui, odium Dei, amor huius mundi, horror futuri ſeculi.* Quæ, vt perſpiciantur,

tur, duo probè ſpectanda ſunt. Vnum eſt, varias eſſe in anima potentias, intellectum ſcilicet, & voluntatem, quæ ſunt in ratione, & illas quæ ſunt inferiores, ſcilicet ſenſus exteriores, & interiores, quíque ex illis ſequuntur, appetitus. Hæ omnes potentiæ quia ab vnica anima mouentur, fit, vt, dum vna potentia vehementer operatur, altera vel omnino non operetur, vel certè languidè. Nam *pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus*. Alterum eſt, potentiam eò vehementiùs, & ardentiùs occupari, quò magis delectatur aliqua re. Hinc fit, vt dum delectatio carnis eſt vehementiſſima, ratio abſorbeatur, aut certè valde impediatur. Quare nec conſideratio ſimplex finem bonum ita apprehendere; nec conſilium media diſquirere, quibus finis bonus conſequendus eſt; nec iudicium de rebus qualis vnaquæque ſit, iudicare poteſt; & deniq; imperium quoque, quæ facienda ſunt, proponere nequit; quando intellectus cæcitate mentis rapitur ad cogitanda, quæ carnis delectationem faciunt; aut præcipitatione non curat vti conſilio, in bonis, ob mentis occupationem, quę tota eſt in carne. Ita & voluntas trahitur ad reliqua vitia.

Quintò quia remorſus conſcientiæ, macula famæ, dilapidatio pecuniæ hinc ſequitur. Qua de cauſa ipſi gehennæ flagitium iſtud compa- VI.

ratur

ratur à S. Bonau. *in diat. ſalut. tit. 1. c. 9. quia ſicut in hac tria ſunt ſpecialiter, ſcilicet ignis ardens, vermis rodens, & ſulphur fœtens: ſic in illa eſt ignis concupiſcentia, vermis, ſcilicet remorſus conſcientia, & ſulphur infamia.* Et ideo, qui eſt in peccato luxuriæ, iam quodammodo eſt in ſupplicio gehennæ. Hæc ſunt, quæ homines poſſunt deterrere, ſine velo, & canino aſpectu obtuentes, atque in vino, inter colloquia, per familiaritates, per ocia in cuculum tranſmutatos. Ac ne quis ſe ab his remotum eſſe periculis putet, ait Saluator *Matth. 5. 27. Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Vides ergo, quantùm mulier impudicè aſpecta diſtet à Meduſa; hæc in ſaxum homines, illa commutat in *cuculum* auem vulgò ſcabioſam, vt ſanè neque impuri iſti ſæpe carent ſcabie, ſed peregrina, qualis *cuculum* decet.

Quidam Poëta nobiles producere
Solent cucullum in carmine;
Corripere quidam. Rectiùs, quares, viri?
Corripere dignum qui ſolent.

In

In ovo baſiliſcum dante, inuidia perſtricta.

EMBLEMA LXXXV.

HEV FVGE CRVDELES OCVLOS!



CVm Iſaias *c.59.5*. Iudæos dixiſſet, *oua aſpi-* 1.
dum rupiſſe, adiecit, *qui comederit de ouis eorum, morietur: & quod confotum eſt, erũpet in regulum*. Septuaginta vertunt: *qui de ouis eorum comedere voluerit* (ſunt enim aſpidum *oua* viſu pulchra, ſi exterius aſpicias) *frangens reperiet putridum, & in ipſo regulum*; id eſt, *baſiliſcũ*. Pro *regulum*, Aquila vertit, *viperam*, Symmachus *aſpidem*. Quia conſtat naturam non ferre, vt ex *ouis* aſpidum, *reguli* ſeu *baſiliſci*, ſed *aſpides* naſcantur. Aiunt igitur interpretes prouerbiũ

eſſe,

eſſe, ſimile illi, quod eſt *Iſa. 14. 29. De radice colubri egredietur regulus.* Quibus loquendi formulis ſignificatur, impiorum conſilia cogitationéſq; erumpere in opera longè pernicioſiora ac ſceleratiora; tanquam ſi *aſpis*, aut *coluber* in *regulum oua* producerent; & non *iam aſpis à vipera, quod aiunt, mutuaretur, venenum*, vt habet Tertullianus *l. 3. contra Marcionem c. 8.* ſed ab aſpide longè peſtilentius aliquid propagaretur.

II. Quanta baſiliſci ſerpentis ſit vis, indicat Ælianus *lib. 2. de anim. c. 6.* ſed ſatis eſt *ex Plinij l. 8. c. 21.* deſcriptione accipere. *Cyrenaica*, ait, *hunc generat prouincia*, XII. *non ampliùs digitorũ magnitudine, candida in capite macula, vt quodam diademate inſignem. Sibilo omnes fugat ſerpentes: nec flexu multiplici, vt reliquæ, corpus impellit, ſed celſus & erectus in medio incedens. Necat frutices, non contactos modò, verùm & afflatos: exurit herbas, rumpit ſaxa. Talis vis malo eſt. Creditũ quondam ex equo occiſo haſta, & per eam ſubeunte vi, non equitem modò, ſed equum quoque abſumtum. Atque huic tali monſtro (ſæpe enim enectum concupiuêre reges videre) muſtelarũ virus exitio eſt: adeò naturæ nihil placuit eſſe ſine pari. Inijciunt eas cauernis, facilè cognitis ſola tabe, necant illæ ſimul odore, moritúrque, & naturæ pugna conficitur.* Et *lib. 29. c. 4. Baſiliſci, quem etiam ſerpentes ipſi fugiunt, alios olfactu necantem, qui hominem vel ſi*

aſpi-

Digitized by Google

aſpiciat tantùm, dicitur interimere, ſanguinem Magi miris laudibus celebrant, coëuntem picis modo, & colore, dilutum cinnabari clariorem fieri.

At verò ex quonam *ouo* prodit baſiliſcus? III.
Narrantur & mortua gallina, ait idem auctor *l: 10. c. 55. mariti earum viſi ſuccedentes inuicem, & reliqua fæta more facientes, abſtinentéſque ſe à cantu*; ſed parere *oua*, non ait narrari. Vulgo tamen nihil crebrius eſt, quàm vt ex illo iam ſene *ouum*, ex hoc baſiliſcus generari credatur. Allatum eſt ſupra *Embl. 78.* ex S. Baſilio de *ſubuentaneis ouis* aliquid. Sed placet in compendio referre, quæ hac de re habet Aldrouandus *t. 2, l. 14. c. 1.* Vbi ait, *Videamus, an gallus etiam ouum pariat.* Etſi enim Ariſtoteles alijque veteres nullam huius rei mentionem faciant, & id Albertus falſum eſſe ſcribat, *tamen id alios viros doctiſſimos, non credere tantùm, ſed & experientia propria id ſcribere video*, ait, *edere autem id, inquiunt, cum iam decrepitus eſſe incipit, ac ſenectute confici, idq́ non nullis ſeptimo, nono, aut ad ſummum decimo quarto ætatis anno euenire, pro virium vel robore, vel imbecillitate &c. tunc enim ex putrefacto intus ſeminis excremento, aut humorū colluuie conflari ouum exiſtimant, ediq́ ſub Caniculæ exortū, quòd tunc maximè ab ambientis calore, expultrix languida in alite decrepita iuuetur. Taceo mando mihi bis, terúe à viris etiam non plebeis, ſed fido*

digniſſimis ouum allatum, quod è gallo natum affir-mabant, rotundum, colore luteo, buxeo, flaueſcente, lurido. *Quod verò nonnulli dicant, teſta carere, ſed adeò dura pellis eſſe, vt fortiſſimis ictibus reſiſtat, id planè fabuloſum eſſe exiſtimo, vt etiam quod vulgus in tota Europa exiſtimat, ex eo baſiliſcum generari, maximè ſi à rubeta, vel bufone excludatur. Leuinus Lemnius propria ſe ſe experientia comprobatum habere tradit, Gallum non edere tantùm ouum, ſed incubare etiam. Scribit autem in ciuitate Zirizæa, atque inſulæ huius ambitu duos annoſos gallos non tantùm ouis ſuis incubaſſe, verùm etiam fuſtibus ægrè ab illo opere abigi potuiſſe, atque ita quoniam ciues eam perſuaſionem concepiſſent, ex eiuſmodi ouo baſiliſcum emergere, ouum contriuiſſe, & gallum ſtrangulaſſe. Verùm quidquid hic aliiq; dicant, ego ne iurantibus quidem crediderim, tantùm abeſt, vt gallum id in ſimo ponere, vt eius calore fæcundetur, aut ab incubantibus id rubetis baſiliſcum generari credam. Haud interim negârim gallum quid ouo ſimile ex conglobata intus putri concretione, maximè in vltimo eius ſenio, concipere, ouum integrum vnà cum teſta excludere minimè credam. Hoc enim in matrice perfici ratio dictat.* Hæc ille.

IV. Quæ etſi ita ſint, tamen baſiliſcum eſſe, ſeu regulum inter ſerpentes non eſt negandum, vel quia maculam aut coronam candidam, velut dia-

diadema geſtat in capite, vel quia talis eſt, qualem picturæ exhibent, & qualis antehac Pragæ inter Cæſaris cimmelia, & artificioſa fuit aſſeruatus, dracunculo non abſimilis, qualiſque à Carolo Sigonio lib. 5. de regno Italiæ in hunc modum ſcribitur. *Ceterùm Leo pontificatus ſui principio magnam ſanctitatis, ac prudentiæ ſuæ declarandæ materiam nactus eſt. Romæ iuxta ædem S. Luciæ baſiliſcus, dirum ſerpentis genus, eſt ortus, qui venenato ſpiritu ſuo omnibus, qui ad cauernam eius accedebant, repentinum afferebat interitum. Itaque, trepidantibus ad tantum periculum vniuerſis, pontifex ſolemni ieiunio ac precatione perfectis, in die Aſſumtionis, è Patriarchio exijt, & cum hymnis ac canticis, ſancta præcedente imagine, ad baſilicam S. Adriani martyris pedibus cum clero proceſſit. Inde ad baſilicam S. Virginis ad Præſepe perrexit, & cum ad ſpecum, vbi cubare ſerpens dicebatur, appropinquaſſet, caterua fidelium, qua ſtipabatur, ſubſiſtere iuſſa, interrito animo ad os ſpecus, vnde peſtifer erumpebat afflatus, acceſſit, atque oculis palmiſque in cælum intentis, Deum omnipotentem, vt tetra illa peſte populum liberaret, orauit. Quo facto, repentè fœdum virus illud ſerpentis euanuit.* Hæc Sigonius. Quis ergo exiſtere talia monſtra neget? etſi non ex galli *ouo*, ſed aliunde generata?

Mihi baſiliſcus ſignificat inuidum è gallo, V.

hoc eſt, *lumbos ſuccincto Prou.30.32.* ſuperbeque gradiente, & criſtas erigente oriundum. Superbia enim, quæ neminem ſibi vult eſſe parem, inuidiam in promtu habet, quæ eſt inſeparabilis felicitatis comes, adeò vt etiam faber fabro ſuccenſeat, & æmulus ſit vicinus vicino properanti ad opes. *Fieri non poteſt, vt ſuperbus non inuideat*, ait S. Auguſtinus *in Pſ. 58.* inuidia autem, more baſiliſci, viſu omnia necat. Quidquid enim aſpicit, in venenum vertit. Hinc illud *Matth. 20.15. An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Vſque adeò peſtifera res eſt inuidia, laudanda carpit, & bona quæ ſunt, in malitiæ vertit occaſionem. Interim, vt Corn. Gallus *eleg. 1.* dixit: *Non res in vitium, ſed malè facta cadunt.* Nec enim ea cauſſa boni mali ſunt, quia malis oculis aſpiciuntur. Sed vt necat, ita necatur baſiliſcus ſeipſum in ſpeculo intuens: idem facit hoc vitium, nam teſte *Iob. 5. 2. paruulum necat inuidia.* Et *Prou. 14.30. putredo oſſium inuidia.* Quam *S. Baſilius hom. 11.* viperæ ita comparat. *Sicut viperas dicunt, abrupto ventre, matris naſci, ſic inuidia concipientem ſe animam corrodit, & tabefacit.* Itaque more baſiliſci inuidus, cum Cain, occidit fratrem, & ſicut Ichneumon, poſt necatam matrem, in *oua* graſſatur, ſed eorum contactu lethum incurrit; ita inuidus inuidendo ſeipſum corrodit, atque infelix eſt, felici

lici ſorte aliorum. Quaſi ergo cum baſiliſco ſeipſum, in ſpeculo, aſpexiſſet, ſuis oculis & alios ferit, & ſeipſum percutit, dum virtutem videt, eaque relicta intabeſcit. Id enim illi dolet, quod videt: neque iam quos aſpicit, more Meduſæ, in lapides vertit; ſed ipſe fit lapis, vt nullius miſeria molliatur, proſperitate autem alterius etiam vſque ad æmulationem indureſcat; *ouo* ſimilis, cuius albumen (& vt quidam affirmant, etiam luteum) ſi auræ exponatur, in lapidem dureſcit. Ita & iſti aliorum felicibus auris, infeliciter vtuntur: quorum CRVDELES OCVLOS FVGE, ſi vis fugere crudeles cogitationes. Feriunt. Sed ſæpius feriuntur; & quod amant habere, oderunt alterum habere. Hinc talis baſiliſci cantus eſt, apud Catullum:

Odi, & amo: quare id faciam, fortaſſe requiris:
Neſcio, ſed fieri ſentio, & excrucior.

Ovi noctuini ars docet, mala media, etiam ad bonum finem, non adhibenda.

EMBLEMA LXXXVI.

PRODESSE VT NOCEAS, AVT NOCERE VT PROSIS, VTRVMQVE EST NOCERE.



1. PRouerbij loco Eraſmus *Chil. 2. cent. 1. n. 44.* inſerit γλαυκεῖον ὠόν. id eſt *Noctuinum ouum.* Et addit: *Refertur à Nicolao Perotto, in Copia Cornu, prouerbij loco, nec explicatur tamen. Fortaſſis antiquitus abſtemium, & à vino abhorrentem hoc adagio ſignificabant, Philoſtratus enim in vita Apollonij, lib. 3. de ouo noctuæ rem oppidò quàm prodigioſam refert.* Verba Philoſtrati ita Latinè ſonant: *Obſeruandum, vbi loci niduletur noctua;*

Digitized by Google

noctua; deinde oua ſubducere oportebit, eáque mediocriter cocta infanti edenda dare. Quodſi quid ex his ederit, priusquam deguſtàrit vinum, inſeretur illi vini odium, adeò vt in omnem vitam quàm maximè ſobrius ſit futurus. Eiuſdem rei etiam mentionem facit Gregor. Gyraldus *de hiſtor. Deor. Syntagm. 8*. Vbi ſcribit, poſt talis *oui* eſum, eiuſmodi infantes dein, per totam vitam, non modò vinum non bibere, ſed & temulentos formidare.

Sunt qui negent noctuinum ouum inueniri. Prouerbium itaque quadrabit vel in hominem nihili, nullius frugis, vel in rem raram inuentu, ait Eraſmus. Ceterùm an *noctuinum ouum* eum effectum habeat, video poſſe diſputari. Nam ſi in ipſa *oua* magnus eſt raphani aliorúmque ciborum effectus, cur non rurſus & *ouum* aliquem in cibos, aut potum (vel potius in appetitum potus) habeat effectum? Poſſe verò aliquid, in *oua*, cibos gallinæ obſipatos, docet Palladius de gallinis loquens, quas ſcribit vinacijs, hoc eſt, granis vuæ iam preſſæ citò ſterileſcere, at hordeo ſemicocto, & parere ſæpius, & reddere *oua* maiora. Quare & Columella *lib. 6. Vinacia*, ait, *quamuis tolerabiliter paſcant, dari non debent, niſi quibus temporibus anni auis fœtum non edit.* Sicut ergo vinacia *ouis*, ita *oua* quædam, occulta vi, atque antipathia poſſunt vinacijs, & vino reſiſtere. II.

Digitized by Google

III. Sed rectè quidam negant *noctuinum ouum* (niſi fortè rarò) inueniri; nam & rari inueniuntur, qui eiuſcemodi *ouo* vellent vti. Malunt enim à primis faſcijs liberos ſuos Libero Patri, & nidoribus culinarũ, quàm Lymphis & Nymphis conſecrare. Quanquam omnino, ſi vel maximè obuia haberentur eiuſcemodi *oua*, eáque vi illa pollerent, me auctore, nulla vnquam mater, tale *ouum* infantulo eſſet ſuo datura delibandum, quamuis maritum haberet, fumi liguritorem, & ipſo Ciceronis filio magis ſitibundum. Quid enim? an idem eſt abſtemium, quod temperantem eſſe? idem eunuchum, quod caſtum? Iam multos vtique induceremus, qui cum Origene, propter regnum cœlorum, ferro, non voto atq; continentiâ ſe caſtrarent, quaſi Deus contentus ſit corporis imbecillitate, & non potiùs homines ſibi cupiat mentis caſtitate placere. Vt ergo illuſtratur caſtitas eo, qui, cum peccare poſſit, tamen abſtinet; ita temperantia tum demum eſt laudabilis, cum is vinum non guſtat, vel temperatè bibit, qui vinum naturâ appetit. Quid quòd eiuſcemodi artifices matres, dum infantem abſtemium faciunt, reddunt ad ſacerdotij gradum prorſus ineptum? Si enim à vino prorſus abhorret, abhorrebit etiam à Miſſæ ſacrificio, in quo, poſt conſecrationẽ, vini ſapor & odor, cum ceteris ſpeciebus, remanet.

Dili-

Digitized by Google

Diligenter itaque diſpiciendum eſt, quæ au- IV.
xilia, remediáque, aut media, etiam ad bonum finem, adhibeantur, ne ſi vel ipſa ſunt mala, finem malum faciant; aut ſi ſunt nimis potentia, plus efficiant, quàm ipſi effectum eſſe cupiamus. Queritur Apoſtolus *Rom. 3. 8.* Chriſtianis falsò impoſitum, quaſi dicant: *faciamus mala, vt veniant bona.* Non eſt hoc hominis Chriſtiani. Quare nec ipſam Dei gloriam mendacio fas eſt aſtruere; nec dicere licet, *Hic vir mira eſt patientia, omnia tolerat, omnia diſſimulat; ergo vexemus eum, & identidem contumelijs virtutem eius faciamus illuſtriorem.* Seuerè cauent Theologi, ne, ſi vel minimo veniali peccato, omnia totius mundi peccata poſſemus impedire, illa hoc pacto impediamus. Non eſt enim vllum vel minutiſſimum peccatum medium elegibile, etiam ad maxima bona.

Quàm ſcelerate igitur neceſſe eſt facere, V.
quaſdam feminas, à veneficis, credo, aut infernalibus Furijs edoctas, quæ vt maritos alioqui calicum remiges, lurcones, & ganeones, ac tricongios, vini nauſeâ à perpotationibus abſtrahant, heu quas non artes adhibent! quàm abominandas! & cum quanto ſcelere ac maritorum diſcrimine coniunctas! Conſtat de modis, ſed cogor calamũ cohibere, ne magis conſtet. Ea enim eſt malitia quarundam, ut dedo-

Digitized by Google

cendo diſcant. Vt tamen, nec doceam, nec taceam, partem dicam. Vinum quoddam, Circea manu temperatum medicatúmque, quod in cadauerum ſtomachis computruit, maritis dant ebibendum, vt vinum bibere deſinant. Et ſæpe ſanè deſinunt, ſed poſtquam deſinunt etiam viuere. Quis hîc non exclamet! quis rogos non inuocet? quis iſtas noctuas, & noctiuagas mulierculas cum *noctuino* ſuo *ouo*, & tam ferali buccea, non in vltimum Gangem, immo ad buſtum proſcribat? Eſto tam ferali poculo ſobrius aliquis fiat, è centum idem ſumentibus ebrioſis: ergóne noſtrum eſt peccare, ne alij peccent?

VI. Quis hîc Dei audet affectare poteſtatem, cuius ſolius eſt, ob infinitam ſapientiam, mala noſtra, in bonum miſericordiæ, vel iuſtitiæ ſuæ finem ordinare, vt docet D. Auguſtinus *in Enchirid. c. 96. & lib. 3. de Geneſ. ad litteram c 24.* item S. Dionyſ. *de diuin. nom. c. 4.* & Boëtius *lib. 4. de conſolat. pros. 6.* ſic loquens. *Diuina eſt vis, cui mala quoque bona ſunt, cum eis competenter vtendo, alicuius boni elicit effectum. Ordo enim quidam cuncta complectitur, & quod ab aſſignati ordinis ratione diſcedit, hoc idem licet in alium, tamen in ordinem relabatur, ne quid in regno prouidentiæ liceat temeritati.* Itaque nemo quærat, quomodo mala noſtra bona ſint Deo: bona ſunt, vt illa puniat, & iuſtitiam ſuam oſtendat in ijs, qui miſe-

Digitized by Google

miſericordiam illius contempſerunt. Hoc pacto & hominibus licet malo bene vti, puniendo, poſtquam eſt perpetratum; non tamen malum ordinare, vt ſit medium ad bonum; non enim ordinaret malum permittendo, ſed committendo. Malum enim homo committit, ſi malum eligit, vt inde reſultet bonum; quod natura ſua ex malo non oritur, ſed ſola Dei prouidentia, aut alterius, qui iniuriam patitur, bonitate. Itaque hæc regula eſto: Quia *bonum ex integra cauſſa*, tam electio, quàm intentio debet bona eſſe, vt homo faciat bonum; vt autem faciat malum, quiuis defectus ſufficit. Igitur

Quid, miſer, excuſas artem, quóq; vteris, ouum?
Nec dare noctis auem, ſed dare dicis anum?
Qua dat conſilium tam deteſtabilis oui,
NIL REFERT, SEV SIT NOCIVA, SEV SIT ANVS.

Digitized by Google

Ovi excluſio, potandi continuatio.

EMBLEMA LXXXVII.

MENSVRAM SVPERAT GRÆCI MENSVRA BIBENTIS.



1. QVa in tantam hominum vtilitatem nata, à peruerſis ita vſurpantur, vt non modò ſint inſtrumenta ebrietatis, ſed etiam menſura potandi. Plin. *l. 10. c. 1.* de ſtruthio-camelis loquens, *Præmia*, ait, *ex ijs oua, propter amplitudinem pro quibusdam habita vaſis.* Et vulgaria ſunt eiuſcemodi *oua* argento auroque incincta, in vſum poculorum bene capacium, magnoque gutturi ſufficientium. Qualis crater ille erat, poſt quem, apud Virgil. *9. Æneid.* ſe Rhætus metuens tegebat; aut quale fuit cym-

bium

bium Herculis, in quo piſcator non nimis magnus potuiſſet nauigare. Certè Dinon, apud Athenæum, tradit, Perſarum olim reges ex *aureo ouo* bibere conſueuiſſe; qui pingui menſura plerumque vtebantur, in ipſo quoque potu delicati, & mellis medullæ, ac Nectaris flori inhiantes. Non ergo gulæ tantùm ſeruiunt *oua*, ſed etiam ebrietati ancillantur. Immo pro clepſydra ſunt, & aliquando tempora ſignarunt pergræcandi. *Plin. l. 10. c. 54. Scitum de quodam potore reperitur, Syracuſis tamdiu potare ſolitum, donec cooperta terra fœtum ederent oua.* Aldrouandus autem *lib. 14. Orinth. c. 1.* cum rationem Ægyptiorum *oua* in clibano olim excludentium laudauiſſet, inde etiam commendans addit: quòd *talis excluſio celeriter abſolueretur, vt vel ex hoc colligo*, ait, *quòd, vt Ariſtoteles pariter teſtis eſt, quidam potator Syracuſis, ouis ſub ſtorea in terra poſitis, tam diu potaret, donec oua fœtum ederent.*

Inſigne exemplum hominis intemperantis, 11.
cuius & pœnam legimus ab *ouis* præparatam. Scribit enim Vlyſſ. Aldro. *lib. 14. Orinth. c. 1.* in hunc modum. *Dura* (oua) *ad coquendum ſunt difficilia, tardè deſcendunt, craſſiusq; alimentum corpori tribuunt, quin imo & viſcoſum: aluum conſtipant, adeò vt Braſauolus referat, quendam* (mendicantium) *cum in feſto paſchatis collecta à ſe eiu-*

cemo-

cemodi oua alba, & rubra ad ſaturitatem ediſſet, aſtricto ventre, vt neque clyſteribus, neque medicamentis cederet, obijſſe. Ita corpori nocet intemperans cupiditas, ſeu gula, quæ eſt inordinatus cibi ac potus, in homine, appetitus. Qualis fuit non Sardanapali tantùm, ſed eorum quoque ruſticorum, qui, vt aliàs in rerum aliarum, ita aliquando, etiam in *ouorum* vorandorum certamen deſcenderunt, ea conditione, ac lege; vt qui plura *oua*, vno prandio, abſumſiſſet, alterius villam, præmij loco, poſſideret. Aiunt vnum rhaphanis *oua* promouiſſe, alterum ſimul edere, & viuere deſiiſſe. Nec enim vita, cum tot *ouis* locum habebat.

111. Talis etiam appetitus prope fuit illius Syriacæ mulieris, quæ, antè, triginta quotidie gallinis ſaturabatur, quàm à D. Macedonio luſtrali aqua aſperſa perexiguâ carne contenta eſſet, vt refert Theodoretus *in Philotheo*, qui eius temporis ſcriptor fuit. Sed & honori, & opibus intemperantia nocet. Apud Plutarch. *in apophtegm. Regum*, Lyſimachus Thraciæ rex coactus, ob ingentem ſitim, aquæ ſcypho, ſe, regnumq; ſuum hoſtibus tradere, epota aqua exclamauit: *Deos immortales! quæ hæc mea infelicitas! qui me vendidi, totumq; regnum meum, tantillo corporis oblectamento!* Eodem modo præ dolore irrugijt Eſau, quòd vili lente primogenita vendidiſſet.

Gen.

Gen. 25. 33. Et quid non vendidit protoplaſtes noſter Adamus! *Gen. 3. 17.* & quidem, more puerorum, pro pomo? *In diebus Noë edebant, & bibebant vſq; ad diem, qua intrauit Noë in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes. Luc. 17. 27.* Et *Num. 11. 13. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in populum percuſſit eum plaga magna nimis.*

Nec corpori ſolùm clades à gula infertur, ſed & crumenæ, ſed honori, ſed virtuti. In ebrietate, produntur omnia animi ſecreta; hinc Græcorum adagio, *Speculum formæ eſt æs, vinum verò mentis.* Inter compotationes, & Bacchos, & thyrſigeros inuenies. Nam ſæpe vuas acerbas rapiunt artifices Dionyſiaci iſti Enimuerò in cibi & vini ſatietate (præter morbos oculorum, podagras, catharros, ſtomachi euerſiones, febres, & ſubitas mortes) ineſt rixa, loquacitas, ſcurrilitas, *ſeminarium libidinis* S. Hier. *l. 2. contr. Iouin.* jurgia, rixa, *Prou. 23. 29.* inſania S. Chryſ. *hom. 44. in Io. Nihil gula pernicioſius*, ait, *nihil ignominioſius eſt, hæc obtuſum & craſſum ingenium, hæc carnalem animam reddit: hæc cæcat intellectum, non ſinit, vt quidquam perſpiciat.* Hinc nec perſpicit æternæ quoque damnationis, vtique ſatis magnum periculum. Vix enim, teſte S. Auguſt. *Serm. 231. de tempore*, peccatum cenſetur à multis, toties, ſine metu, immo cum ri- IV.

ſu

ſu & jactatione frequentata ebrietas, cum tamẽ teſte Apoſtolo *1. Cor. 6. 10.* ebrioſi regnum Dei non ſint poſſeſſuri. An hæc res digna eſt, quæ honori ducatur? Et tamen *qui plus biberit,* ait S. Hieron. *in ep. ad Tit. c. 1. fortior computatur: vomunt, vt bibant; bibunt, vt vomant.*

V. Nec tantùm helluones iſti, quod S. Ambroſ. *lib. de Helia & ieiunio* deplorat, *vno die, multorum dierum labores bibunt,* totiuſque operæ ſtipendium Ionicè vno ſpiritu exhauriunt; ſed multos, immo plurimos dies bibunt, quibus eſſet laborandum. Nec jam tantùm Syracuſanum potatorem imitantur, vt potitandi terminum ponant, pulli excluſionem; ſed totos menſes, annos, vitam omnem, tempus omne, in vino, conſumunt. Quod ſi ipſi velint computare prandiorum & conuiuiorum ſuorum horas, eaſque cum illis horis conferre, quibus orant, aut ſeria tractant, facillimè ſanè deprehendent, & erubeſcent. Multos deprehendit Orcus, impeditque ne tantùm vini perdant, ſi pocula in id temporis ſpacium protraherent, quod ſibi impiè deſtinarânt. Itaque mors illos jugulat, ne illi jugulent vinum.

VI. Recitat Petr. Thyræus *de locis infeſt. p. 1. c. 19. ex Michaële ab Iſſelt* An. 1584. Apeldorni, qui pagus eſt Veluæ, in Germania, duos Nobiles milites pactos inter ſe, vt qui è duobus primus à pocu-

poculis ſurgeret, is illico in diaboli eſſet poteſtate. Huic egregio bellantium certamini coactus eſt intereſſe mercator, fortè fortuna illac iter faciens. Is, Deo ita, ad noſtram monitionem, prouidente, non tantùm ſpectator, ſed etiam teſtis fuit miſerabilis ſcenæ. Nam cum neuter potatorum alteri cedere conſtituiſſet, non diu tam infami concertatione ludere ſunt permiſſi, ſed vtrique illico à cacodæmone gula fracta eſt. Ita cum tempus & vinum vellent, vitam atque animam perdiderunt.

Quàm ſtulti igitur ſunt, qui tanti emunt pænitere? Verè aureum illud os. hom. *58. in Matth. Quanto melior aſinus ebrioſo eſt? quanto canis præſtantior? omnes certè beſtiæ, cum bibunt, aut comedunt, vltra quàm ſatis eſt, non ſumunt, etiam ſi mille homines cogerent.* Quid verbis opus eſt? in compendio idem *hom. 1. ad pop.* omnia complectitur: *Ebrius* inquiens, *dæmon eſt voluntarius, mortuus animatus, morbus veniam non habens, ruina excuſatione carens, commune generis noſtri probrum.* Id in hoc exemplo oſtendit S. Aug. *Sermon. 33. ad frat. in erem. Accidit hodie terribilis caſus, vt omnes audiſtis, propter quem ad Eccleſiā Hipponenſem etiam fœminas & infantes congregari præcepi. Ecce præclariſſimus ciuis noſter, & ferè dilectus ab omnibus. Cyrillus filium habebat, vt ſcitis, quem corrigere nolebat, & luxurioſè viuendo in-* VII.

k ſum-

ſumſit partem bonorum ſuorũ. Sed ecce hodie ebrietatem perpeſſus matrem pragnantem nequiter oppreſſit, ſororem violare voluit, patrem occidit, & duas ſorores vulnerauit ad mortem.

IIX. Hi ſunt fructus eorum, qui STVDENT *calicibus epotandis. Prou. 23. 30.* Exiſtimes, ſupra naturam eſſe ſæpe, vt vnus venter tot menſurarum ſit capax; nec ſine cauſſa cenſeas ab Acherontico igne calentem aliquem hoſpitem abdomini illi inſidere, ſicut in illa muliere ſedit Syriaca, quæ triginta gallinis quotidie ſaturabatur. Vt ergo feminam cacodæmon fecit nimis voracem, ſic ſæpe virum aliquem facit nimis bibacem; vt, ſine menſura, innumerabiles exhauriat menſuras. Si enim cum citiùs æſtate prodit, primùm *vicesimo die* prodit *ex ouo pullus Plin. l. 10. c. 53.* quanta potandi menſura eſt, bibere, vſque dum pullus prodeat ex *ouo ſtoreis ſubiecto?* immo quanta temporis iactura eſt? ſed non curant iſti helluones iacturam temporis, qui non curant iacturam æternitatis. Vnica illorum regula eſt:


Singula poſt oua, pocula ſume noua.

Ova

Ova tonitru deſtructa, iræ damna expingunt.

EMBLEMA LXXXVIII.

SIT METVENDA HOMINIS, NON FORMIDANDA POTESTAS.



SI incubatu tonuerit, *oua pereant, & accipitris* 1.
audita voce vitiantur Plin. *l.10.c.54.* (quod
& Petrus Berchorius *lib.12.c.25.n.11.* affirmat) vbi & ſuperſtitionem illam ſubijcit:
Remedium contra tonitrũ, clauus ferreus ſub ſtramine ouorum poſitus, aut terra ex aratro. Illud verius, quod ibidem tradit: *Celeriùs excluduntur calidis diebus. Ideò æſtate vndeviceſimo educunt fœtum, hyeme* XXV. Et quis credat, *oua accipitris audita voce vitiari?* cum auribus careant,

Digitized by Google

quibus vocem audiant? eſto Plinius de gallinarum, aut etiam columbarum ouis loquatur. Niſi incubantes terrore abortiant quodammodo, & deſiſtant; ſed de *ouis* loquitur auctor. Paulo plus tribuerim tonitrui. Eſt enim maior concuſſio, quæ etiam terram quatit, & agros reddit fertiliores, apertis glebis. Si ergo vis eſt tonanti cælo in terram, cur non & in *oua?* quæ *concuti experimento vetant, quoniam non gignant confuſis vitalibus venis*, vt Plin. *ib.* ait.

II. Emblemati hæc in hunc modum ſeruiunt. Vt *oua celeriùs excluduntur calidis diebus*, tonitru autem pereunt; ita prodeſt ſi ſerui, & ſubditi calorem domini, ſi filij parentis, & coniuges coniugum, & diſcipuli præceptorum moderatam ſentiant iram, vt timeant, & vereantur offendere: at verò illi heri, qui plumbeas iras gerunt, qui cum Aiace ſemper flagellum, aut cum Hercule clauam, aut cum Diogene baculum, aut cum Orbilio ſcuticam, vel rubram ſoleam, vel cum Corydone fuſtem in manu geſtant, qui Iouis inſtar, per mille diras, & execrationes ſemper minantur, ſemper tonant; qui cum Comici Truculento, crebrò in ore habent: *Ego te hîc agnum faciam, & medium diſtruncabo*: vti & parentes, qui capite liberorum ſemper dolando & verberando, ingenium illis cum cerebro excutiunt, & ſtupores mille incutiunt; ac coniuges,

iuges, qui nullam ſibi inuicem gratam horam quietamque, niſi cum alteruter moritur, relinquunt; Orbilij denique plagoſi, prorſus *oua* ſua deſtruunt; eo ipſo quia ira eſt vindictæ appetitus, qui ſi ſit immoderatus, non ſolùm punit eũ à quo ſe is, qui iraſcitur, læſum exiſtimat, ſed etiam lædit, & deſtruit.

Si verò ſit appetitus ille moderatus, & ſine peccato eſſe, & prodeſſe ſolet. Hinc. *Pſ. 4.* dicitur: *Iraſcimini & nolite peccare.* Et S. Baſil. *orat. de ira*, ait, id eſſe iram in homine, quod canis eſt in domo. Is ſi fures latratu arceat, bonus eſt; ſi domeſticos & amicos, nequam eſt. Eſt ergo ira mala, cum quis animo efferueſcit in innocentem, & in eum, à quo non eſt læſus; item cum quis propria auctoritate, non zelo iuſtitiæ, ſed ex maleuolentia, aut odio vult vindicare, & maximè quando modum excedit. Quæ vt clariùs intelligantur, duplex ira, vna homini quà homo, altera, quà naturam cum omnibus animalibus communem habet, indita, perſcrutanda eſt. III.

In ira hac altera, quæ ratione partis ſenſitiuę ineſt, tria reperiuntur. Primum eſt apprehenſio mali alicuius illati, & ad repellendum difficilis. Tunc enim animal iraſcitur demum, quando ſenſu percipit aliquod malum ſibi illatum, vel mox inferendum, quod à ſe nequit facilè arcere. Secundum eſt quædam ſanguinis ebullitio, & IV.

feruor, circa cor. Quando enim in corde ſpiritus vitales congregantur, vt animal, contra malum illatum, adiuuent, tum ſanguis, aduentu ſpirituum calidorum, ferueſcit, & ebullit: & ſæpe adeò, vt in vultum ipſum emicet, qui præ ira ſanguine ſuffunditur, ſicut galli Indici palearia, quando irritatur. Vt dici poſſit illud: *Gorgonem Perſeus aggreditur aſpectu truculentior*. Ex eadem cauſſa nonnulli palleſcunt, ſanguine ad cor confluente, & nondum ebulliente. Tertium eſt ipſa appetitio mali inferendi, ad malum, quod illatum eſt, releuandum. Atque hæc ira, quia eſt in inferiore homine, ratione caret, & non rarò concitatur, homine inuito.

V. Altera ira homini, quà homo, propria, poſtquam malum, aut iniuria illata intellectu percepta eſt, in voluntate exſurgit cupiente repellere tale malum, & lædenti referre. Hæc ira cum illa priore plerumque eſt ſociata. Trahit enim ratio ſenſum; & cum animo corpus ſolet commoueri. Huius apud Ariſtotelem & S. Thomam *2.2.q.118*. tres ſunt ſpecies. Prima eſt *ira*, quæ eſt cupiditas vindictæ citò excitata, & citò etiam extincta. Secunda eſt *iracundia*, quæ eſt ira permanens, qua de cauſſa dicitur à S. Damaſceno *l.2.de fide orth. mania*. Eos, qui citò iraſcuntur, & citò placantur, Philoſophus *acutos*; qui autem diu permanent in apprehenſione mali, &

appe-

Digitized by Google

appetitu vindictæ quaſi inſaniunt, eos vtique à Furijs oriundos, vocat *amaros*: quibus ſimilia ſunt bruta illa, quæ memoria pollent. Tertia, eſt *furor*, dum manet quidem memoria illati, ſed appetitus vindictæ non inſurgit, niſi tempore conuenienti, quando ſe quis poteſt vindicare. Hos Ariſtoteles *difficiles* appellat. Similem furorem habent bruta, quæ aſtuta ſunt ac ingenioſa.

Hæc paſſio, cum exorbitat, varijs de cauſſis eſt noxia. 1. Quia ira quaſi extra ſe ire facit; & ad mentē redijſſe dicuntur, qui iraſci deſinunt, bile detumeſcente. Facit ergo ira belluis ſimiles, & rationem ipſam homini quodammodo extinguit; vt dicere poſſit: *Comedi meipſum, vt polypus exoſſis ſua brachia arrodit*. 2. quia iræ impetus & corpus immutat, oculos virere, aut flammis emicantibus ardere, naſum corrugari, frontem caperari, vultum ſemper trucem, nunc palleſcere, nunc incendi facit: vocem ipſam in clamores, rixas, minas, blaſphemias excitat. Quid multa? *Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus ſenectam adducet cogitatus. Eccli. 30. 26.* Multis ira bilem in ſtomachū, & alia membra eiecit, vt ventriculi, capitis, podagræ doloribus torquerentur. 3. *Qui ad indignandum facilis eſt, erit ad peccandū procliuior. Prou. 29. 22.* Etſi enim iraſci peccato bonum ſit; peccatum VI.

eſt tamen iraſci, cum vel iraſcimur innocenti, vel non tantum malum merito, quantum inferimus; vel non à nobis, ſed auctoritate maiore puniendo. Non enim à me, ſed à magiſtratu occidendus eſt, qui patrem meum occidit. 4. Ira virtutes impedit, nam & *iuſtitiam Dei non operatur. Iac. 1. 20.* Quare cholerici, aut qui in fræno habere choleram nequeunt; etſi comam nutriant, & digitos, vſque ad vngues, annulis onerent; tamen neque ad tribunalia, neque ad ſceptra ſunt idonei. 5. *Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Matth. 5. 22.* In compendio S. Chryſoſt. *hom. 29. ad pop.* ait: *Nihil iracundo homine inſuauius, nihil grauius, nihil infeſtius, turpius nihil, feræ potius, quàm iracundo homini cohabitandum eſt. Nam illa cum ſemel manſuefacta fuerit, ſuam ſeruat legem: hunc autem quotieſcunq; mitigaueris, rurſum efferatur.*

VII. Galen. *l. de cogn. & curand. animi morbis* ait, ſe adhuc puero in ſpectante, hominem claue ianuam aperire properantem, nimia celeritate & auiditate aperiendi cæcatum, quò magis feſtinaret, eò minùs profeciſſe. Igitur cum diu clauem huc, & illuc properiter verſando fruſtrari ſe cerneret, ita excanduiſſe, vt inſtar rabidi clauem dentibus, fores pedibus inuaderet; mox ſurſum & deorſum curſaret: & non diu poſt tragico vultu, oculis ſcintillantibus ac tumen-

tibus

Digitized by Google

tibus ore ſpumanti, & voce incondita in cælum conuerſus, ſuperos ipſos execrationibus diriſſimis laceraret, & Deum ipſum inde, renouata Gigantum audacia, exturbare velle videretur. Qua omni inſania, tamen non impetrauit, vt clauis ſeram panderet, quam nullo negocio aperuiſſet, niſi inſanijſſet. Hoc exemplo puer Galenus ita didicit iram deteſtari, vt poſtea nulli vnquam viſus ſit ira etiam leuiſſima commoueri. Diſcant ergo & alij, vt neque tonent, quia Ioues non ſunt; neq; columbas externent, quia non volunt accipitres videri: denique SIT METVENDA HOMINIS, NON FORMIDANDA POTESTAS.

Ova portentoſè grandia, ſignificant iratos omnia in maius augentes.

EMBLEMA LXXXIX.

GRANDIA QVÆ NON SVNT, ADDENDO GRANDIA FIVNT.



1. O*Vum, vt hominis caput magnitudine ſuperet*, effici ſic docet Io. Bapt. Porta *lib. 2. Mag. nat. c. 13. Reddere tam ingens ſi vis, extat artificium, non à naturali dignoſci poteſt. Decem, vel plura boleta, & albumina inuicem ſeparabis, boleta leuiter commiſceto, & in veſicam immittito, rotundámque ligando imitaberis figuram, in ollam aqua plenam immittas, & cum bullis intumeſcere cernis, vel cum duritiem traxerit, exime, & albumina addito accommodando, vt in medio inſideant,*

Digitized by Google

deant, & iterum coqui ſinas, ſic corticibus enudatū habebis, quos ſic effinges. Ouorum cortices albos & elotos conteres, vt in tenuiſſimum puluiſculum volent, forti aceto, vel diſtillato emacerari ſinito, dum molleſcant: nam, ſi ouum in aceto diutiùs fuerit appoſitum, cortex eius diſſoluitur, & tenereſcit, vt facilè, per ſtrictum os phialæ poſſit immitti, vbi fuerit intromiſſum, clara aqua in priſtinam reddit duritiem, vt demirari contingat. Cortices cum vnguenti formam præ ſe tulerint diſſoluti, penicillo aliquo, ſuper excoctum ouum, corticem inducas, & clara dureſcit aqua, tunc verum & naturale habebis ouum; aut potiùs ſimile naturali; quippe ab arte.

Quanquam & à natura eſt, vt Put. *or. 20.* loquitur, *Decumanum ouum, & contra Nanum, ſiue paruum. Decumanum non ſimpliciter, quia maximum, vt decumanum ſcutum, decumana porta, decumanus limes; ſed quia decimum maius naſcitur, & velut in toto numero eminet. Etenim quod in mari videmus, cum* vaſtiùs inſurgens decimæ ruit impetus vndæ, *id vbique natura agit, ſed in ouo præcipuè exprimit. Decumana vbique ſunt, & inter decumana ipſa ouum decumanum eſt. Iam verò Nanum vltimum cuiuſque fætura cenſent, & ab hoc vterum gallinæ claudi.* II.

Quod ſi quis maiora expectat, *ouum* etiam domicilium mortalibus præbet. *Non hoc dico,* ait idem auctor, *in ouo hominem habitare poſſe, niſi* III.

quis

quis Græco more cænaculum ᾤιον appellat; aut tantæ magnitudinis inueniri, vt dolium ſiue domus fiat, & ſapientiam, ſiue ſupellectilem, & familiam capiat: hoc dico homines eſſe, quorum caſæ luto pennisque, & ouorum putaminibus conſtruuntur. *Tales enim Pygmæos nobis deſcribit Plinius, qui tamen aut nuſquam ſunt, aut certè parui non ſunt, vel ideò magni, quia ſic habitant.* Immo in *ouo* hominem etiam habitare poſſe, rectè concedit, & infra his verbis oſtendit. *Græci veteres, vt eſt apud Athenæum, ſic ædificare cænacula ſoliti ſunt, atque etiam nominare: quid niſi pulcherrimam aptiſſimámque humanis vſibus rati formam; quæ maxime naturam, id eſt, ouum ſequeretur? Quare ᾤια erant, quæ poſtea ὑπερῷα dicta: Nec alio errore audax fabula fuit, Helenámque ex ouo prognatam poëtico prodigio diuulgauit. Ædepol decepti fuêre non minus, qui id traderent, quàm qui crediderunt: immo verò decepti non fuêre, niſi intereſſe dicas, & tantùm non portento diſtingui, ex ouo, an in ouo, quis naſcatur. Helena quia in ouo, id eſt cænaculo nata eſt, ex ouo prodijſſe credita.*

IV. Si hæc nondum ſufficit *oui* magnitudo, ad fabulas eamus: immo ad *veras hiſtorias*, ſed Luciani, cuius in *lib. 2. Verar. hiſt.* hæc ſunt. *Circa mediam verò noctem cum tranquillum eſſet mare, non aduertentes in Alcyonis nidum miræ magnitudinis incidimus. Erat enim eius circuitus ſtadiorum ſexa-*

Digitized by Google

ſexaginta. Inſidebat autem illi Alcyon, ſouebatque oua, nido haud multo maior: quæ cum auolaret, parum abſuit, quin alarum vento nauem ſubmergeret. Fuga enim ſe proripuit, edita triſti quadam, & lamentabili voce. Nos igitur iam die apparente vidèmus nidum ingenti naui ſimilem ex arboribus congeſtum. Inerant autem & oua, quorum vnumquodque Chio dolio erat capacius. Atqui & pulli iam intus conſpiciebantur, & crocitabant. Cum igitur vnū ex ouis ſecuribus præcidiſſemus, pullum implumem viginti vulturibus ampliorem eduximus. In dolio autem Chio vtiq; Diogenes potuiſſet, tanquam in domicilio, Pygmæi propemodum, tanquam in oppido, habitare. Ne verò quis miretur, tam grande conſpectum à Luciano *ouum*, ſciat ab eodem pulices conſpectos longè grandiores. Ait enim *ibid. l. 1. Pſyllotoxotæ magnorum pulicū* (ceu equorum) *ſeſſores ſunt, vnde & appellationem trahunt: pulicum verò magnitudo, vt duodecim elephantes.* Nec paruas, nempe canibus, aut vulpibus pares formicas, apud Indos Bactrianis proximos, memorat Herodot. *l. 3.*

Longè maius atque ab hominibus reipſa habitatum *ouum* indigitat Stephanus Vinandus Pighius, *in Hercule Prodicio pag. 535.* cum teſtatur, Neapoli Carolum perrexiſſe *ad viſendum Oui caſtrum, quod propter formam oualem ſcopuli marinis vndis, inſulæ in modum, circumfuſi, in quo poſitum eſt, illud nomen accepit.* V.

Hæ

VI. Hæ vel fabulæ, vel artes, vel naturæ miracula decumana, varios homines exprimunt, omnia in maius augentes; qui nempe culicem faciunt montem; ſtillicidia, Oceanum; cælum, colum; ſolem, candelam; Lunam, nihil; orbem ipſum, pilam, qua dadatim ludimus: denique cancros lepori, tibiam tubæ ſi comparent, modeſtè ſibi videntur agere. Inter quos tamen duo genera præcipuè excellunt. Vnum eſt ſuperbè ſe ſe iactantium, illudque vſurpantium, *cum ſis nanus, cede*: alterum iratè ſe ſe vindicantium. Alazones, quid agant, & Pyrgopolinicæ, ac milites glorioſi, notum eſt; ex muſca faciunt elephantem, & vrbes expugnaſſe ſe dicunt, quas oculis ſuis nunquam viderunt. At longè adhuc ad famam addere magis, & exaggerare omnia amant irati; quibus furore turbatis omnia apparent, quàm ſint, maiora, ſicut illis, qui capite terram verſus inclinato, per crura, aſpiciunt domos procul ſitas, ob humorem in oculos defluentẽ. Illi ex *ouo* columbæ faciunt, quod caput humanum, aut dolium Chium, aut Helenæ cænaculum æquet. Quis vnqum turbidè iratus non nimius fuit in increpando, damnando, puniendo? Ipſe Theodoſius Imp. Theſſalonicæ, ob vnius aulici necem ſeptem millia ciuium occidi iuſſit, & quidem promiſcuè, dum ad ſpectacula confluxiſſent innocentes. Copioſè rem narrat Sigon.

gon. *de occid. Imp. l. 9. & Baron. An. 890. poſt Niceph. l. 12. hiſt. c. 40.* & elegantiſſima elegia deſcribit Iac. Biderman. *l. 2. ep. Heroum*, S. Bernardinus *ſerm. 15. Quadrag.* teſtatur, An. 1419. ſe in monte Caluariæ vidiſſe mulierem, quæ in infinita hominũ turba ab adoleſcente quodam leuiter impulſa, & humi proſtrata, veniam flexis genibus iunctiſque manibus roganti pertinaciter negauit. Sed in præmium coram omnibus à malo dæmone abrepta, & in puteum eſt proiecta. Nimirum hunc ſexum ſibi ira magis vendicat.

Huius filiæ ſex. *Indignatio, tumor mentis, clamor, contumelia, blaſphemia* (ſeu *maledictio*) & *rixa*; hæ partim mentem euertunt, partim in ſigna exteriora prodeunt, partim opera ipſa regunt, ſemper tamen cum exceſſu. Et mirum eſt; homines, qui quoties ipſi peccant, alios in ſe velle eſſe mites, & clementes; quod & maximè humanum eſſe dicunt; adeò tamen iſtius humanitatis obliuiſci; vt ipſi ſemper velint plectere ſeueriùs, quàm ſciant alios meruiſſe. Scilicet ira eſt fermentum; ſicut & qui iraſcitur, *in fermento eſſe* dicitur. Nihil ergo noui eſt, animum hominis, plagamque acceptam, ira intumeſcere; ſicut patientia, & manſuetudine detumeſcit, more circuli, in *oualem* figuram (adhibita arte) tranſeuntis. Nam *oui figuram ſtatim deſcribes*, ait VII.

Car-

Cardan. *l. 13. de rer. var. c. 63. vel deſcripto circulo cum filo, inde duos ſtilos à capitibus ſenſim trahes, & illitum atramentum deſcribet oui figuram in charta.* Quæ verba obſcura ſunt, praxis certa; ſi duos ſtilos ita figas, vt filum in circulum connexum à ſe diducas atque in oblongum diſtrahas. Tum enim calamus filum intra circulum ſecutus, in latere vtroque non poterit tantùm excurrere, quantùm in capitibus. Fiet ergo è circuli capaciore figura, *oualis* minor. Perinde continget, ſi iræ tuæ manſuetudinis ac patientiæ terminos figas, tanquam duos ſtilos. Manſuetis ac patientibus omnia, quæ ferunt videntur minora, iracundis quidquid triſte accidit, intolerabile eſt, magnum eſt, immo non eſt, ſed ita eſſe videtur perturbatis; ſicut arces & caſtella videntur longè maiora ijs, qui inclinato capite, per tibias diuaricatas, ea aſpiciunt, humoribus cerebrum confundentibus, vt dixi; & experientia eſt ludentium in pratis.

Cum nec ponere poſſit iſta paſſer,
Criſtati neque coniuges mariti,
Nec cygnus, nec Eous anſer vllus;
Quis tam grandia ponat oua, quæris?
Humano generantur in cerebro.
O quantum caput ergo ſit, neceſſe eſt,
Quod tantum cerebri poteſt habere!

Ob

Ob ovum, concitata vxor, iræ typus.

EMBLEMA XC.

NON IRASCITVR FEMINA, SED FVRIT.



INtemperantis iræ vxorem (an Furiam?) habebat ſeruilem in modum patiens, & haud admodum callidus maritus. Is, ſub vernum tempus, à medico, brumalem triſtitiam jubebatur diſcutere, apertione venæ. Quam cum chirurgus pupugiſſet, exhilarandi gratia, jocans dixit: *benè valebis, ſi hodie, & cras, & perendie, ſic fluat dolium tuum, ſicut nunc fluit brachium tuum.* Hoc joco hominem admonuit, vt ex Medico interrogaret, quænam hoc triduo cibi potuſque, ratio eſſet ſeruanda? Interroganti igi- 1.

 tur.

tur: Quænam victus ratio hodie, & die poſteri, ac ſequentibus eſſet habenda? illico medicus è Schola Salernitana promit hoc præceptum.

Oua recentia, vina rubentia, pinguia iura,
Cum ſimilâ purâ naturæ ſunt valitura.

II. Enimuerò vt doctrinam ſuam ampliore condiret eruditione, Galeni *in 3. de ali. c. 21.* verba recenſuit, & numeratò recitauit inquiens: *optima quidem oua ſunt; quæ recentiſſima, peſſima quæ vetuſtiſſima.* Ac ratione quoque declarauit, docuitq́;, recentiora idcirco eſſe meliora, quòd calor eorum naturalis eſſet adhuc integrior validiorq́ue. Ad extremum adiecit: ante omnia, ſe illi commendare, vti juſculum quotidie ſumeret, per quod gallina cucurriſſet.

III. Diligenter omnia obſeruauit valetudinis ſuæ ſtudioſiſſimus Mitio. Ita enim potiùs, quàm Socrates vocari meretur, licet ipſam in conjugio Xantippen haberet. Quare, digreſſo Medico atque Chirurgo, Charitum quartam, ſuauiſſimam ſuam illam Hecubam, vocat ad ſe intrò, & quia qualis vir, talis oratio, infimis precibus rogat, vti juſculum parare eiuſcemodi, per quod gallina cucurriſſet, hodie, & luce alterâ, (non audebat tertiam nominare) deinde etiam par *ouorum* recentium coquere ſibi, non grauetur. Addit, ſe quoque huius beneficij memorem, ſi illa aliquando ſimili cura indigeat, nihil officij

ſui

ſui quod ſit, omiſſurum. Hac oratione Medeam exoraſſet Iaſon, Xantippen tamen ſuam non exorauit vxorius Mitio. Enim verò illas rugas, quibus alioqui nec in genis, nec in fronte, nec in mento erat deſtituta, etiam in naſum congregans; & proiecto pede, manibuſque in latus, anſarum in modum, vtrinque poſitis, ita ante ſedentem aſtitit, vt eum antè pœniteret offam, & *oua* petijſſe, quàm intelligeret negata.

Poſtquam autem illa tonare potiùs, quàm ſine exordio perorare cœpit, maluiſſet etiam, vt Medicum nunquam vidiſſet, aut audijſſet. Illa enim ita cœpit in laudes eius excurrere, vt non ſolùm temulentum vocaret, & quod vini nimium bibiſſet, id ſanguinis vice de vena illi eijcere neceſſe eſſe, diceret; ſed etiam hominem nauci, nullius frugis, dilapidatorem, gurgitem, lutum ſanguine maceratum appellaret: denique eum, qui præ amentia non intelligeret, res duas ſe ſimul petere, quarum neutra alteram permittat dari. Si enim gallinam, ait, jugulauero, quis *oua* tibi pariet recentia? Aut ſi recentia expectanda ſunt *oua*, quando potero tibi gallinam jugulare? Deinde non aduertis, in gallina mihi damnum parari intolerabile, quis enim eâ occiſâ incubabit? aut ſi *oua* tibi dedero, quidnam incubabitur? Itaq; ſpem pullorum tollis in vtraque re poſtulata. Siue enim *oua* tibi dedero, ni- IV.

hil erit, quod excludatur; ſiue gallinam dedero nemo erit, qui excludat. Supereſt igitur, vt tibi dem, quod mereris, hoc eſt, NIHIL.

V. Nondum epilogum erat factura, cum nunciatur, ab ancilla, volpem in cortem ingreſſam *oua* partim deuoraſſe, partim fregiſſe. *Vbi autem gallina?* inquit Baccharum non vltima. *Eam occiſam*, ait ancilla, *vulpes aſportauit. Bene eſt*, inquit Xantippe, *malo eam à vulpe vorari, quàm ab hac oue, immo boue, à quo nihil differt.* Hæc ſibi præſenti in faciem dici audijt Mitio, & tacuit: immo, quaſi bellè jocata eſſet, dictum riſu approbauit, veritus, ne ſi impatientiam vultu prodidiſſet, clauium faſce ſalutatus, denuò ſanguinem, ſed à capite illi mitteret vxor. Diſputatum eſt poſtea, ignauúſne, an patiens habendus eſſet Mitio? Certè Socrates olim interrogatus ab Alcibiade, cur mulierem tam acerbam, & velut oeſtro percitam, domo non exigeret? *Quoniam*, inquit, *cum illam domi talem perpetior, inſueſco, & exerceor, quò foris petulantium iniuriam facilius feram.* Iterum dicenti Alcibiadi, *intolerandam eſſe Xantippes maledicentiam. Tu*, inquit; *nonne toleras anſeres clamore perſtrepentes?* eóque reſpondente: *Nec mirum, cum mihi oua, & pullos pariant: Et mihi*, ait Socrates, *Xantippe filios gignit.*

VI. Duo igitur hinc documenta trahuntur, vnum, vt conjuges diſcant, temperare iram; al-

terum

terum, vt exercere patientiam; ſi aut vxor maritum nacta eſt importunũ, & verbera ad quoduis verbum minitantem; aut, quod deformius (vtinam nõ etiam frequentius!) ſi maritus vxorem Iunoniâ auctoritate, Campanâ ſuperbiâ, & Tiſiphoneis furoribus imperia diſpenſantem ſortitus eſt. Quanquam enim turpe eſt, & Apoſtolo aduerſum, ſi mulier marito imperet; Scythicum tamen conſilium eſt, quod, eodem loco indiſcriminatim habendas, docet omnes vxores, aítque *nucem*, *aſinum*, *mulierem ſemper eſſe baculandam*, neque vllo pacto parcendum cenſens ait: *Impius huic fueris, ſi pius eſſe voles.* Sæpe tamen non pietas erit, ſed ſtupiditas, parcere; cum plurimæ vxores, nec viris parcant, reddantúrq; caſtigatione meliores. Cur ergo viri, de vxoribus, deſperent ſemper, ad frugẽ reducendis?

Quanquam, ſi de exceſſu ſit ſermo, plerumque feminæ dominantur, minùs robuſtæ, ſed magis iratæ. Nec enim Sarmatarum regem modò Circe, aut Agamemnonem Clytemneſtra, aut Ninum Semiramis, aut Alexandrum Pheræum Thebe, aut Antiochum Laodice, Antoninum Verum Imp. Lucilla vxor interemit; ſed etiam Agrippina Tiberium Claudium, teſte Plin. *l. 32. c. 22.* Fabia Fabium Fabricianum, teſte *Plutarch. in parall.* & in ipſis caſtris Alexandri Spitamenem ſua coniux, teſte Curtio *lib. 7.* atq; VII.

vt taceam Danao Beli filio quinquaginta filias fuiſſe, quæ totidem Ægiſthi filijs nupſerunt, factáque coniuratione, ſimul omnes maritos, nocte vnâ, interfecerunt, præter Hypermneſtram, quæ Lynceo marito pepercit: Volaterranus ſcribit, Albinam quandam Syriæ regis filiam, duas & triginta habuiſſe ſorores, quæ totidem maritos interemerunt. Satíſne iſtæ, iræ indulſerunt? Satíſne probarunt, quàm verum ſit illud? *Irata non iraſcitur. Quid ergo? ſæuit femina.* Certè mariti ſatis tulerunt, quos propriæ vxores ſuſtulerunt. Qui tamen hac re miſerandi ſunt, quia vel vi, vel fraude feminarum perierunt.

VIII. Illius quis miſereatur? qui vxore prægnante, è foro domum, cum corbe *ouis* pleno, redeunte, ac dicente, prolem ſibi in vtero periclitari, ni per eum liceat, quod animus appetentiſſimè cupiens geſtiat facitare, rogauit, quidnam illud eſſet? Cúmque impudentiſſimum atque audaciſſimum animal, non erubeſceret dicere; incitari ſe ad omnia, quæ emerat, *oua*, in capite eius, frangenda; illico vxorius homo annuit, & humi in medio hypocauſti aſſedit, permiſitq; caput ſuum ab vxore *ouis* lapidari. Quæ fracta & per comas in mentum defluentia, tantò vndique fuſiùs aptiuſque hæſerunt; quanto patientiſſimus ille Achan (non enim Stephanus) aruncum aluit prolixiorem. Aiunt, qui ta-

lia

lia ab vxore ſua ſuſtinuit, fuiſſe hæreticum Prædicantem. I, nunc, & dic, hoc genus hominum virtute carere; aut forti ſtomacho non eſſe, cum tot, & tam cruda *oua* poſſit digerere, ſine nauſea. Sed vxores quoque ſi eiuſmodi conſideraueris, ſæpe cum Tibullo *lib. 3. eleg. 4.* dices:

Ah crudele genus, nec fidum femina nomen!

Ovum in lampadem factum, acediæ fugam ſuadet.

EMBLEMA XCI.

QVID TIBI LAMPAS INERS, SINE FLAMMA ET PALLADE, PRODEST?



1. SVpellectili vix vlla opus eſt, ait Putean. *orat.* 20. *ouum* laudaturus. *Cum eſſe placet, nucleũ & vaſculum habes, cibum & lancem; immo verò cum bibere, potum & poculum, nectar & cyathum. Teſta vas eſt, lanx eſt, poculum eſt, cyathus eſt &c. Pulcherrimum venuſtiſſimúmque poculorum ouum eſſe, meus me Floritius Riqueburgtrigaultius docuit &c. Nec amplius ſanè commendare Liberi liquorem, aut ingenioſius potuit, quàm vt gallina lacti compararet. Nihil ſalubrius vino eſſe iam diſci-*

diſcimus: ouo propinatur. Ac ne intemperantiæ tantùm vas eſſe ouū credamus, ita pergit: *Sed ille mihi altiori ſapientia inculcare ſobrietatem viſus eſt, vt quoties conuiua eſſes, & ouum videres, bona valetudini, & honeſta voluptati, & conſtanti amicitiæ ſcires poculum temperatum, &c. Atque Floritianum illud Liberi ouum, maiori etiam laude dignum cenſeo, quia doctiſſimo antiquitatis exemplo commendatur. Etenim Perſarum olim Reges ex aureo ouo bibere ſolitos, apud Athenæum Dinon refert. Sed & Ooſcyphia Myrleanus Aſclepiades nobis gemino inſtructa fundo promit, cuiusmodi Neſtoridem, ſiue Neſtoris olim fuiſſe pateram argenteam Homerus canit: tanquam cæli naturam & colorem cerneres, ſed aureis clauis, velut ſtellis transfixam, quæ* διὰ τὸ πυρῶδες *puriſſimo metallo ſimiles ſunt ac rutilant. Denique quatuor auribus anſatam, quam cum alij vix geſtarent, attollere ſolus Neſtor poterat, ille iam ſenex. Dionyſius poſtea Thracius Rhodi, vt ferunt, Neſtoridem fabricatus eſt, collato à ſectatoribus & diſcipulis argento. Item Neſtoridem Capuæ dicatam Dianæ fuiſſe Athenæus ſcribit, atque in ea verſus illos Homericos aureis litteris inſcriptos.*

Vt ergo Floritius Neſtorem, ita alij Floritiū II.
poſſunt imitari, non iam ex *ouo* calicem, non atramentarium vaſculū Berchtolſgadenſi torno factum; ſed lampadem fabricantes; lampadem vtique vel in quouis hoſpitio facilè parabilem.

bilem. Nam ubi quis *ouum* in cæna exhauſit, teſtam operculo ſuo detectam ſi ſeruet, mediamq́; aqua, mediam oleo (quod paupertas docuit de lactucæ reliquijs transfundere) impleat, lanamque, in lychnum (aut ingenioſo compendio, foliū lychnidis) contorqueat, extemporalem lampadem parabit, tota nocte lucentem. Vt proinde etiam hæc ſupellex de *ouo* poſſit haberi: Et credo nec ipſe Cleanthes, ad elucubrandum, alia lucerna vſurus fuiſſet, ſi artem calluiſſet. Quod ſi ergo in *ouo* lampas quoque ſignificatur, immo habetur; in lampade autem vel inſtructa, vel neglecta, ſicut & in lucerna (vnde ſcripta elaborata *lucernam olere* dicuntur) hominum aut diligentia, aut ſocordia, velut in ſymbolo, relucet; & hinc admonemur, eſſe diligentes, quia non ſolùm oleum affundere, ſed lampadem ipſam, delicatam ac fragilem, attentè tractare debemus, quam non homini ſucceſſori, ſed ipſi Numini ſumus olim tradituri.

III. Homines porrò eſſe lampades ac lucernas, vaſis teſteis contentas, indicabant *lampades in medio lagenarum* abſconditæ *Iudic.c.7.26.* ſæpe enim magnum ingenium, magnus animus, magna fides, ſcientiáque, velut lux & lampas, in vili fragilíque corpuſculo, & ſciſſili palliaſtro latet; quæ corpore, velut lagena, fracto, in altera demum vita exſplendeſcet. Ioannes quoq; *erat lucer-*

lucerna ardens & lucens Io. 5. Tales fuiſſe & alios ſanctos, radioſi vultus Moſys *Exod. 34. 29*. S. Dominici ſtellam in fronte gerentis. *l. 1. c. 1. vita eius*. S. Nicolai Tolentini, Nonni, *in Prato ſpir. c. 104*. S. Thomæ Aquinatis, S. Ignatij, aliorumque fulgores docuêre. Ita ſupra S. Baſilij, Martini aliorumque capita, globi ignei, & innoxia flamma comas lambens, emicuerunt. Vide *Sur. 1. Febr. Greg. Nyſſ. in Encomio S. Ephrem, Amphilochium in comparat. Baſilij & Ephrem*. Hi nempe in Eccleſia ſupra candelabrum ponendi erant, vt lucerent in medio nationis prauæ *Phil. 2*. In his quantò maior lux diuinæ cognitionis, tantò ardentior flamma charitatis. Lucem ergo qui non fouent, facilè frigent. *Vide ergo*, ait Seruator, *ne lumen quod in te eſt, tenebra ſint*. Lucernis occidentibus oleum infunde; extinctis, & fœdè fumantibus, vitam redde.

Sunt etiam quidam ignes fatui, qui non calent; & ipſa quoque ligna putrida, ac vermiculi noctu lucent, ſed non ardent. Quàm nitidè multi incedunt? quàm fulgent veſtibus Attalicis & gemmis? & tamen ſæpe ſunt *oua* putrida & requieta, lampades vacuæ, nitedulæ, lampyrides, ligna putrida, fatui ignes; in quibus nihil eſt ignis diuini. Nemini enim minùs ſapiunt diuina, quàm cui nimis placent humana. *Quidam* ait S. Bern. *ſerm. 3. de Aſcenſ. Dom. ad omnia via* IV.

Digitized by Google

& vitæ huius exercitia, non ſolùm ambulant, ſed & currunt, immo potius volant, vt eis & vigiliæ breues, & cibi (qualeſcunque) *dulces, & panni ſuaues, labores non ſolùm tolerabiles, ſed & appetibiles videantur. Alij autem non ſic, ſed corde arido, & affectione recalcitrante, vix trahuntur ad hæc, vix gehennali timore compelluntur.*

V. Nempe quia *oleum peccatoris*, oleum diuinæ gratiæ, & charitatis deſtruit; ocio, inertia, acediáque pleni ſunt, hoc eſt, remiſſi animi languore ad bene operandum, & triſtitiâ de bono ſpirituali. quale bonũ eſt ipſa beatitudo, & ea quæ ad illam conſequendam pertinent, vt fides, ſpes, charitas, & ceterarum virtutum exercitia, ipſáque præcepta & ſacramenta. Harum rerum nauſea & faſtidium facit, vt homo triſtetur, ſe capacem eſſe eiuſcemodi boni, aut ad id eſſe creatum, velletque, ad ſe talia bona nihil pertinere. Eſt igitur hic languor animo ad cælum nato, ſed ambulare hoc iter horrenti, quod pedibus perniones. Naſcitur hæc triſtitia, aut acedia vel ex nimio affectu rerum temporalium, & mundi iſtius oblectatione; vel ex horrore laborum, quibus bona iſta ſunt acquirenda. Hic verò ipſe etiam horror manat ex illo affectu nimio, quo rerum ſpiritualium guſtus amittitur. Guſtu enim amiſſo, ſtatim fit res laborioſa; ſicut è diuerſo, *amor improbus omnia vincit*. Vide S. Thomam *2. 2. q. 35.*

Ex

Digitized by Google

Ex hac acedia, ſeu incuria (κῆδος enim curam vel laborem ſignificat) teſte S. Greg. 31. *Moral. c.* 31. *naſcitur malitia, rancor, puſillanimitas, deſperatio, torpor circa præcepta neceſſaria, mentisq; circa res illicitas euagatio.* Quæ filiæ ſi non ſatis mali afferunt, adde & *mortem* ipſam. Nam *triſtitia huius ſeculi mortem operatur.* 2. *Cor.* 7. Ob hanc ergo Virgines fatuæ, & dormitantes à Nuptijs ſunt excluſæ: nō enim, quia lampade caruerunt, damnantur, ſed quia lampades habuerũt ocioſas. *Omnis* enim *arbor, qua non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Matth.* 7. 19. Quid ni? cum non ſolùm apud Athenienſes, teſte Laërtio *l.* 5. *c.* 2. & Lacedæmones, teſte Plutarcho, *in Solone*, ſed etiam teſte Diod. Siculo, apud Ægyptios ignaui ſemper deſpecti, ſuſpecti, & apud Ægytios quidem ita miſeri fuerint, vt qui artem non callerent, qua ſe alere poſſent, morte, tanquam inutile terræ pondus, tollerentur. Vtinam tollantur & nunc. Qua morte? olim *de ſtercore boum lapidatus eſt piger. Eccl.* 22. 2. hodie quidam cenſent, *ouis putridis* eſſe lapidandũ, quod contigit, *ſupra Embl. præced.* memorato Prædicanti. Lapidatione ergo tam ignominioſa qui contaminari metuit, lampadẽ ſuam adornet; excubet; vigilet; ne oſcitando ſponſum & nuptias negligat. VI.

Extingui quicunq; ſinit ſibi lampada morum,
Verè oleum atque operam perdidit ille ſuam.

Ovum

Ovum occidens inexpectatæ mortis admonitio.

EMBLEMA XCII.

NON TANTVM IN OLLA MORS. IN OVO ETIAM LATET.



1. A*p. Sauſeium cum à balineo reuerſus mulſum bibiſſet, ouumq́; ſorberet*, teſte Plinio *l. 7. c. 53. mors occupauit*. Vbi mors non eſt, ſi in *ouo* eſt? quod alioquin, ob teſtæ munimentum, à veneni periculo tutiſſimum. Quot alij *ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt? Iob. 21. 13.* apud Iouem pranſi, apud Proſerpinam cænaturi, cum Epulone *Luc. 16.* cum Ammone *2. Reg. 13.* cum Holopherne *Iudith. 13.* cum Nabal *1. Reg. 15.* cum Balthaſare *Dan. 5.* cum

Digitized by Google

5. cum filijs Iob. ruinâ domûs ac vino oppreſſis *Iob. 1.* vel ebrijs, vel ebrioſis, de cratere nectaris, translatis ad eam menſam, *vbi ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum. Pſ. 10. 6.*

Thomas Cantiprat. *lib. 2. apum* §. 5. ſcribit, quodam veſpertino tempore, duos ſenes religioſos commeſſatores, cum de more, vt ſe ingurgitarent, accubuiſſent, alterum eorum, vix quartum ori bolum admouiſſe, cum interclusis faucibus, intortíſque horrendum oculis, expirârit. Quo ſpectaculo admonitus ſocius, ſed nihil territus, ea auiditate perrexit in appoſitas eſcas potumque incumbere, atque ingluuiem infarcire, vt cum iam penè creparet, nec mouere ſe loco poſſet, inſtar beſtiæ, in ſtratum aſportandus eſſet. Nec ipſe diutius vixit, vino antè, quàm tumulo ſepultus; in quo tantùm cibi & potus fuerat aggeratum, vt animæ ampliùs non fuiſſe ſpirandi locus videatur. Simile idem *c. 56.* §. 2. refert, quod quibuſdam inter bibendum, de animæ immortalitate diſputantibus, eamque parum credentibus euenit. Nam eorum vnus Stygio veteratori Mercatoris habitu ſuperuenienti, animam ſuam, pro aliquot vini vrnis, vendidit. Quem is hilariſſimè bibentem, cum iam ſympoſium diſſoluendum eſſet, vnà cum corpore viuum ad Inferos abſtulit, cum ioco II.
dicens,

dicens, equo ſibi vendito, etiam frænum deberi.

III. Et, in faſciculo, vel profanus ſcriptor multas comprehendit mortes repentinas, Plinius ſcilicet *cit. lib. 7. c. 53. In primis*, inquiens, *miraculo ſunt atque frequenti mortes repentinæ, hoc eſt, ſumma vitæ felicitas, quas eſſe naturales docebimus. Plurimas prodidit Verrius: nos cum delectu modum ſeruabimus. Gaudio obière, præter Chilonem, de quo diximus, Sophocles & Dionyſius Siciliæ Tyrannus, vterque accepto tragicæ victoriæ nuntio. Mater pugna illa Cannenſi, filio incolumi viſo, contra falſum nuntium. Pudore Diodorus ſapientiæ Dialecticæ profeſſor, luſoria quæſtione non protinus ad interrogationes Stilbonis diſſoluta. Nullis euidentibus cauſis obière dum calciantur matutinò duo Cæſares, Prætor & prætura perfunctus Dictatoris Cæſaris pater. Hic Piſis exanimatus, ille Romæ. Q. Fabius Maximus in conſulatu ſuo, pridie Kalend. Ianuarias: in cuius locum Rebilus pauciſſimarum horarum Conſulatum petijt. Item C. Vulcatius Gurges Senator. omnes adeò ſani atque tempeſtiui, vt de progrediendo cogitarent. Q. Æmilius Lepidus iam egrediens incuſſo pollice limini cubiculi. C. Aufidius egreſſus cum in ſenatum iret, offenſo pede in comitio. Legatus quoque, qui Rhodiorum cauſam in ſenatu magna cum admiratione, in limine Curiæ protinus expirauit progredi volens. Cn. Bebius Pamphilus, prætura & ipſe functus, cum à puero*

ro

ro quæſiſſet horas. A. Pompeius in Capitolio, cum Deos ſalutaſſet. M. Iuuentius Talua coſſ. cum ſacrificaret. C. Seruilius Panſa, cum ſtaret in foro, ad tabernam, hora diei ſecunda, in P. Panſam fratrem innixus. Bebius Iudex, cum vadimonium differri iubet. M. Terentius Corax, dum tabellas ſcribit in foro. Nec non & proximo anno dum Conſulari viro in aurem dicit, eques Romanus, ante Apollinem eboreum, qui eſt in foro Auguſti. Super omnes C. Iulius Medicus, dum inungit ſpecillum per oculum trahens. Iam L. Man. Torquatus Conſularis, cum in cæna placentam appeteret. L. Durius Valla medicus, dum mulſi potionem haurit. P. Quintius Scapula, cum apud Aquilium Gallum cænaret. Decimus Sauffeius ſcriba, cum domi ſuæ prãderet. Cornelius Gallus Prætorius, & T. Ætherius eques Rom. in Venere obiêre. Et quos noſtra adnotauit ætas, duo Equeſtris Ordinis in eodem Pantomimo Mythico cum forma præcellente. Operoſiſſima tamen ſecuritas mortis in M. Ofilio Hilaro ab antiquis traditur, Comœdiarum hiſtrione. Is cum populo admodũ placuiſſet, natali die ſuo, conuiuiumq́ haberet, edita cæna, calidam potionem in pultario popoſcit, ſimulq́ perſonam eius diei acceptam intuens, coronam è capite ſuo in eam tranſtulit, tali habitu rigens, nullo ſentiente, donec accubantium proximus, tepeſcere potionem admoneret. Plura ibidem.

IV. Sed non neceſſe eſt, exempla Harpyiæ iſtius aliunde petere, cuius monumenta veſtigiáque vbique occurrunt; vt miraculi inſtar ſit, inter tot mortes, poſſe hominem mortis obliuiſci. *Ex Aſia rediens*, inquit apud Ciceronem l. 4. Epiſt. Sulpitius, *cum ab Ægina Megaram verſus nauigarem, cœpi regiones circumcirca proſpicere. Poſt me erat Ægina: antè Megara: dextra Pyræus: ſiniſtra Corinthus, quæ oppida quodam tempore florentiſſima fuerunt, nunc proſtrata & diruta ante oculos iacent, cœpi egomet mecum ſic cogitare. Hem nos homunculi indignamur, ſi quis noſtrûm interijt, aut occiſus eſt, quorum vita breuior eſſe debet, cum vno loco tot oppidorum cadauera proiecta iaceant.* Quis noſtrûm hac ætate, per Germaniam, proficiſcens, & tot villas, domos, pagos, arces, & vrbes, laceratas, dirutas, proſtratas, ſolóque æquatas, aut exuſtas aſpiciens, non eandem meritò ſuſcipiat cogitationem? Quod his tribus annis Germaniæ contigit, omnibus aliquando continget Germanis. Cademus. neſcimus vbi. neſcimus quando. Cademus, &, heu, nec illud certò ſcimus, ad Auſtrúmne caſuri ſimus, an ad Aquilonem. Et adhuc ſuperbi ſumus? adhuc immortalia odia fouemus, tam mortales? adhuc terram amamus, in qua tam intuti ſumus, & tot miſerijs obnoxij? Aliter ſenſit, qui dixit *Pſ. 119.5. Heu*

mihi,

mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt! aut *Phil. 1. 13. Coarctor deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* itémque *Rom. 7. 24. infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quod profanus Poëta, ſeu Gallus, ſeu Maximianus *eleg. 1.* idem ſenſit, idem dixit his verſiculis:

Solue, precor, miſeram tali de carcere vitam;
Mors eſt iam requies, viuere pœna mihi.

Ovorum collectio vindemiæ mortis admonet.

EMBLEMA XCIII.

CVRRITE DVCENTES SVBTEGMINA, CVRRITE FVSI.



1\. REm, quam quotannis ludens Germania, in compluribus locis, ſpectat, doctiſſimus, & diſertiſſimus Encomiaſtes his verbis deſcribit. *Lepidũ illud quod intelligo apud Germanos alibi vigere. Cum poſt eſuriales ferias, ad oua & viſcerationem reditur, in prata exeunt, & curſu certaturi, oua ſportis efferunt. Centum, ducenta, aut plura, ordine, & paſſus vnius interuallo, in longam lineam locata extendunt. Hæc ſingula itu reditúq; in ſportam iuxta poſitam properiter infert:* meta

meta antagoniſtæ conſtituta, quam interea currendo emetiatur. Certamen eſt, vter celerior ſit; hic currendo, an ille colligendo. Sed ſi ouum rumpit, iam collector priusquam abſoluit, victus eſt. Iucundum ſanè atq; honeſtum ſpectaculum, quod vt imitari luberet, libentiùs recenſui. Belgæ verò oui tripudium quoddam habemus, paſſim, atque inſtituimus. Saltant ſinguli, ſeu pueri, ſeu puellæ, gyróſq; lege quadam ducunt. Ouum circulo incluſum, & lignea ſcutella tectum iacet: hanc inter ſaltandum pedibus comprehendunt, & nudato ouo ad numeros circumferunt. Cum fecerunt omnia, eodem inuolucro rurſus ouum operiunt. Ruptum verò, aut læſum velut in pœnam ſorbent. Hæc Putean. *or. 20.*

Hic quoque *ouorum* ludus, quid niſi vitæ currentis, & Mortis multos frangentis imago eſt? Nunc iſtum mors colligit, nunc illum. Felix qui interea optatam attingit metam, nec brauium negligit. *Sic currite, vt comprehendatis*, ait Apoſtolus. *1. Cor. 9. 24.* Alioqui multi quidem in ſtadio currunt, ſed vnus duntaxat accipit brauium. Plures & *oua* frangunt, & tempora comburunt; pauciores ita currunt vt in tempore veniant. Quo identidem fugiente, identidem vtendum eſt. Monuit Perſius *Sat. 5.* 11.

Viue memor lethi; fugit hora: hoc, quod loquor, inde eſt.

Monuit Senec. *l. 2. ep. 24. Quotidie morimur,*

quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cum creſcimus, vita decreſcit. Infantiam amiſimus; deinde pueritiam, deinde adoleſcentiam, vſque ad heſternum, quidquid tranſijt temporis, perijt: hunc ipſum quem agimus diem cum morte diuidimus. Et ibid. *Quemadmodum clepſydra non extremum ſtillicidium exhaurit, ſed quidquid ante defluxit: ſic vltima hora, qua eſſe deſinimus, non ſola mortem facit, ſed ſola conſummat.* Monuit exemplo Chriſtus *Io. 9. 5.* inquiens: *Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt: venit nox, quando nemo poteſt operari.*

III. Vt ergo, qui cum currente certat, ouis colligēdis, aut qui in ſtadio decurrit, nuſquam ſubſiſtit, ita fas eſt, nullam vitæ horam, nullũ momētum otio tranſmittere. *Ipſe hominis ſeculique auctor,* ait S. Bern. *ep. 254. ad Garinum, quàm diu cum hominibus verſatus eſt, nunquid ſtetit? Et quidem, teſte ſcriptura, pertranſijt benefaciendo, & ſanando omnes. Petranſijt ergo, ſicut non infructuosè, ita non remiſſè, non pigrè, non lento gradu, ſed quemadmodum de eo ſcriptum eſt: Exultauit vt gigas, ad currendam viam. Porrò currentem non apprehendit, qui & ipſe pariter non currit. Et quid prodeſt Chriſtum ſequi, ſi non contingat conſequi? Ideo Paulus ait, ſic currite, vt comprehendatis. Ibi, Chriſtiane, fige tui curſus profectuſq; metam, vbi Chriſtus poſuit ſuam. Factus eſt, inquit, obediens,*

vſque

Digitized by Google

vſque ad mortem. Quantumlibet ergo cucurreris, ſi vſque ad mortem non perueneris, Brauium non apprehendes, Brauium Chriſtus eſt.

Igitur mors & meta eſt, & incitamentum curſus noſtri, non peccabit illius memor. *Eccli. 7. 40.* nec ſtabit otioſus, qui ſcit illam currere, & fortè non procul abeſſe. Quid enim facit, cui longa via, & breuis hora reſtat? quem delectabit aliquid mox deſtitutũ? quis negligens erit, inſtante iamiam iudice, & æternitate? Vnde ſalutaris regula S. Bernardi *in ſpec. Monach. In omni opere ſuo dicat ſibiipſi: Si modò moriturus eſſes, faceres iſtud?* Et fortè modò es moriturus, ideò incerta eſt hora, vt ſuſpecta ſit omnis hora: ideò iubemur vigilare. *Marc. 13.35. Apoc. 3.3.* Ergo *quoniam vbique te mors expectat*, ait S. Bern. *Med. c. 3. tu quoque ſi ſapiens fueris, vbique eam expectabis.* IV.

An non vbique expectat? Samſonem ludentes, inter ſpectacula; filios Iob inter conuiuia; pueros Prophetæ caluitiem obijcientes, in campis; Iezabelem in feneſtris; Holofernem in caſtris; Siſaram in fuga; Iſboſet in conclaui; &, ſi profana placent, Ariſtobulum in balneis, Cæſarem in curia, Carolomannum in venatu, Fridericum Imp. in natatu (vide Baron. *An.* 1190.) mors occupauit. Et ſi quiſque ſecum tantùm annos paucos reputet, quot non funerum, & V.

ſpecies, & cateruas inueniet? Nempe mors vel-ut *oua* colligens, cadauera in tumulos comportat; iam hunc à latere, illum ex oculis, alium è gremio noſtro abripit.

VI. Et non cogitamus, ſortem proximam ad nos venturam? Impedit ſcilicet eam cogitationem hoſtis noſter, ne illa impediat peccatum. Quàm enim potens ſit hoc remedium, aliquot exemplis docet Climachus *grad. 6.* Quorum vnum eſt de eo, qui iam hora integra pro mortuo habitus, cum ad ſe rediſſet, remotis arbitris, iiſque omnibus à ſe egredi iuſſis, qui morientem circumſteterant, rogauit, vt fores arctiſſimis vinculis obſerarent; atque ita poſtquam totos 12. annos ſolo pane & aqua vitam ſuſtentans, nulli vnquam vel verbulo locutus fuiſſet, obitu tandem inſtante, aperiri oſtium permiſit, & viſitantibus hoc monito valedixit: *Parcite, fratres, peccare is nunquam poteſt, qui ſeriò de morte cogitat.* Scribit Thomas Cantiprat. *l. 2. apum c. 30.* Sacerdotem Niuellenſem Guidonem nomine, in Hannonia, curioſo mulieris aſpectu, ita exarſiſſe, vt ipſos tres annos, illius etiam defunctæ excitatum in pectore incendium reſtinguere non poſſet, donec intempeſta nocte ſepulchro illius patefacto, hauſtóque putentis cadaueris fœtore penè exanimatus corruit, fortunato caſu. Nam in grauiorem fœtorem incidiſſet, niſi

ita

ita lapſus eſſet. Simile quid refertur *in vitis PP. p. 2. n. 10.* ſed maximè efficaciam oſtendit huius remedij, quod Cotonus *ſer. de morte*, narrat, delicatam ſcilicet matronam, quæ è multis pœnitentijs nullam ſe admittere poſſe diceret, mirabiliter mutatam eſſe, ea vnica admiſſa, vt quotieſcunque manus ablueret, ſibiipſi tacita occineret: *Hæc caro vermium eſca erit.* Nihil tam potens in hoc genere, quàm mortis memoria; nec quidquam tam obuium; vt proinde vbiq; morborum noſtrorum remedia habeamus. Quare hæc ipſa eſt in morte vtilitas, quòd proſit ad vitam; & importunitate ſua ſit opportuna. Quis neget importunam, & humano arbitrio non ſubiacentem, vt humanam ſuperbiam ſubigat? Audi Corn. Gallum *eleg. 1.*

Dulce mori miſeris, ſed mors optata recedit:
At cum triſtis erit, præcipitata venit.

Et *eleg. 6.*

Omnibus eſt eadem lethi via, non tamen vnus
Eſt vitæ cunctis exitijq́; modus.
Hac pueri atq; ſenes pariter, iuueneſq́; ferentur,
Hac par diuitibus pauper egenus erit.
Ergo quod aſtrictum, quodq́; eſt vitabile nulli,
Feſtino greſſu vincere præſtat iter.

Ovorum diſcretio, diuini iudicij examen metuendum docet.

EMBLEMA XCIV.

VENITE AD IVDICIVM.



1. VArij ſunt *oua* cocta à crudis, dura à mollibus, bona recentiáque à malis vetuſtiſque diſcriminandi modi. Cruda menſæ impoſita & in gyrum voluta, difficulter, faciliùs molliter cocta, dura facillimè circumaguntur. Porrò *recentia veteribus plurimùm præſtant,* ait Aldrouand. *l. 14. Ornith. c. 1. quippe optima ſunt recentiſſima, vetuſtiſſima autem peſſima: quæ verò in horum medio ſunt, proportione receſſus ab extremis bonitate, vel prauitate inter ſe differunt. Recentia à veteribus dignoſcuntur facillimè. Recentia*

plena

plena ſunt, vetuſta vt plurimùm circa partem latiorem inania. Vetuſtatis inſuper ſignum eſt manifeſtiſſimum, ſi dum aperiuntur, vel refringuntur diffluant, præſertim vitello: contra bonitatis, ſi aperto ouo vitellus integer manſerit, & in medio eius gutta rubicunda, velut ſanguinea apparuerit. Idem auctor, *ſupra eodem cap. Quærat quiſpiam*, ait, *qua ratione cognoſcatur, ſi quid ex illis naſciturum ſit? Certa quidem illius indicia ſtatuere difficillimum eſſe puto. Tradit tamen Albertus oua incubationi idonea quarto die ſanguineas trahere venas. Eo itaq; tempore ad ſolis radios examinari poſſunt, & in quibus venæ apparent, rurſus ſupponi, alia minimè. Videat autem quiſquis introſpexerit, ſi eadem die in acutiore parte clara appareant, hoc eſt, vt Plin. loquitur, cum purus & uniusmodi pelluceat color; nam talia ad generationem inepta ſunt; item in quibus galli ſemen tunc non apparet, teſte Varrone. Albertus ſeptimo rurſus die inſpici iubet, & ſi quid eſt, quod ſoli obtentum non videatur alteratũ, abijci, ceu ſubuentaneum, ac inutile.*

Ariſtoteles *l. 2. de gener. c. 3.* tria inutilium *quorum* indicia adducit, ait enim alijs minora eſſe, & plura numero gigni, quia cum imperfecta ſint, minùs augentur, & quia minùs augentur, plura numero exiſtunt, denique minus eſſe ſuauia, quia minùs concocta. Nam concoctum in quouis genere ſuauius eſt. Vt autem ad ſolem, II.

lem, ita ad lucernam ardentem *oua* ſolent explorari. Plin. *l. 10. c. 54. Quarto die, poſtquam cœpêre incubari, ſi contra lumen, acumine ouorum apprehenſo vna manu, purus & vniusmodi perluceat color, ſterilia exiſtimantur eſſe, próque eis alia ſubſtituenda.* Politiani verſus non impoliti ſunt:

Vocibus interea crebrum ſingultit acutis
Parturiens coniunx, quæ ſcilicet oua ſubinde
Tollit anus, ſignatq́ dies, vigilémque lucernam
Conſulit: & Lunæ creſcentis tempora ſeruans
Vt primū gallina glocit, numero impare ſubdit,
Verſatisq́ diu, ſolers auſcultat, an intus
Pipiat inuolucer pullus, tenerumq́ putamen
Pertuderit molli roſtro, atque erumpere tentet.

Noſcuntur & ex alijs diſcriminibus. Etſi enim *intus omne ouum volucrum bicolor,* tamen *aquaticis lutei plus quàm albi, idq́ ipſum magis luridū, quàm ceteris piſcium; vnus color, in quo nihil candidi. Auium oua ex calore fragilia, ſerpentium ex frigore lenta, piſcium ex liquore mollia, aquatilium rotunda, reliqua ferè faſtigio cacuminata,* ait Plin. *l. 10. c. 52.*

III. Hæc diſcrimina, & examina ſunt *ouorum*; immo & hominum, qui ſi crudi ſunt, difficillimè ſe ſinunt rotari; in quibus aliquid coctius, verſantur, nullo negotio in omnem partem, dextrorſum per felicitatem, & ſiniſtrorſum per infortunia. Sed & boni à malis, in die iudicij, ſepara-

Digitized by Google

parabuntur, ſicut *oua* inania & vieta, à plenis & perfectis, iudicio lucis. Tunc enim ad amuſſim, immo ad vnguem omnia, quàm accuratiſſimè exigentur, & penſiculatiſſimè, vt examinatur argentum; tunc parua & magna, ad viuum reſecabuntur; tunc in apricum proferentur abſcondita tenebrarum. *Scrutabor Ieruſalem in lucernis*, ait ipſe Iudex *Sophon. 1.* Nihil vetat per Ieruſalem intelligi Eccleſiam, aut animas iuſtas. Quare appoſitè S. Bern. *ſerm. 55.* ait: *Quid in Babylone tutum, ſi Hieruſalem manet ſcrutinium?* Quando manet? Reſpondet Apoſtolus *Hebr. 9. 27. ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, & poſt hoc iudicium.* In quo, *cuncta quæ fiunt, adducet Deus*, ait *Eccle. 12. 14. pro omni errato, ſiue bonum, ſiue malum illud ſit.* Quid multa? etiam pro verbo otioſo, *Matth. 12. 36.*

Hinc Dauid *Pſ. 118. 120. Pſ. 142. 2. Iob. 31. 14. & u. 23.* Hilarion octogenarius (poſt 70. annos in ſolitudine conſumtos, ut refert, *in vita eius S. Hier.*) hinc Arſenius, *apud Sur. 19. Iulij*, moriturus; & S. Hubertus Epiſc. Leodienſis, *apud eund. 3. Nou.* iudicium tantopere timuerunt. Notum eſt, quàm aſſiduè tuba illa ſonuerit in auribus S. Hieronymi, cuius *in ep. ad Florent.* illa ſunt, *cunctis diebus ac noctibus operior, cum tremore reddere nouiſſimum quadrantem. Væ mihi*, ait S. Aug. *Medit. c. 39. miſero, cum venerit* IV.

rit

rit dies iudicij, & aperti fuerint libri conſcientiarum, cum dicetur de me: Ecce homo, & opera eius. Quid faciam tunc, Domine Deus meus, cum cæli reuelabunt iniquitatem meam, & aduerſum me terra conſurget? Ecce nihil reſpondere potero, ſed demiſſo capite, præ confuſione coram te ſtabo trepidus, & confuſus.

V. Iudicij memoria remedium eſt tutiſſimum, contra peccata. Multi mutarunt remos, cum ad iſtum portum aſpicerent; multi litem perorarent, niſi vltimum forum iſtud cenſerent declinandum. Quod ſi viri ſancti tam vehementer timuerunt, quid non erit impijs faciendum? Hinc S. Baſil. *in Pſ. 33. Si quando*, ait, *ſenſeris, te ad aliquod cieri peccatum, in mentem reuoca nulli mortalium tolerabile Chriſti iudicium, in quo quidem præſidet iudex in ſublimi throno, aſtabit porrò omnis creatura ad eius aduentum contremiſcens. Eò ſinguli ſiſtentur examinandi de his, quæ geſſerint in viuis. Eos autem, qui multa perperam in vita admiſerunt, horrendi quidam circumſtabunt angeli ignem expirantes, & vultum nocti ſimilem præferentes, pro hominum mœrore atque odio. Deinde conſpicient barathrum in imum patens, impermeabiles quidem illas, ignemq́ obſcurum, cauſticas quidem vires habentem, luce verò deſtitutum &c. Hæc tu time, & eiuſmodi timore eruditus, quaſi freno quopiam, animam tuam, ad vitio-*

Digitized by Google

vitioſam concupiſcentiam procliuem, *cohibe.* Iniquum pondus trutinam; merces mala fide ambulantes diem formidant; & multa nox auderet, ni inſtans dies minaretur, ſe fraudem detecturum.

Aſpicis, vt vacuo plenum diſcernat ab ouo
Phœbus, & oſtendat, ſi quod inane fuit?
Ne latitare putes tua crimina, turpis amator;
Soli oſtendetur, quod facis in tenebris.

Ova

Ova indicio, homines iudicio diſcriminantur.

EMBLEMA XCV.

HOC ALBA, AT ILLVD NIGRA GALLINA PEPERIT.



1. NOn tantùm luminis arbitrio, ad ſolem & lucernam, *oua* examinantur atque dignoſcuntur. *Traditur quædam ars gallinarij cuiuſdam, dicentis quod* (ouum) *ex quaq; eſſet*, ait Plin. *l, 10. c. 55*. Ex Cicerone id habet, cuius illa à Nonnio citata ſunt *4. Acad. Vidéſne vt in prouerbio ſit ouorum inter ſe ſimilitudo? Tamen hoc accepimus, Deli fuiſſe complures, qui gallinas alere permultas, quæſtus cauſſa ſolerent, hi quum ouum inſpexerant, quæ id gallina peperiſſet, dice-*

Digitized by Google

dicere ſolebant. Minuta quidem obſeruatio, ſed obſeruatio, ait Putean. *or.* 20. *Vel enim aliquid forma diſcrimen pro natura, aut magnitudine gallina erat, vel certè in ouis ſingulis aliquid illi diſtinguebant, quod internoſſe vnusquisque non poterat. De colore quid attinet dicere? non eadem niue omnia albicant: ſic homines diſtant, ſic ſtellæ lucent, ſic dies ipſi diſtinguuntur. In magnitudine & forma idem eſt. Nam alia aliis manifeſta obſeruatione maiora, aut minora ſunt; alia aliis magis minusúe: ſiue acuta, ſiue obtuſa; quædam longiora, quædam rotundiora: his venter tumet, his vertex coarctatur; tanquam membra videas, putes variari.*

Conſimilem ferè artem tradit Io. Bapt. Porta *lib.* 2. *Mag. nat. c.* 24. *Siquis*, inquit, *cognoſcere affectârit marem progigni, an feminam, ſic cognoſcet. Ariſtoteles ait, & probat Auicenna, ex orbiculari breuique ouo mas, ex oblongis acutisq́; femina progignitur, & ſuffragatur ratio. Nam virtutis perfectio in maſculis ouis æqualiter abit, & continet extrema: in oblongis à centro longiùs abit materia, in quo eſt vitalis calor. Nec inficior artificio ingenioq́; enaſci poſſe.* Sed videndus Albertus Rhodig. *c.* 17. 27. Nam Plin. *l.* 10. *c.* 52. ita loquitur: *feminam edunt, quæ rotundiora gignuntur, reliqua marem.* Cuius ſententię eſt & Columella *lib.* 1. ſcribens. *Cum deinde volet aliquis quam plurimos mares excludi, longiſſima quæque & acutiſſima oua* 11.

ſubiiciet, & rurſus cum feminas, rotundiſſima. Hæc qui auiarijs præſunt. Alioqui in prouerbio eſt, *ouum ouo ſimile eſſe.* Sed perſpicaces facilè inueniunt diſcrimen, vt in chartis luſorijs, vt in vinis, vt in oſtreis, & echinis, apud Iuuen. *Satyr.* 4. ita & in *ouis*, quod alioqui omnino fugit oculos, aut palatos exſurdatos ac hebetiores.

III. Quis ergo opera ſua à diuino oculo, & meridiana illa luce abſcondet? præſertim in illo decretorio die, *in conſummatione ſeculi*, quando *exibunt angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis? Matth. 25. 32.* & ſicut meſſor *zizania à tritico? Matth. 13. 40.* Nunc quidem in oculis hominum Zizania latent, inter triticum, & multos fallunt, Deum non fallunt. Fefellit homines, non fefellit Deum Doctor ille Pariſienſis, de quo Franciſcus Puteus Generalis Carthuſianorum *in vita S. Brunonis. Sur. 6. Octob.* & alij. In quo exemplo luculentè apparuit, quantùm noceat malis, in latebris ſuis confidere; aut animo duplici eſſe, hoc eſt, alium præ ſe ferre, & alium in ſe ferre. In *ouis* pro monſtro eſt, δίδυμον eſſe, hoc eſt, ſub eadem teſta luteum geminari; in homine deſijt jam monſtroſum videri, ſi laruam ferat; nimia enim frequentia & conſuetudo fecit familiaritatem. At Deo nulla frequentia præſcribet, neq; vlla conſuetudo excuſationem pariet. Bellè

omnia

Digitized by Google

omnia nouit diſcriminare, etiam quæ nobis diſcrimen non videntur habere: omnibus hypocritis laruam detrahet. Penitiùs enim quàm humanus oculus, inſpicit diuinus. Quod non ignorauit S. Ambroſius, qui, vt refert, ex eius geſtis Petr. de Natalib. *lib. 2.c.36.* in quadam villa Thuſciæ diuertens, cum ex hoſpite ſuo intellexiſſet, omnia illi ſemper fluxiſſe ad voluntatem, nec vnquam aliquid aduerſi accidiſſe, comitib. ſuis dixit. *Fugiamus actutum, quia Dominus non eſt in loco iſto.* Vix abierant, cum terra illico locupletem illum, omniaque illius abſorbuit. Hæc ſunt judicia Dei miſeros eſſe videntis, quos nos exiſtimaremus eſſe felices.

Hos acres Dei oculos timuit Cardinalis ille Iordanus, cum ad Chriſti judicis tribunal raperetur, de quo Cæſarius *lib. 12. c. 22.* Vtinam timuiſſet, & ille Anachortanus præſul, quem catenis oneratum vidit in jus duci Elias eremita *in ep. Cyrilli ad S. Auguſt.* Timuit certè S. Innocentius 3. *lib. 3. de contemtu mundi c. 15.* in hæc verba erumpens: *O quantus erit tunc timor & tremor, quantus erit fletus, & gemitus! nam ſi columnæ cæli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius, peccatores quid facient? Si iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccatores vbi parebunt? quis enim non timeat Iudicem potentiſſimum, ſapientiſſimum & iuſtiſſimum?* Hæc ille. Quod ſi quis metum illum IV.

vult mitigare, judicet ſe ipſum. *Si nos ipſi diiudicaremus, non vtique iudicaremur*, ait. S. Paul. 1. *Cor. 11.31.* Et Dauid *Pſ. 105. Beati qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore.*

V. *Debet enim vniuscuiusq; mens*, ait. S. Gregor. *lib. 25. mor. c. 6. & cauſſas ſuas apud Dominũ, & cauſſas domini contra ſolicita inquiſitione diſcutere: debet cautè penſare, vel quæ ab eo bona perceperit, vel quæ mala bonis illius peruersè viuendo repoſuerit. Quod electi quidem quotidie facere omnino non ceſſant. Vnde bene Salomon ait:* Cogitationes juſtorum judicia. *Accedunt enim ad ſecretarium iudicis intra ſinum cordis: conſiderant, quàm diſtrictè quãdoque feriat, qui diu patienter expectat, metuunt in his quæ ſe egiſſe meminerunt, & puniunt flendo, quod perpetraſſe ſe intelligunt &c. Ibi aduerſum ſe, quidquid ſe impugnat, enumerant, ibi ante oculos ſuos omne quod defleant, coaceruant, ibi quidquid per iram diſtricti iudicis decerni poſſit, intuentur, ibi tot patiuntur ſupplicia, quot pati timent, nec deeſt in hoc iudicio mente concepto omne miniſterium, quod punire reos ſuos plenius debeat. Nam conſcientia accuſat, ratio iudicat, timor ligat, dolor excruciat. Quod iudicium eò certiùs punit, quò interiùs ſæuit, quia videlicet ab exterioribus non accedit.* Ita de quotidiano conſcientiæ examine ac judicio S. Gregorius. Quod cum tantùm proſit, quomodo

do poteſt vilipendi, ac negligi? Nonne ſatius eſt, talum reponere, & recantare, dum licet? Quid ergo, velut ſtatua in ſua baſi, ita in malo firmi hæremus, qui tam clementi iudicio mutare poſſumus tribunal tam tremendum? Sed nempe, vt non eſt cuiusuis dicere, quod *ouum* è qua ſit gallina; ita difficile multis eſt ſcire, quod opus cuius ſit Spiritus. Igitur ſicut experientia artem parit, qua diſcerni poteſt albæ gallinæ *ouum* etiam non admodum album, ab *ouo* gallinæ nigræ multò candidiore; ita qui aſſueſcit in ſe deſcendere, atque actiones ſuas ad trutinam vocare, condiſcit tandem examuſſim bona à malis dignoſcere: Quod qui non facit iudicio priuato & domeſtico, publicè nimis experietur, accuratiorem iudicem id facturum; qui nullo ſe colore, decipi patietur, & *oua* ex aue, non è fulgore æſtimabit.

Quid tibi blandiris, bona ſi facis, impie, quædam?
Quando etiã oua niger candida coruus habet.

Ova variè cocta, ſymbola ſunt variorum in Inferno, vel Mundo tormentorũ.

EMBLEMA XCVI.

VITASSENT IGNEM, SI NON TAM CRVDA FVISSENT.



1. NIcephorus, qui interpretationes ſomniorum, ordine alphabeti, expoſuit, & diductiùs Achemetes, *per ſomnium oua coquere, aut tenere*, ſuperſtitiosè indicium vult eſſe mœroris. Mihi certè hîc ſymbolum erunt triſtiſſimæ rei, quæ poteſt hominibus accidere. Quos cum ſæpius iam oſtenderim ſimiles eſſe *ouo*, paulo mox etiam docebo, more *ouorum*, in Inferno coquendos. Sed priùs aliquot modos *oua* coquendi afferam. Nam varius eſt *ouorm* coquen-

quendorum modus. In Burgundia magirus fuit, qui integrum conuiuium, & penè ſexcenta fercula è ſolis *ouis* dedit; ſimilis illi, de quo Liuius *l. 5: de bello Macedonico*, qui vnum ſuem ita confecit, vt ex eo multas conuiuiorum varietates confecerit. *Oua igitur elixantur, aſſantur, friguntur; in aquis, in prunis, ſub cinere, in ſeru; integra, fracta, ſecta ſiue ἡμίτομα, ſeparata, intrita parantur*; quædam etiam *cruda* ſorbentur; quædam *dura*, quædam *liquida*, & *mollia*, hoc eſt, non multùm decocta, ſed media tantùm maturatione, quæ *ſorbilia*, vel *coagulata, elixa*, ſiue ἑφθὰ vocantur, & meliora ſunt duris, ſiue aſſatis, ſeu πνικτοῖς, ſiue *elixatis*, teſte Iſaac *in 5. doctr. cap. 17.* Cui ſubſcribit Haliabus *in 5. theoricæ cap. 26.*

Hæc tanquam minùs craſſa citiùs digeruntur; ſicut & his ipſis, in aqua calida fracta & decocta, meliora ſunt, quia ſine corticibus accuratiùs elixantur, in ſua naturali humiditate, per aquæ humectationem, cuſtodita, & ſubtiliora reddita. Quin hoc modo etiam ſui odoris grauitatem amittunt: licet non pauci maiore appetitu ſumant ea, quæ in cortice elixantur. Almanſori *in 3. c. 14.* Galeno *in 3. alimentorum cap. 21.* ſunt optima *ouorum* ad alimentum & euchymiam *tremula*, quæ neque dura ſunt, neque mollia, ſed inter illa duo media. Iſaac *loc.* II.

cit. docet *oua* carbonibus impoſita, & ſine fumo cocta meliora eſſe ijs, quæ ſub cinere coquuntur; *oua* autem frixa, ſeu patellata τηγανιστὰ ceteris eſſe peiora. Aſſerunt medici, apud Putean. *or. 20.* in *ouo luteum, quia calidioris aridioriſq; natura eſt, cum igne comparari & conſtitui, tanquam puriſſimum ſit, & flammam ipſe color loquatur. Hinc igitur obſeruatum eſt, vitellum intima caloris facultate facilè percoqui ac dureſcere; tardiùs album en, quippe frigidum aqueúmq;. Item ouum igni toſtum citiùs diſſilire, quàm elixũ aqua: iſtic enim vi ignis teſtam velut ferruminari, immo rumpi; quia difficilem exitum ſpiritus inueniunt: hîc laxari poros, vaporéſque ſine vitio putaminis exhalare.* De qua *ouorum* ruptione, Alexand. Aphrodiſæus *l. 1. Probl. 104. Cur ouum,* ait, *non quemadmodum cum aſſatur, ſic etiam cum in aqua feruenti decoquitur, rumpi poſſit? Quoniam ignem ſine aqua experitur humor. Contentus in eo immodicè recaleſcens copiam ſpirituum parit largiorem, quæ cum per anguſta exire cogatur, diſrupto oui tegumento, exiliat neceſſe eſt. Quod idem fit etiam in dolijs, ceteriſque fictilibus, ſi priùs, quàm muſtum efferueat, obdurentur. Adde quòd flamma nimia teſtam oui corripiens rumpit; quod etiam vaſis fictilibus euenit, cum vltra modum torrentur. Quapropter ouum plerique, antè quàm igni admoueant, aqua diluunt, at verò aqua ebulliens paulatim pro*

ſua

Digitized by Google

*ſua mollitudine humores effundit, abſumitq́; rela-
xando, non ſubitò corrumpit*. Hæc ille.

Inuenti ſunt, qui inuenerint artem *oua* in charta oleo imbutâ coquendi; & cuius certum, attonitis ſpectantibus, eſt experimentum, qua *oua* in filo, velut ferrea ſartagine, coquuntur. Neque enim filum medio circumligatum *ouo* etiam in ardentibus prunis ardet; ſed integrum ipſum, *oua* toſta retrahit; eorum ſcilicet humore per ignem extracto vegetatum. Quo pacto nec ſtanneis ſcutellis, quidquam nocent prunæ, quàm diu in eis liquor continetur, qui flammæ reſiſtens ſcutellas ſeruat illæſas. Quid quod, teſte Plinio *l. 29. c. 3.* in *ouo vis tanta eſt, vt lignum perfuſum ouo non ardeat, ac ne veſtis quidem contactu aduratur?* Norunt & aulicæ Iunones, *ouis* ipſam faciem illitam ſole non aduri. Forſaſſe & Hercules in Oetæo rogo non perijſſet, ſi *ouo* ſe vnxiſſet. Quanquam autem *oua* alias res contra ignem conſeruent, ſe ipſa tamen non ſeruant; & ſæpe cum ſua pernicie alios ſanant. Ab eorum teſta ad dolorem ventris tale medicamentum ponit Serenus: III

Præterea niuei ſterilis teſta vritur oui,
Quæ poſtquam in tetram fuerit conuerſa farinã,
Et calidis potatur aquis, & pota medetur.

Ita ſcilicet ſæpe multi præceptores, parentes, Confeſſarij, Concionatores, Magiſtratus, IV.

Digitized by Google

alios ab Inferno cohibent, quò ipſi ruunt, &, more *ouorum*, coquuntur. Coqui autem impios, Mart. Delrio *l. 3. diſq. Magic. p. 1. q. 7.* docet, dum refert, in quodam Flandriæ loco, tres ganeones, cum totidem proſtibulis, ad mediam vſque noctem Baccho, litaſſe. Id verò noctis cum eſſet, etiam Veneri voluiſſe. Vnus ergo pia, vt opinor, conſuetudine, inter ipſa ſcelera, virtutis memor: *Heus*, inquit, *epulatum ſatis; tempus porrò eſt, vt Deo gratiæ agantur.* Excipit alter: Ego Dæmoni gratias habeo, illi enim nunc ſeruio. Deflenda vox, riſu fuit excepta, ſed mox luendo. A menſa itur ad lectos, & comitantur, quæ non deberent. Nondum obdormierant, cum ecce tibi cubiculi fores, magno tumultu quatiuntur, panduntur. Exhorreſcunt cubantes, & fugere vellent, niſi ab ipſa fugæ via periculum immineret. Nec diu ianua ſtetit ocioſè reſerata. Ingreditur mox vir quiſpiam procerus, & ſemigigas. Habitus illi venatorius, aſpectus terribilis, facies atra. oculi flammæ ſimiles, & ſcintillantes. Ponè duo alij comitabantur, his varia culinæ inſtrumenta: quibus in cubiculi medio depoſitis, aggeſtáque materia, ingentem ignem excitauēre. Hic carbones explicat, ille follibus animat; flamma dum ſurgit, venator plus quàm tragico cothurno, toruiſſimo aſpectu, per cubiculum etiam pugnis minaciſſimè

mè

mè iactatis terribiliter obambulat. Tandem, rebus omnibus humi apparatis, focóque luculentiſſimè gliſcente ſubſtitit; & ad ſacrilegè iocantium lectos conuerſus: *Vbi eſt*, inquit, *ille, qui paulo antè mihi gratias tam honeſtas egit? Adſum, vt & ego illi gratias reponam.* Tanta fuit conſternatio, vt nemo omnium auderet reſpondere. Ergo ſilentibus cunctis, ipſáque euentus expectatione attonitis, rectà ad blaſphemi illius lectum accedit, & metu ipſo ſemianimem, à lecto, & latere meretricis abſtractum, duobus illis teterrimis cocis tradit, veru per viſcera transfigendum, & flammis crudeliſſimè aſſandum. Quod illi quidem ſtrenuè fecerunt. Dum iſte eiulabili vociferatione in hunc modum figitur, dum trementia in veru viſcera ac membra palpitant, dum deſtillante adipe atque omento liqueſcente, prunæ ſtrident, dum impius ſcurra toto corpore ſenſim nigreſcit vſtulatus; venator ad reliquos conuerſus: *Et vos*, ait, *idem merebamini; ſed nunc quidem ea mihi à Deo poteſtas non eſt conceſſa; concedetur autem breui, niſi breui vitam corrigatis.* Cum dicto ſpectra omnia diſparuerunt: ſolùm remanſit in buſto ferali, aſſatum cadauer, non in ferculum, ſed in exemplum.

Vti & illud formidoloſum de Presbytero, quod Petrus Cluniacenſis Abbas vberrimè nar- V.

rat

rat *lib. 1. illuſtr. miraculor. c. 35.* apud caſtrum Liziniacum, in Pictauenſi pago contigiſſe. Vbi Veneris potiùs, quàm Chriſti ſacerdos, anima iam fugiente, ſub ipſum mortis momentum clamare cœpit: *Traditus ſum horrendis tortoribus, igni inextinguibili, cum diabolo, & angelis eius, perpetuò cruciandus. Ecce, ecce, ignita ſartago, plena bullienti adipe, quam coràm me tormentorum miniſtri detulerunt, eamq́, ad me frigendum, vndique ſuccenderunt, &c.* Plura ibid. His modis *oua* iſta, ratione prædita, in Inferno incendio, nec mitiùs coquentur. Immo erit vtique longè ibi maior varietas atrocitaſque tormentorum, quàm ſit in *ouis* coquendis. Varietatem illam & Iliadem malorum, ipſæ ſcripturæ ſæpius exprimunt. Nam præter *pœnam* damni, & carcerem æternum, omnes ſenſus patientur, fœtorem nares; *tenebras exteriores*, & horrenda ſpectra oculi; amaritudinem guſtus; opprobria aures; frigus & æſtum ignis totum corpus; & ſtridorem dentium. Et quid non?

VI. Sunt quædam *oua* fracta in aquam effuſa, quæ Itali *diſperdute*, & Germani quoque *oua perdita* vocant: in Acherunte homines quàm verè erunt *oua perdita?* quàm *pnicta*, & *agitata?* quàm *ſuffocata?* quàm *tremula?* quàm *toſta? aſſa? tiganiſta?* Longè vtique conſultius eſt, in hac vita, & in fornace tribulationis, aut ſaltem in ſartagine

gine

gine Purgatorij coqui. Hæc enim *oua* in cæleſtem menſam inferuntur, illa Proſerpinæ in cænam, aut Cerbero in offam cedunt. Vtrobique O, O, & *ouum* perpetuò perſonabit. In cælo enim beati dicent: *O quam bonus & ſuauis eſt, Domine ſpiritus tuus in omnibus!* *Sapi. 12. 1.* itémque: *O Iſrael, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius! Magnus eſt, & non habet finem; excelſus & immenſus. Baruch. 3. 24.* In inferno autem æternus clamor erit ille: *O mors quàm amara memoria tua! Eccli. 41. 1.* Certè illud *Hei, hei* nunquam deſinet, quam dolentis & ingemiſcentis vocem Germani ſine aſpiratione exprimentes dicunt Ay/Ay/ quaſi exclamarenr, eiulanteſque quererentur, ſe *ouum* perdidiſſe. Hæc *ouorum Muſica*, iſtud *Hei, hei*, & Ay/ Ay/ æternùm in Inferno, inter ſtridentia flammis *oua* audietur, & nunquam exaudietur. Talis eiulatio, fuit, & eſt illius, qui amiſſas voluptates deplorans dixit:

Sed miſeris ſolus ſupereſt, poſt omnia luctus:
Quot bona tunc habui, tot modò damna fleo.

Ova

Ova ſalamandras dantia, docent damnatorum corpora in igne duratura.

EMBLEMA XCVII.

VIVERE IN IGNE, MORI EST.



1. *Salamandra, animal lacerti figura, ſtellatum, nunquam niſi magnis imbribus, proueniens, & ſerenitate deficiens* eſt, teſte Plin. *lib. 10. c. 67. Huic tantus rigor, ut ignem tactum extinguat, non alio modo, quam glacies.* Qui cap. ſeq. addit: *Quædam nihil gignunt, ut Salamandra. Neque eſt iis genus maſculinum fœmininumúe, ſicut neque in anguillis, omnibusq́ue quæ nec animal, nec ouum ex ſe ſe generant.* In quem locum Iacobus Delecampius Medicus Cadomenſis hæc annotat: *Grauida Salamandra in menſe Martio pede & baculo eliſa,*

Digitized by Google

ſa, lactea ſanies ex omnibus corporis partibus, capite, dorſo, aluo, cauda, pedibus exiliit, non aliter, quàm ex papilla vberis, digitis compreſſa: dum etiam ex diſrupto ventre, plus quàm triginta fœtus adhuc palpitantes & in aqua natantes, ac plus quàm triginta oua prodierunt. Ego quidem feminam diſſecui prægnantem, tum ouis, tum catulis plenam; aliis inchoatis tantùm, aliis iam perfectis, gradientibus, & in aqua natantibus: vt falſum eſſe, quod tradit Plinius, nihil eas gignere, manifeſtum ſit.

Porrò Salamandram in igne viuere, ante II.
Plinium tradidit Ariſtot. *5. de hiſt. c. 19.* & poſt eum S. Auguſtin. *21. de Ciuit. c. 4. & l. 21. c. 4:* Qua de cauſſa dicitur à Sereno Salamandra *potens, nulliſq́; obnoxia flammis.* Sanè Ciceró *2. de Nat. Deor.* Solin. *c. 17.* Seneca *5. Nat. qq. c. 6.* & Philo *lib. de Gigantibus*, tradunt, in inſulæ Cypri fornacibus, vbi chalcites lapis ingeſtus compluribus diebus crematur, beſtiolas (quas pyrauſtas, pyrales, pyrogones, aut caryſtias nominant) naſci pennatas, magnis muſcis paulo grandiores, quæ in igne victitent.

Quidam volunt non adſcribendam frigidiſ- III.
ſimo huius animalis temperamento cauſſam, ſed vel occulta id quadam vi, vel denſitate corij, vel, quo ſemper madet, lentore fieri, vt flammæ reſiſtat, etſi tandem, lentore illo conſumto, vri poſſit. Quare & Galenus *3. de Temperam. c. 4.* ſcri-

ſcribit, Salamandram ad certum vſque terminum ab igne nihil pati, vri autem, ſi longiore ſpacio illi admoueatur. Quæ opinio vel inde mihi fit credibilior, quòd eadem ſit experientia in ligno *oui albumine perfuſo*. quamuis Dioſcorides *lib. 2. c. 56*. Marſilius *l. 21. Variar. obſeru. c. 23*. & alij putent, id fruſtra credi.

IV. Certè de hominibus, damnatis id fruſtra non creditur; qui non tantùm, ad certum durationis terminum, in igne viuunt, ſed æternùm; ah æternùm, æternùm! Nempe ita diuina vi corpora non pereunt, vt poſſint ſemper perire: & quidem magno numero. Sunt enim impij in corrumpendis aliorum moribus, & augenda multitudine damnatorum fæcundi, ſicut Salamandræ in *ouis* pariendis: cuius & lacteam ſaniem imitantur ſuo veneno, quo dum lactant, mactant. Sed mactant, vt in ipſis ignibus nunquam mortui, ſemper morituri. Itaque Salamandram aſpiciant, quibus difficile eſt credere, *apud plures* illos, qui cum fæce plebis & principibus ſceleratorum in rogum æternæ calamitatis confertim contruduntur, corpus in flammis fore inconſumtum. Qui hanc durandi vim ſerpenti dedit, homini indere poteſt: vt quod Salamandræ eſt natura, peccatori ſit pœna. Qui ſi *ouis* Chriſti eſſe non vult, meminerit, apud Macarium Ægyptium *hom. 14*. referri, in montibus igneis ani-

Digitized by Google

animantes ouibus aſſimiles viuere ac nutriri, & inde extractas interire; ita flammis poteſt diuina manus, quos vult alligare.

Aut ſi hoc fabuloſum quis exiſtimat; in memoriam reuocet, Kunigundas nudis veſtigijs, per candentis ferri pauimentum, ſine combuſtione ambulantes. Ob oculos ponat Ioannem Petrum Cardinalem Albanum, qui, vt eſt in vita S. Io. Gualberti apud *Sur. tom. 4.* & *Vrſpergenſem An. 1088. Baron. tom. 11. An. 1062.* inde *Ignei* cognomen inuenit, quòd, cum ſenſim in rogo ſæpius inambulaſſet, ne veſtimento quidem læſo, Simoniacam hæreſin conuiciſſet. Addat etiam *Chriſtinas mirabiles*, ſine noxâ, in flammis verſatas. Addat tres pueros, intra fornacem Babylonis, illæſos. Addat denique ranas, muſcas, aliáque animalia in vltionem à Deo Ægyptijs immiſſa, quæ teſte Ianſenio alijsque, cum ab Ægyptijs igne extirpanda fuiſſent, etiam in medios ignes immiſſa, flammis conſumi non potuêre, nec ignis in illa vim vllam habuit, quàm diu ita Deus volebat. Hoc verò tametſi in Exodo non narretur, veroſimile tamen eſt, id per manus accepiſſe auctorem libri Sapi. qui *cap. 16. 18.* ita loquitur: *Quodam tempore, manſuetabatur ignis, ne comburerentur, quæ ad impios miſſa erant animalia: ſed vt ipſi videntes ſcirent, quoniam Dei iudicio patiuntur per-* V.

O *ſecu-*

ſecutionem. Quanquam id nonnulli haud inconuenienter de ignitis ſerpentibus *Num. 21.* exponant.

VI. Vixerunt ergo hæ beſtiæ, & illi homines in flammis integri, Deo protegente, cur non viuerent in æterno igne ad Stygem damnatæ Salamandræ, delicatuli illi fortunæ filij, Deo puniente? Viuent, ah viuent, in ipſa morte, & nunquam peribunt, vt poſſint ſemper perire. Quod ſi nolunt, aliam illis repeto artem. Apud Plin. *l. 29. c. 3. ouorum vis tanta eſt, vt lignum perfuſum ouo non ardeat, ac ne veſtis quidem contacta aduratur.* Quod ad certũ temporis ſpaciũ valet, nam humore illo deſiccato, ignis præualet. At qui ſanguine Chriſti ſe ſe per ſacramenta communit, æternùm ab igne ſecurus eſt. O inſanũ, qui non potiùs vult hac vnda perfundi, quàm iſta flamma vri! ah æternùm, æternùm! Quod ne fieret ſancta quædam Salamandra, religioſus ille, apud Thomam Cantipr. *l. 2. Apum c. 30. §. 45.* in ignem ſe coniecit, quò impudicam inuitauit inſidiatricem in Hiſpaniâ. Quis Salamandram non potiùs, quàm Dominicum vocaſſet? in prunis ardentibus iacens illæſus manſit. Quid mirum, quem cupidinis ignis non potuit lædere, nec rogus ille auſus eſt vrere; quem maluit intrare, quàm æternum, heu, heu, æternum, de quo nimis vere dicitur: VIVERE IN

IGNE


IGNE, MORI EST. Itaque ſicut Salamandram, in igne, non mori, mirabile; ita homines, in tali igne, viuere, miſerabile eſt.

Frigida vis quædam Salamandram, frigida virtus
Eſt, quæ damnatos viuere in igne facit.
Feruida ſi virtus igitur, tum frigidus ignis;
Frigida ſi virtus, ſeruidus ignis erit.

Ovum cœli, & hominis in cælum ſubuehendi ſymbolum.

EMBLEMA XCVIII.

OVA FER, VT POSSIS VENDERE, DIGNA FORO.



1. H*Ominem qui maximè laudare voluerunt, μικρόκοσμον, ſiue paruum mundum appellauerunt*, ait Putean. *orat. 20. ſed eiuſmodi ouum eſt, ac poſſis encomij compendio eundem hominem magnum ouum nuncupare. Nam ille vt mundo ſe parem, aut ſimilem reddat, hoc ſe dicit eſſe, quod ouum eſt. Ego penitus ſic exiſtimo, non aliam ob cauſſam cœleſti forma ouum creari, quàm quia ipſum cælum ouum eſt. E Deorum domo, qua nihil ſublimius eſt, ſimilitudo deriuatur; vt in fragili*

gili teſta diuini aliquid ineſſe credas. Ac ſanè cum nullum animal (quemadmodum obſeruare licet) gallina frequentiùs erigat caput, cælumq́; ſpectet, indicare ipſa manifeſtiſſimo videtur ſigno, vnde concipiat. Cælum videt, & cum non intelligit, implente negocium ſuum natura, fæcundo partu quotidie exprimit. Quod ſi nectare & ambroſia ſuauem & ſecuram Diuorum vitam expreſſerunt Poëtæ, ipſum quoque nectar & ambroſia *ouo* exprimitur. Nam *etſi omnes omnino cibi in damnum noxasq́; verti ſoleant, & veneno infici, tanto tamen sceleri ouum, aut omnino ſubductum, aut minùs obnoxium videatur. Quid enim? clauſum munitum, & velut obſignatum eſt, atque ipſum pro antidoto valet.*

In *ouo* igitur ambroſia, in ambroſia vita beata ſignificatur. Sed ſanctum quoque ſceleriſq; purum hominem exprimit, ac *mundo corde* præditum, dignumq́ue *qui Deum videat, Matt. 5.* Nam *ob ſolam munditiem cibis omnibus ouum præferas*, ait idem auctor: *vt ſuapte natura puriſſimum eſt, ita nec coquentium, nec contrectantium manu inquinatur. Fumo non inficitur, fuligine non amareſcit, cinere non conſpurcatur. Sordibus arcendis teſta à natura circumdata eſt; ſubit ignem, & ſuſtinet; aquam, & arcet; non dehiſcit, non rumpitur; cum vim patitur, totum propemodum in teſtam indureſcit. Alia obſonia, quàm varia immunditia* II.

nauſeam faſtidiumq́; pariunt? ab olla & lance vitium trahunt, ſaporq́; natiuus violatur. Quoties aut acres, aut inſipidi, aut crudi, aut aduſti? At ouum etiam ſine ſale ſapit, aut tua manu inſpergitur; ſine igni coctum eſt, ſi recens, & ſorbere placeat.

III. Hæc omnia homini cæleſti gloriâ digno fas eſt accommodare. Sed his omiſſis, quantam ſimilitudinem habet homo cum illo *ouo*, quod vnicum quotannis, ſeiugis equis, è ditiſſima villa, in curru, ad arcem quandam notiſſimam, in Sueuia ſitam, hominum multorum memoria, tributi loco, dicitur ſubuectum? cuius loco in arce dolium vini in currum imponi ſolitum è diuerſis, fideque digniſſimis viris audiui. Quanquam alij, de origine illius moris interrogati (inter quos etiam eſt, qui diu ibi Quæſtorem egerat) nullum talis conſuetudinis ſe veſtigium meminiſſe teſtentur. At facilè potuit cum more ipſo, in recentioribus miniſtris, memoria eius aboleri, quæ, vt fit, tenaciùs viuat in fama ceterorum. Quanquam, mea non intereſt, hiſtoriamné, an fabulam in emblema mihi ſuppeditet antiquitas.

IV. Omnes profectò mortales tributarij ſumus, nec tamen aliud à nobis exigit Deus, quàm nos ipſos, & animam noſtram, quæ eſt theſaurus Dei. *Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus 2. Cor. 4. 7.* vt *ouo* fragili ſimiles ſimus. Hunc the-

theſaurum, ſi cælo ſubuehamus, id experiemur, quod Sponſa, quæ dixit *Cant.* 2. 4. *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Ibi enim bibet nobiſcum *de genimine vitis*, *Matth.* 26. 29. Sponſus noſter, quando *inebriabimur ab vbertate domus illius* *Pſal.* 35. 9. Ibi à ſic ebrijs *per vicos ciuitatis Alleluia cantatur*: *Iob.* 13. 22. *Agnus enim, qui in medio throni eſt, reget, & ad vitæ fontes* (*Apoc.* 7. 17.) deductos *torrente voluptatis potabit. Pſal.* 35. 9. In hac vita cum dulce aliquid bibimus, aliquid de torrente libamus; ibi torrentem ipſum gaudiorum bibemus. Quare non tam in nos gaudiũ, quàm nos in gaudium intrabimus: vt bombyci ſimiles ſimus, volubili ſe nido, ſeu *ouo* potiùs inuoluenti, lanugine, aut telâ, vnguium carminatione in vellera, globoſitate ouali, tractâ; in quâ tutiſſimè conquieſcit; alioqui ſymbolum hominis reſurgentis. Plura Ariſtot. 5. *Hiſt. c.* 19. *Plin. l.* 11. *c.* 22. & 23. Ita ergo & Sancti, in gaudium, quaſi in nidum, aut *ouum*, aut cubiculum intrabunt. Hinc quando *Matth.* 25. 21. *qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum*: dixit *illi Dominus eius*: *Euge ſerue bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Quo pacto inuenti ſunt, nonnulli intemperan-

tes, qui ranæ inſtar, in vino natare, immo mergi & ſuffocari infeliciter voluerunt; ita feliciter Beati in gaudijs natabunt; ſed non niſi poſtquã *ouo* ſuo, velut talento, bene vſi fuerint, ac dona Dei verè & reipſa multiplicârint.

V. Ceteros malos, pigros, vltra Epimenidem, aut Endymionem dormientes, qui omnem virtutis laborem, ex oculi angulo duntaxat aſpiciunt; inertes inquam, atque *inutiles ſeruos*, ſpoliatos in tenebras exteriores eijci jubebit Dominus: nullam excuſationem pigritiæ admiſſurus. Sicut& inertem filium plexiſſe fertur homo villanus. Quem cum ex Academia redijſſet aliquando filius, magna pecunia, fruſtra & ſine fructu, dilapidata, interrogauit parens, ecquid tandem didiciſſet? Ibi promto reſponſo filius, è tribus, inquit, quinque facere. Quod cum patri placuiſſet, experimentum eius rei videre voluit. Reſpondit filius, breui fore occaſionem eius conſpiciendæ. Commodùm poſtea in menſam inferebantur *oua tria*. Ibi glorioſus Scholaſticus, hem, inquit, Pater, ex his tribus, *quinq;* tibi *oua* faciam. Tum profectò, ait Parens, magnus mihi Apollo eris, & noua veſte dignus. Ita ergo orditur filius: *Nuncquid*, Parens, *vbi tria, ibi etiam duo?* Annuenti, infert, *Hic ergo quinq; ſunt oua.* Siquidem, *Tria & duo faciunt quinq;: Hic ſunt tria & duo, Ergo quinque.* Ad tam bel-

lam

Digitized by Google

lam collectionem ſubridẽs Pater, Vt igitur vterquecœnet, ait, ego hæc *tria oua* comedam, tu duo reliqua cœnabis, quæ ſupputatione tua effeciſti. Ita incœnatus manſit, qui in Academia aliud nihil didicit, quàm *regulam pigri*.

Continget idem omnibus, qui vel dormiendo, vel ociando, ſedendoque ad *cœnam Agni* volunt peruenire. *Dico vobis*, ait *Luc. 14. 24. quòd nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam*. Et meritò, dignum eſt enim, vt *Si quis non vult operari, nec manducet*. *2. Theſſal. 3. 10*. Nuptias Agni adituro, *veſte nuptiali* opus eſt. *Matth. 22. 11*. Chriſtum à morte rediuiuum, tametſi ſe plurimis præbuerit conſpiciendum, negat tamen S. Auguſtin. *tract. 76. in Io.* ab vllo impio viſum: verba illius ſunt: *Suſcitatum Chriſtum nemo vidit impiorum*. Quanto eum minùs in cælo videbunt deſidioſi, & ex deſidia ſceleroſi? Laborandum eſt igitur in *oua* ad cœleſtem arcem, & diuinas epulas ſubuectando. Quod fiet, ſi illud non patiamur vel manu, vel fumo, vel cinere, vel vlla re inquinari, aut veneno infici, aut ferro frangi; ſed, cum gallina, ſæpe ad *ouo* ſimile cælum, vultus noſtros attollamus. Ita enim ideam concipiemus, vt *ouum* cœleſte ad cœlum afferamus: illo *ouo* feliciùs coronandi, quàm lactucas nos ſoleamus coronare, aut à priſcis ſecto *ouo* coronari ſolitum lacertum VI.

dixerit Martialis. Verùm quia neque crudum aliquid cœlo dignum eſt, *oui* inſtar, quod vel igni aſſatur, vel aquis elixatur, multis, *per ignem & aquam*, illuc eſt tranſeundum; ſicut per ignem tres pueri *Dan. 3.* & Nicomediæ viginti Chriſtianorū millia, in Chriſti natali, templo incluſa, atque à Diocletiano exuſta. *Niceph. l. 7. c. 6.* per aquam Iſraëlitæ, *Exod. 14.* per vtrumque innumerabiles alij ſancti tranſierunt, dicturi olim: *Tranſiuimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Pſal. 65. 42.* Ita *oua* igni & aquis cocta cælo inferri; aut cruda priuari merentur. Itaque

Dic mihi, quis poſthac precium non æſtimet oui?
Ipſa ouo poſſunt ſidera vendi, & emi.

Ova

Ova Paradiſiacæ auis Beatos ſignificantia, & parturientia.

EMBLEMA XCIX.

NVLLA EST FELICIOR ALES.



GVido Pancirollus in Nouorum reperto- I.
rum *lib.2.tit.1.* ſeu potiùs Henricus Salmuth, *in illius tituli commentario*, mentionem facit de rara, inuſitatæ formæ, ſed venuſtiſſima aue, quam Moluccarum incolæ *Monuco diata*, quaſi dicas *Auem Dei*, Luſitani *Paſſaros de Sol*, Græci *Apodem*; Latini *Auem Paradiſeam* vocant, vt & Germani, à teneritudine, & ad ſtuporem bellâ diffuſione plumarum; quæ, cometæ inſtar, à paruo capite, & à prima ceruicis vertebra, ac vel ab ipſo initio roſtri (quod ma-

magnitudine, & forma ſimile hirundini) incipiunt in longum molliſſimúmque, & ſemper latiorem cincinnum ita explicari, vt totum corpus, quod coturnicem mole vix æquat, pellucida lana, ac velut ralla veſte abſcondant, & auis aliud nihil, quàm plumarum colore luteo, puriſſimi auri modo ſplendentium, quà ceruiculam ſubtexunt; & quà mentum tegunt, mirificè viridantium pennarum faſciculus, aut ala quædam volitans eſſe videatur. Neque enim alis conſtat, cum tota illa vel lanea, vel plumea veſtis, ſit pro alâ.

11. De hac ergo *Dei, Solis*, & *Paradiſi aue* ille hæc habet. *Io. Hugo à Linſchoten, in Moluccæ inſulis, Aues has reperiri ſcribit; quas tamen nemo viuas viderit. Mortuæ enim duntaxat & exanimes ex alto decidunt, ac inuentæ apud iſtos populos in magna habentur veneratione. Aduerſus ſolem volant continuo in aëre, nullo terræ, dum viuunt, contactu. Apodes quippe ſunt, ſine alis, capite tantùm & corpore, verùm cauda maximè conſtantes. Quæ longiores pennæ in cauſa ſunt, vt mediocris putentur eſſe magnitudinis, cum corporis mole ſatis ſint paruæ. Quibuscum eleganter conuenit Io. Langij deſcriptio* (inquit *lib. 3. ep. Medicin.) aues albicantibus plumis inſignes, nuper ex nouis inſulis ad nos in Europam delatæ, Apodes: quæ cum pedibus careant, mutuo amplexu, roſtro repando, ſe ſe in aëre librant*

pen-

pendula; ſibiipſis incubant, defeſſa teneriorem arboris ſurculum amplectentes, oblongioribus caudæ pennis pendula quieſcunt. Harum duas, marem nempe & feminam Dn. Doctori Paludano ad ornatum Muſæi ipſius obtuliſſe ſe ait Linſchotanus. Nos videmus quotidie in magnatum pileis. Pergit, paulò poſt, Salmuth: *Conſtat ex maris dorſo fila gemina, nigra, cornuum inſtar, vtrinque in rectũ extenſa prodire: quorum vſum peritiores rerum naturalium eſſe exiſtimant, vt femina dum oua parit, in eodem dorſo cauitatem efformante, iſtis vinculis mari alligetur, atque ita in illo pullos excludat.* Cauſſino, infra citando auis hæc *terram viua nunquam tangit. Rore veſcitur. Nauim quantumuis celerem circumuolat.* Eius plumis, immo toto corpore *reguli Machometani pro criſtis vtuntur, ijsq́, ſe tutos in bellis, exiſtimant.*

Ab hac Aue ſymbolum deſumit Ioachim. Camerarius Ioachimi F. *Centuria 3. Emblem. 43.* in eos, qui, rebus terrenis fluxiſq́ue ſpretis, ad cœleſtia æternáque toto ſemper ſe animo conuertunt. Appoſitè ſanè. Nam huic aliti, per omnia, æquiparantur diuina ſpeculantes: ſed quia præcipua diuinorum contemplatio eſt, velut in altero orbe, in cœlo, inter beatos; illos ipſos veras *Dei* & *Paradiſi*, & *Solis aues* meritò vocaueris. nam plus quàm aquilino intuitu *aduerſus ſolem volant continuò*, dum non modò inſatiabi- III.

li aſpectu Chriſti, qui *in ſole poſuit tabernaculum ſuum Pſ. 18. 6.* clariſſimum atque glorioſiſſimũ corpus, ſed etiam Deum ipſum, *qui lucem inhabitat*, nobis nunc *inacceſſibilem. 1. Timoth. 6. 16.* inconniuente oculo, &, lapidis inſtar, immota mentis acie fixiſſime intuentur. Hæc illorum vita, hæc lætitia, hæc beatitudo eſt, rapi in illam diuinitatem; & illum ſolem iuſtitiæ, illum fontem lucis, illum ſplendorem gloriæ, ſine intermiſſione, contemplari. Si enim tanta in terris voluptas eſt, ſpectaculis intereſſe, quodnam maius ſpectaculum, aut ſublimius, aut pulchrius poteſt optari, quàm videre omnia videntem Deum? & habere omnia bona continentem bonitatem?

IV. Quare facilè eſt Diuis ſine terræ contactu viuere; & terrenas venuſtates contemnere, immo nec fieri poteſt, vt non contemnant nauſeentque ſummis illis gaudijs ſatiati. Proinde, licet & ipſi ſint corporis aliquando gloria veſtiendi, eáque pulcherrima, tamen toti plumei, & è ſpiritu, aláq; velut vnicæ mentis in Deum euolantis conſtare videbuntur. Neque pedibus etiam indigebunt ſuſtineri, totis membris agiles. In ſolis, non iam Moluccis, ſed *fortunatis*, floridiſque illis cœli *inſulis* reperiuntur: neque à nobis in his terris ſæpe conſpiciuntur, vt ad eos videndos & ipſi tendamus; & quaſi *apodes* terram

ram tangere deſinamus, atq; ita in *Paradiſi aues* mutemur, illis meditatione colligati, vt nobis *oua* ſua, deſideriáque imponant, è quibus aues *ſole*, *cælo*, *Paradiſo*, *Deo* dignæ excludantur. Non poteſt enim fieri, vt qui ſeriò cœleſtia, Diuorum imitatione, expendunt, terrena quærant, quæ ad cœlũ æſtimata, ſunt puncti inſtar.

Hinc S. Ignatij vox eſt: *Heu quàm ſordet terra, cum cælum aſpicio?* Nempè poſſunt & in terris eſſe, qui *aues Paradiſiacas*, ſi non felicitate, ſaltem virtute ac voluntate imitentur (ſed à longè, atque imperfectè) vt *oua* auem. Neque enim tam plenè poſſunt concupiſcere, quæ plenè nondum aſpiciunt, aut cognoſcunt. Quocirca interroganti ſorori ſuæ: *Quid tandem cæleſtis gloria eſſet?* reſpondit D. de Aquino Thomas (ut *in vita eius 7. Martij* refert Ribadeneira) *Antè, quàm tu ipſa illam merearis, à nemine, quæ ſit, intelliges.* Quod ipſum cecinit auis illa, in tertium cœlum rapta, quæ gaudium illud concepit, cuius vt deſideria in nobis, velut *oua* poneret, dixit *1. Cor. 2. 9. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* Quod ipſum quoq; cantauerat altera illa Paradiſi auis Iſaias *c. 46. A ſeculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus, abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.* V.

Præ-

VI. Præparauit locum, præparauit coronam, præparauit gloriam. De loco ait Baruch. *3.24. ô Iſraël, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius! Magnus eſt, & non habet finem: excelſus, & immenſus. Et erat ſtructura muri eius*, ait Io. *Apoc. 21. 2. ex lapide iaſpide*, &c. De corona & gloria, Auguſtin. *c. 21. Soliloq.* verba ſunt: *Si, mi Domine, pro hoc corpore ignobili, & corruptibili, tam magna & innumera beneficia præſtas, a cælo, & aëre, à terra, & mari, &c. qualia, quæſo, & quàm magna, & innumerabilia erunt illa bona, quæ præparaſti diligentibus te, in illa cœleſti patria, vbi te videbimus facie ad faciem? ſi tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio? ſi tanta ſolatia in hac die lachrymarum, quanta conferes in die nuptiarum?*

VII. Tales cogitationes Angeli, velut Paradiſiacæ aues hominibus ſanctis ingerunt, vt in eis velut item Paradiſo deſtinatis auibus *ouum*, hoc eſt ipſum cœlum excludant, pariantque deſiderijs pijs excitatis, & vanis procul relegatis. Qui enim futura diſcit æſtimare, nequaquam illud vſurpat: *In præſens oua, cras pullis ſunt meliora.* Et quanquam certa incertis, hoc eſt, præſentia oua futuris pullis, ſæpe in hac vita prudenter præferantur: nihil tamen ſtultius eſt, quàm vitam præſentem futuræ ante ferre. Qua de cauſſa rectè S. Hieronym. *ep. 22. Euſtochium* ſic alloquitur:

tur: *Quotieſcunque te vana ſeculi delectauerit ambitio: quoties in mundo aliquid videris glorioſum, ad Paradiſum mente tranſgredere: eſſe incipe, quod futura es;* nempe auis Paradiſi.

Nicolaus Cauſſinus *in Polyhiſtore lib. 6. Symb. 78.* Monocodiatam ſcribit, *in aëre, abſq; nido, abſq; arbore, abſq; ſaxo, aut altero fulcimento, nidificare, & oua parere in dorſo maris ſui comparis, ibique fouere, & excludere: nunquam vllo loco conſidere, ſemper in aëre ſubſiſtere*: aitque nonnullos putare, apud veteres, eſſe Rhynthacem, cuius Plutarchus meminit in Artoxerxe. Vbi ſic loquitur: *Naſcitur apud Perſas exigua auis, quæ omni caret excremento, habetq; omnia inteſtina adipe differta: vnde vento arbitrantur, & rore hoc animal viuere.* De quo verè dici poteſt: IIX.

Sæua nec humani patitur contagia mundi
Par volucer ſuperis.

Subijcit poſtea Cauſſinus, ex Geſneri tabula, de Paradiſea aue ſequens poëma, planè aue hac dignum, & in multas ſimilitudines aptum.

Vos ô, queis cælum domus eſt, quos fortior aura IX.
Numinis ardenti ſuſpendit in æthere niſu,
Heroës, pretioſæ animæ, mortale ſonantem
Si licet in veſtras muſam deducere laudes,
Huc ſpectate Apodem; vobis natura laborat,
Atq; opere in pulchro partem facit, hoc quoq; nomen
Indus alit, Phœbi Indus amor, cui prima Deorum

P *Mune-*

Digitized by Google

Munera, & Eoæ cuſtodia credita gazæ.
Nec verò tantùm unigenâ ſe Nilus alumno
Iactârit, licet ille ſibi poſt fata ſuperſtes,
Inter odoratas Arabum de meſſe fauillas;
Hauriat è buſto natali funere vitam.
Ac licet aut roſtro chelidon, aut mole coturnix
Par fuerit, tamen & pennarum ſyrmate longo
Creſcit in immodicum, quantus Iouis armiger ales
Titanum furias, ſæuumq́; Capanea letho
Fulminat, aut Phrygios Domino tranſuectat amores.
Principio enodes ceruix lentatur ad alas
Luteolas fuluo rutilat criſpata metallo,
Sic color in pretio eſt. infernè virentia currit
Cyaneum per menta decus, Thaumatida ceu cum
Roſcidus aduerſo percuſſit Delius aſtro.
Excurrunt alæ in caudam tenuiq́; receptum
Transmittunt ſub nube diem, nam fuſcus inerrat
Splendor, clementiq́; faces demitigat vmbrâ.
Diſcolor interea primo ſub tegmine pluma
Vellus agit, magnoq́; minor ſe lumine veſtit
Aſtriferum miſſura iubar, blattamq́;, crocumq́;,
Camporumq́; oculos, voſq́; alba liguſtra, tuaq́;
Obſcurat, Narciſſe, comas. iam vilior aura
Ceſton habet, vinciq́; dolet Cadmeia torquis.
Plus etiam ordo placet; natiuum circinat orbem
Neſcia curuari, tergoq́; immobilis hæret.
Iliacâ talem clypeum de cæde reportat,
Æacides, & adhuc iaculis pendentibus horret,

Qua-

Digitized by Google

Qualis cæruleos caudâ ſtellantis honores
Explicat aprico volucris Iunonia Soli.
Iamq́; ſuperſtitio Scythicis adiuncta tyrannis
Circum mille fremant acies, & ferreus imber
Pila rotet, ſperant humanis inuia telis.
Pectora, & haſtili certos de ſtrage triumphos,
Si criſtis aſſurgat Apus, galeamq́; coronet.
Nec minor eſt virtus: celeres præuertitur Euros
Aëra per liquidum: prono ratis æquore currat,
Læta laborantes impellant carbaſa venti,
Scilicet anteuolat puppes, & remige pennâ
Hoſpita venturo præſignat littora nautæ,
Tellurem preſſiſſe pudet, frondoſa ſub auris
Eligitur Dryas, hîc tectum paruiq́; penates.
Incumbit ramis, & caudâ prenſat obuncâ,
Obſequio fugiente pedum, cæloq́; propinquus,
Matutina bibit roranti ex æthere mella,
Relliquias diuûm: menſis cum Aurora remotis
Faſtidita legit, miſtamq́; vapore caduco
Ambroſiam, latè mortalibus impluit ægris.
Hinc illa aërij mellis cæleſtia dona
Et non imparili diſtenta nectare cannæ
Fortunatorum nemorum, quà primus in orbem
Circulus it, mediæ dirimens confinia lucis.
Si quando dulces ad vitæ lumina pullos
Eniti, fragiliq́; dedit committere cruſto
Caſta Venus, non furtiuo de ceſpite nidus,
Aut lutea aſſurgunt libantibus æquora pennis

Mœnia; compoſiti ſed mas ſinuamina dorſi
Subdit amans, viuaq; thorum de tergore plumâ
Et pater, & natale ſolum, facit: hic pia coniunx
Spemq; metumq; locat, curui tum fornice ventris
Incubat, & ſimili reddit ſe prole parentem.
Dicite terrarum Domini, quos matre cadentes,
Excipiunt Indo Bithyna cubilia dente,
Quis Cæſar cunis vnquam tam mollibus infans
Vagijt, aut Graiâ qui Porphyrogennitus aulâ
Sarrano meruit nomen ſuſceptus in oſtro?
Ne tamen incurrat violento flamine Corus,
Dilectasq; euertat opes, mas licia caudam
In gemina extendit, multoq; volumine circum
Implicat impoſitæ ſocialia membra maritæ.
Æole, ſi quis ineſt ventis fauor, Æole ſi qua
Ius habet in ſuperos pietas, ô parce quietos
Sollicitare thoros! Notus hæc vt pignora perdat
Crudelis? thalamo iungat ferale ſepulchrum
Atque animam teſtâ triplicem peſſundet in vna
Crudelis? prolem per amica ſilentia fingit
Alcyone, & mediâ vitam de morte reportat,
Et meruêre Apodes, Apodes meruêre necari?
Sed ventis loquor, vnde ſciant miſereſcere venti?
Ite feri, effractis, ruite, exundate, cauernis
Vna omnes, quatite horriſonis ſtridoribus alas,
Vos mea ridet Apus, veſtri ſecura furoris
Vincula nectit Amor, nodoq; arcanus honeſto
Copulat alituum par nobile, nobilis ales.

Ova

Digitized by Google

Ova metæ, meta cæleſtis gloriæ monimentum.

EMBLEMA C.

SIC CVRRITE, VT COMPREHENDATIS.



ONuphrius Panuinius Veronenſis *de Ludis Circenſ. lib. 1. pag. 33. Metarum*, ait, *locationẽ terminum ac mundi finẽ deſignari voluêre, ab eo, quòd aliquis emenſus finis ſit, ſiue vt ſimilitudinem Orientis, Occidentisq́, ſolis repræſentarent. Ita Iſidorus l. 18. Oua verò ſuper metas locata in Caſtoris Pollucisq́ honorem addita fuêre, quòd illos cygni ouo editos ex Ioue veteres ſcripſerunt; quibus etiam (vt dixi) primò à Mercurio equos diſtributos fuiſſe, docet Steſichorus. De ouis Tertullianus:* I.

Oua (inquit) honori Caſtoris & Pollucis adſcribunt, qui illos ouo editos credendo, de cygno Ioue non erubeſcunt. Et infra *pag. 34. & 35. Iuxta ſingulas metas Columellæ aliquot erant trabeculæ ſuſtinentes, quibus per ſingulas circuitiones agitatorum, à Circenſium miniſtris quibusdam ſingula oua, & delphini erigebantur, & omnia curricula ſeptem ouis* (ex vna parte) *& totidem* (ex altera parte, ſeu ad primã metam) *delphinis erectis* (ſeptem enim metas conficiebant, ſeptemque ſpacia decurrebant) *annotabantur. Caſſiodorus: Nec illud putetur irritum, quòd metarum circuitus ouorum erectionibus exprimatur, quoniam actus ipſe multis ſuperſtitionibus grauis, oui exemplo geniturum ſe artem aliquam profitetur, & ideò datur intelligi, volitantes atque inconſtantiſſimos inde mores naſci, & quos auium matribus aptauerunt.* Denique *Dio lib.* XLIX. *ſcribit, Agrippam, quum videret, errare homines in Circo, propter circuituum numerum, delphinos, & ouata opera poſuiſſe, quibus curſuum circuitiones, & conuerſiones extenderentur.* Plura de his ouis Varro. *l. 1. de re ruſt.* & Liui. *lib. 15.* E quibus luce meridiana clarius eſt, *oua* in circo poſita fuiſſe, ad notas curriculis numerandas.

11. Quid quod Circus ipſe, ſeu Hippodromus, Soli conſecratus *in oui lineam flexu aurigationem, vt toties ouum eſſet, quoties curreretur? Quin* Amphitheatrum quoque *tam ſpacio, ſiue arena, quàm*

quàm cuneata mole in oui formam circumſcriptum fuit. Ergo vbique *ouum*: & theatrum, & circus, & aurigationis linea, & meta, immo& ipſe homo cum complicatus in vtero ſedet, & pleraque in homine ſenſuum inſtrumenta, vt oculi, aures, os, lingua, ipſum caput, quod à vertice velut planiore faſtigio in mentũ acuitur, manus, vngues, cor, ventriculus, denique *nuces*, ait Putean. *Or. 2 o. glandes, pyra, pruna, corna, mora, & id genus, ouum referunt, aut imitantur: vt non fruſtra Empedocles arborum fructus oua appellàrit*. Folia quoque, & margaritæ Romanis elenchi dictæ, ob longitudinem faſtigiatam; & res infinitæ, ſiue in naturæ, ſiue in artium theſauris, *oui* figuram exhibent.

Quorſum hæc tot *oua*, aut *ouorum* vbique occurrentia ſimulachra? In hoc mundo, velut in Circo, aut Theatro verſamur. Quin *ſpectaculũ facti ſumus, mundo, & Angelis, & hominibus. 1. Cor. 4. 9.* Immo ijs, qui in ſtadio decurrunt, Apoſtolus ipſe nos comparauit. *1. Cor. 9. 24.* Quare, velut in Circo *oua* Caſtorum juxta metas, ita hæc vbique vel *oua*, vel *ouorum* ſimulachra ſtatuuntur, vt & ſciamus, notari omnes circuitiones noſtras, & finis atque metæ nuſquam non recordemur. Vehementiſſimus currenti ſtimulus eſt, brauij cupiditas, quæ aſſiduo eius aſpectu incenditur; neque ſuſtinet cunctationes, aut ad III.

plenilunium negotia differentes. Auidus ſimul cum aurora conſultat. Facilè amittit coronam lentus & procraſtinator. Quare & Paulus *1. Cor. 9. 24.* ait: *ſic currite, vt comprehendatis.* Atque, vt ad curſum faciat expeditos, addit: *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam:* eamque non vnicam tantùm, ſed multiplicem. Nam, ſicut quamlibet circuitionem agitatorum, *erectione oui*, notabant & numerabant Romani: ita omne opus bonum notat Deus, in cælo coronandum. Dicet enim: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare &c. Matth. 25.* Item: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores &c. Matth. 19.*

IV. Hæc *ouorum erectio*, & promiſſio præmiorum, quaſi acclamatio quædam eſt adhortantis, & dicentis: *Surge, propera. Cant. 2. 10. Si tibi vir grauis atque laudabilis*, ait S. Cyprian. *ep. 9. de mortalibus, aliquid polliceretur, haberes pollicenti fidem: nec te falli, aut decipi ab eo crederes, quem ſtare ſermonibus atque in actibus ſuis ſcires. Nunc Deus tecum loquitur, & tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus tibi de hoc mundo recedenti immortalitatem, atque æternitatem pollicetur, & dubitas? hoc eſt Deum omnino non noſſe.* Multos autem

du-

Digitized by Google

dubitare, aut fluctuare, claro indicio eſt, quòd in circo non properent, in theatro ſileant, in ſtadio conſiſtant, aut alienis ſoleis velint decurrere. Si enim palæſtritæ verbera, ſi vim luctatores, ſi inediam curſu certantes, ſi aurigantes agitationem & lapſum, ſi miles & tela, & ignes, ſi colonus pondus diei, & æſtum, ſi venator frigora, & pluuias, & grandines, ſi mercator ipſius maris ſexcenta pericula ſuſtinet; ſpe lucri, prædæ, meſſis, ſtipendij, brauij, præmij, aut coronæ; quis credat, vllum ceſſatorem verè credere, aut ſperare æternos honores, æternas opes, æterna regna? quę verè ſperata, vel plumbeo pectori alas eſſent additura.

Quamobrem meritò aliàs laudatus Thomas Morus, in carcere, ab Aloyſia vxore ad inconſtantiam ſollicitatus, vt vitæ huius bonis diutiùs frui poſſet, teſte Nicol. Sandero *lib. 1. de Schiſm. Angl.* eam interrogauit, quàm diu exiſtimaret, ea bona poſſe durare? Cúmque illa reſpondiſſet: Facilè, ſi Deo ita videretur, viginti adhuc annis illum bonis ſuis, & promiſſis honoribus frui poſſe; faceſſere eam juſſit, & ſtultam appellauit mercatricem, quæ id ageret, vt maritus ſuus viginti annorum breuitate æternitatem commutaret, ad quam, non viginti, ſed multa annorum millia nihili eſſent æſtimanda. Vitæ igitur curſum felici morte abſoluit, cum, ad V.

Digitized by Google

præmium currenti propoſitum, oculos adiecit; neque jam pyrum pyro, aut vuam poſt vuam ſuccedere; ſed per niues ac hyemes ad vernas amoenitates eundum eſſe cogitauit. Quod & Moyſes fecit. *Aſpiciebat enim in remunerationem. Heb. 11. 26.* Sicut & S. Capraſius, qui, vt eſt *apud Sur. 20. Octob.* viſa cæleſti corolla, quam capiti S. Fidei in medijs flammis incendijſq; exiſtenti Angelus imponebat, mirificos animos ſumſit ad martyrium ſubeundum. Quid quòd hæc res etiam ipſos Ethnicos, primùm ad religionem, deinde ad omnia extrema, pro religione, ferenda inflammauit? Ita enim Theophilus miſſis duntaxat à Dorothea floribus ac pomis, hyeme natis, de cælo coniecturam fecit, & martyrem martyr eſt ſecutus, quam antè ſarcaſmis ſequebatur ad mortem euntem. *Sur. 6. Feb.*

VI. Nec alia res magnum illum Chriſti heroem Adrianum cepit, & in tantum fortitudinis culmen produxit. Quippe cum 28. annos natus eſſet, necdum ſciuiſſet, quid nomen ſecum ferret Chriſtianum, vidit admirabilem Martyrum in crudeliſſimis ſupplicijs patientiam, conſtantiam, fortitudinem. Quam cum attonitus ſpectaret, non potuit omittere, quin interrogaret, Quid ſe tam atrocibus tormentis ſperarent conſecuturos? Cui cum illi reſpondiſſent: *Speramus bona illa, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit &c.* dixiſ-

Digitized by Google

dixiſſes de cælo tactum Adriani animum, ita repentè accenſus Chriſtianæ religionis amore flagrauit; neque verò cæleſtibus illis bonis inhians dubitavit & ipſe, pro Chriſti nomine eoſdem agones ſubire, atque acerbiſſimos, toto corpore in fruſta diſſecto, ſuſtinere cruciatus.

Et *nonne melius eſt*, ait S. Hieronym. *ep. 22. ad Euſtoch. breui tempore dimicare, ferre vallum, arma ſumere, laſſeſcere ſub lorica, & poſtea gaudere victorem; quàm impatientia vnius horæ ſeruire perpetuò? Nihil amantibus durum eſt; nullus difficilis cupienti labor eſt. Reſpice quanta Iacob pro Rachele pacta vxore ſuſtinuit.* Ac iterum. *Amemus & nos Chriſtum, eiusq; ſemper quæramus amplexus, & facile videbitur omne difficile: breuia putabimus vniuerſa, quæ longa ſunt: & iaculo illius vulnerati, per horarum momenta dicemus: Heu me! quia peregrinatio mea prolongata eſt à me. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam.* Et quando etiam Euripides dixit: *Ex felicibus nullum putate beatum ante metam*; neque ipſa quidem huius temporis felicitas ad beatitudinem eſt æſtimanda. VII.

Ad quam vt nos identidem extendamus, ijs, quæ retro ſunt, obliuioni traditis, nos Meta, Metæ *oua*; *ouorum* omnia admonent: immo & ipſa de *ouis* Somnia. *Somniauit ſeruus quidam*, ait Or. 20. Put. *ouum ſibi ab hero, ſed coctum tradi:* IIX.

quod

quod ille ſic accepit, vt nucleo vteretur, putamen abijceret. Quid factum? Prægnans hera erat, & mox filium enixa, è puerperio periit. Seruus igitur infanti nutricius datur, qui tum demum intellexit mulieris grauidæ imaginem eſſe, cocto maturitatem fœtus deſignari, maternum corpus vita deſtitutum pro putamine habitum. Hoc ſomnivm, apud ſeruos Dei, non eſt ſomnium. Hi carnem, prægnantis; Spiritum, filij inſtar, habent. Corpus illis pro putamine, anima pro nucleo eſt. Libenter igitur corpus in ſepulchrum abijciunt, dummodo cælo matura anima, per huius vitæ ſtadium feliciter delata, & inter tot pereuntes ſeruata, non talaribus Mercurij, non Pegaſi alis, non eſſedo Triptolemi, aut Cereris vehiculo; ſed ignea fidei, ſpei, & charitatis triga, velut Eliæ curru, ſurſum rapta euolet ad æternitatem.

F I N I S.

Omnia ad maiorem Creatoris, Redemtoris, Iuſtificatoris, & ſummi Iudicis gloriam.

Digitized by Google

INDEX RERVM ET VERBORVM.

Prior numerus Emblema, poſterior numerum marginalem Emblematis ſignificat.

ABbreuiatum Verbum diuinũ, in quantum? 14. 7.
Abrahæ hoſpitalitas. 24. 5. obedientia. 17. 3.
Abſcondere oua, & alia quædam, quàm utile? 35. 1. & 36. 1.
Abſolutionis Sacramentalis, quantum beneficium? 53. 3.
Abſtemius, qua arte fiat? cur noctuinum ouum dicatur? & an ſit ſemper laudabilis? 86. 1.
Abſtinentia quid? & quibus neceſſaria? 76. 2. ſeqq.
Acedia quid? 91. 5. unde? ib. quas filias habeat? ib. n. 6.
Acedioſi quàm à ſpiritualibus diuerſi? 91. 3.
Aceto macerata oua eunt per annulum. 17. 1.
Achan ſua fraude perijt. 71. 6.
Acies ouali figura conſtructa, à quo? 55. 7.
Actus charitatis unde? 24. 2. erga proximum. 23. 3.
Adam ſeductus. 7. 1. exemplum diuinæ juſtitiæ ib. n. 2. eius pœnitentia quàm diuturna? ib. 8. pullus Pelicani 16. 4.
Admeti quis paſtor? 15. 1.
Adoptio diuina hominis, in quo conſiſtat? 22. 2. & ſeqq.
S. Adrianus ſpe pro cœlo patientium martyrum conuerſus, & martyr factus. 100. 6.
Adulterare, quàm damnoſum? 84. 3. Verbum Dei qui adulterent? 78. 4. unde dictum? 84. 2.
Adamas Hebræis lapides ſecat, polítque. 41. 3.
S. Ægidius Deiparæ virginitatem lilijs miraculoſis demonſtrat. 13. 6.
Ægrorum longa & mira patientia. 33. 4. doctrina. 51. 2.
Ægyptij quomodo pullos gallináſq; multiplicent? 32. 1,
Æquitas ad quid utilis? 28. 2.
Æſtate, quæ, & quando non pariant aues? 24. 1. ambulaturis oua proſunt, ad pedes conſeruandos. 45. 7.
Ætas tenera diſciplinis apta. 42. 2.
Æternitas, quid? 13. 2. ſolius Dei. ib. vitæ per fidem acquiritur. 14. 4. ſupplicij in igne durantium corporum. 97. 4. in redemptis quomodo compenſetur? 18. 6.
Æthiopis & ſenis fabula. 81. 2.
Aëtites lapis quam vim habeat? 28. 1. prodeſt parturientibus. ib. 2. quis eius color? & magnitudo? ib.
Agatho quantus ſilẽtij amator? 37. 6

Agnus

Agnus ex ouo. 14. 1.
Animam eſſe corpoream, dixit Tertullian. à femina ſeductus. 77. 3.
Alacritas ſpiritus acediæ oppoſita. 91. 5.
Alapa manui fœtorem reliquit. 61. 7.
Album oui, an tranſeat in pullum? 44. 1. ad auram dureſcit. 85. 5.
Alcyonis nidus mirabilis ſtructuræ. 19. 1. quàm immanis? 89. 4.
Alienus nidus, de adulteris. 84. 1.
Alexander rex, quos timuerit? 69. 2.
Alliſum ouum ſtat. 11. 1.
Alphonſi II. in coniugio virginitas. 30. 6. regis in præſtigiatores odium. 57. 6. liberalitas. 38. 4. cultus erga Euchariſtiam. 47. 6. ſymbolum muſtela. 30. 5.
Alta petere noxium. 79. 3.
S. Ambroſius fugit felicem. 95. 3.
Ambulantes in igne. 97. 5. æſtate ouis adiuti. 45. 7.
Americi ouis cur non veſcantur? 29. 4. gallinas habent ſponte adducẽtes pullationem. 42. 1.
Amethyſti contra ebrietatem, & virus vis. 28. 2.
Amici tardè, vel omnino non ſuccurrentes. 46. 1.
Amida patrem excæcat 60. 5.
Amor Caſtoris & Pollucis. 18. 2. Chriſti erga nos ib. 4. ſui & Dei quomodo pugnent? 26. 4.
Ananiæ fraus punita. 71. 6. hypocriſis. 81. 5.
Anaxagoras dixit ſe cœli inſpiciendi cauſſa natum. 1. 8.
Angelus nares obſtruit coram peccatore. 61. 4 adeſt baptizato. 44. 5. eſt divinæ juſtitiæ exemplum. 7. 8. cur tam citò in malum mutatus? 56. 3. Lutheri & Zvvinglij, & Philumenæ qualis fuerit? 66. 4. quis ſit terrenus? 30. 4.
Anguillæ è putredine. 66. 1.
Anguinum ovum magicum quale? 57. 1.
Anguſta porta. 17. 2.
Animæ turba, ob peccatum. 19. 4. immortalitatem non credens punitur. 92. 2.
Annulus ovo tranſitur. 17. 1. obedientiæ ſymbolum. ib. 2.
S. Anſelmus quàm horruerit peccatum? 61. 5.
Anſerum conatus & ſtultitia in ovis pariendis. 70. 1.
Antipelargia quid? 68. 1.
Antonini in ovo omen. 67. 3.
S. Antonius præſentia Dei recreatus. 3. 9. quantum hæreticos oderit? 34. 6. M. Antonius in tenebris vidit: 4. 7.
Aperiendi ova multiplex modus. 40. 1. in eo quoties erretur. 41. 1.
Apes virgines pariunt. 30. 1. à meropibus capiuntur. 37. 1.
Apij folia contra blattas utilia. 37. 1
Apollinaris hæretici libros quomodò tractârit Ephræm? 64. 8.
Apoſtoli cur ſal dicti? 27. 5. quo modo vitarint hæreticos? 34. 6.
Aqua iam olim benedici ſolita. 52. 2. luſtralis ſanat mirè voracem feminam. 87. 3. regno toto emitur in hauſtum. à Lyſimacho, 87. 3. rerũ & Irys principium. 1. 6. punit peccantes. 7. 8. probat ova. 79. 1. ſignificat impietatem. 77. 1. non madefecit chartam. ib. 1.
Aquilæ & ſcarabæi fabula. 69. 1. odiũ in ſerpentes. 28. 2. pennæ columbinis noxiæ. 83. 4. eius nidus, lapis, juſtitiæ ſymbolum. 28. 1.

Aqui-

Digitized by Google

Aquileæ capiendæ indicium facit ciconia. 34. 2.
Aranea, quid hominem docuerit? 41. 8. eius tela miraculo deiecta hæreſin damnat 14.5.
Arator ſtultus cum velo. 70. 4.
Arbores hyeme florentes. 24. 1. alio ſucco, & loco pereunt. 65. 4.
Archilochi laſciua ſcripta damnata. 34. 6.
Arcus peccatorum. 59. 4.
Argi oculi, Dei videntis ſymbolum. 2. 10.
Ariolandi ars vetita. 59. 5.
Artes à beſtijs acceptæ. 41. 8. malæ bonis rebus palliatæ. 63. 2. filo incombuſto coquendi ova prunis. 96. 3. coquendi ova ſine igne. 26. 1
Arſenij ſilentium. 37. 6.
Arundineus baculus ſpes vana. 67. 4.
Aſpectu feminæ incenſus Guido, fœtore mortui ſanatus. 93. 6.
Aſpis in ſola Africa naſcitur. 64. 8. an regulum pariat? 85. 1. ova parit non fouenda. 63. 2. ea ova quid ſignificent? 64. 5.
Aſſumptionis B. V. pervigilio ſanatur adoleſcens. 73. 3. feſto occiditur baſiliſcus à S. Leone. 85. 4.
Aſtrologiæ vanitas in prædictionibus. 60. 2. fructus in Muleaſſe. ib. 3
Aſtutia quid, & quotuplex? 71. 4. quædam etiam bona. ib. exempla ib. 5. & ſeqq.
Athenagoras Orphei refutator. 1. 6.
Attritio de peccatis, quando valeat? 49. 5.
Auari nec ſe, nec jumenta ſatiant. 82. 3. & ſeq. montes aureos habent inacceſſos. 83. 3. porco ſimiles. 83. 7. petaces, cupidi inſatiabiles. 73. 1.
Auaritiæ definitio. 82. 3. damna. ib. 7. filiæ ſeptem. ib. 6. fœditas. 83. 5.
Auditum perdit in parentes impius. 73. 3. recipit per B. V. ib.
Auguriorum vanitas 60. 2. uſus & reprehenſio in grauida ovum excludente 62. 1.
Auiditas anſerum quàm pernicioſa? 70. 1.
Auis, an ovum prius? 2. 1. quale ſidus? 15. 6. pro gallina ib. pro Chriſto. ib. n. 2. & 12. 3. non parit filios, ſed ſpem filiorum. 21. 5. ſua ova, quæ fouere nolit? 65. 1. Magiſtra hominis. 41. 2. ſeq.
Aurum in igne lucidius. 32. 3. urit iniquè adipiſcentem. 83. 6.
Aureum ovum gallinæ. 82. 1. diaboli. ib 2.
Aſylum hominum & beſtiarum S. Beanus. 83. 1.
Azyma torta, quomodo olim diſtributa? 52. 2.

BAbylonij fundâ coquunt ova. 26. 1.
Bacchanalibus celebrandis ova ſeruiunt. 59. 1. ſeqq.
Balæna an ex ovo naſcatur? 66. 1.
Balſami prodigioſus fructus. 14. 1.
Balthaſari mago quodnam de Chriſto oſtentum oblatum? 14. 1.
Baneo magnus homo, parvus mundus in magnum verſus, cui? 1. 5.
Baptiſmi ſymbolum natus & renatus ex ovo pullus. 44. 2. effectus, ib. 3. ſeq. delet omnia peccata. ib. deſiderium. 43. 4. vis. ib. 2. ſeq. eius ritibus fugatur dæmon, & Spiritus ſanctus infunditur. 10. 7. nequit iterari. 45. 5.
Baptizatis cur mel, & lac, & Euchariſtia

Digitized by Google

riſtia olim data? 44.3.
Baſiliſci vis 85.2. origo an ſit ovum galli! ib. 3. hoſtis muſtela. ib 2. occiſi à S Leone hiſtoria. 85.4. ſimilitudo cum vana gloria. 78. 6. ſimilitudo cum inuidia. 85.5.
Baſiliſſa coniux & virgo. 30. 6.
Baſſianus ovum frangens, fratrem occiſurus prædicitur. 67.3.
S. Beanus fuit aſylum auium & ovorum. 83.1.
Beati Paradiſeæ avi ſimiles. 99. 3. item bombyci. 98. 4. tanquam in terris politi, in cœlis nihil patientur. 41.1.
Bella ſunt diuinæ iuſtitiæ effectus. 7. 8.
Benedictiones variarum rerum, quibus feſtis ſoleant fieri? 52.1. an licitæ ib. quàm antiquæ? ib. 2. impediunt nocumenta. ib. 4.
Benedictus Papa, quem, & cur ad ordinis ſacramentum non admiſerit? 53. 6.
Beneficium indicat gallina gracillans. 33.2. quale debeat eſſe? 38.6
Berchtolſgadienſe ovum quale! 91.2
Berta ſoror Caroli Magni, coniux & virgo. 30.6.
Beſtiæ quàm multis in rebus hominem excellant? 79. 7.
Bis naſci, quę ex ovis naſcuntur. 44.1
Bicordes veſpertilioni pares. 56.7.
Blaſphemi punitio. 46 11. & 96. 4.
Blattæ nocent ouis, & arte arcentur. 37. 1.
Bobadillæ de fracto vitro dictũ. 74.5
Boleſlaus rex in conjugio virgo. 30. 6
Bombyx ſuo ſe vellere, velut ouo inuoluens beatæ quietis ſymbolum. 98. 4.
Bona bonis creata. 6. 4. communia priuatis anteponenda. 74.2.
Braſidæ dictum de paruis hoſtibus. 69. 2.
Buſo garruli ſymbolum. 37. 5. punit filium cibos patri negantem. 73.4

CAcus Chriſtianus Dei præſentia conuerſus. 3.10.
Cadauer quando, & cur natet? 79.1.
Caducei origo, & forma. 57.1.
Cæcus qui potuit colores diſcernere. 45.6. mente qui fiat? 84. 5.
Cæleſtis regni ſuma excellentia. 99.5
Cæſar auſpicia contemnens felix. 60. 2. augurio deceptus. 62. 1.
Cairi fornaces ovis excludendis, quo modo ſtruantur? 32. 1.
Calculi remedium ab ovo. 49.1.
Calendariorum, circa prædictiones, mendacia. 62.4.
Caligula, natrix & Phaëthon dictus. 68. 4.
Calor ovis quantum proſit! 24. 1. temperatur ab aquila lapide. 28.1
Caluaria hominis in cœlum mutata. cui? 1. 3.
Caluus ovum appellatus. 81.5.
Caminus tribulationis, quàm utilis? 32. 3.
Cammarus piſcis ovo capitur. 9.1.
Canes magiſtri ſæpe morum. 41.9.
Capilli in gramina verſi, cui? 1. 3.
S. Capraſius corona cœleſti excitatus. 100. 5.
Capti Ludouici Bavari mira conſtantia. 74.3.
Cardinalis virtus quæ? 31. 5.
Caro in terram mutata, cui? 1.3. abluitur in baptiſmo, ut anima ſanctificetur. 44.3. diu non fuit inter cibos humanos. 29.2.
S. Caſimirus maluit vitam, quàm virgi-

Digitized by Google

virginitatem perdere. 30. 5.
S. Caſſianus à diſcipulis graphijs confoſſus. 72.3.
Caſſitæ fabula. 46. 1.
Caſtitatis fœcunditas. 30.2. utilitas ib. tres ſpecies ib.3.
Caſtorum origo. 18.2. ova in circo quid? 100.1.
Cataclyſmus diuinæ iuſtitiæ exemplum. 7.8.
S. Catharina Senenſ. impios fœtore noſcit. 61.3. eleemoſynam dat miraculosè conſeruatis ovis.38. 1. præſentia Dei excitatur. 3. 9. crucem argenteam, quam pauperi dedit, videt à Chriſto geſtari, & in diem iudicij ſeruari. 25.7. Viuit ſolâ Euchariſtia. 46. 4.
S. Catharina Martyr nondum baptizata Chriſtum auerſum videt 43. 4. poſtea Chriſto deſponſatur. ib.
Catharſij ovum. 49. 1.
Catechesin pueros quanti docuerint? 49.7.
Catonis reſponſum ſuperſtitioſo datum. 62. 3.
Cautos quæ faciant? 75. 4.
Centrum creaturarum Deus. 5.3. ſeqq.
Cerasi nucleus in qualum factus. 16.10.
Cereuiſiâ benedictâ conuertuntur milites. 52. 5.
Certamen ovorum proijciendorũ. 10.1. colligendorum 93.1.
Character effectus ſacramenti.45. 5. facit ut ſacramentum iterari nequeat. ib.
Charitas Dei & proximi, quid? 24. 4. eſt donum internum, ib. quo modo nos filios Dei faciat? 22. 4. quo modo producat charitatem? 26.3. eius excitandæ modi. 26. 2. augetur etiam ſacramento Confirmationis. 45. 4. panem ſignificat. 21. 4. Paulini & Sanctoli pro alijs ſe ſe offerentium. 18.7.
Charta quo modo ſub aqua non madefiat? 77. 1.
Cherinthum hæreticum fugit S. Ioannes. 34. 6.
Chilonis de beneficijs doctrina. 38. 7.
Chriſtophori Columbi ars ova erigendi. 11.1.
Chriſtus ovum. 12. 1.& 48.3. auis 12. 4. omnia pro nobis factus 15.1. gallina. 22.1. matri ſimilis ib. Pelicanus ſolitudinis 16. 7. Alcyon. 19.3. quiſcula. 36.4. duplicem habet naturam. 14.2. fide divina credēdus. 20.4. quantum pro nobis laborarit? 15. 3. cur coram Herode tacuerit? 37. 5. reſurgens à nullo impio eſt viſus. 98. 6. etiam nunc interpellat pro nobis quomodo? 17.5. obedientia ſua quid ſibi, quid nobis meruerit? 17. 3. quo modo incipiat eſſe in Euchariſtia? 53. 2. habitu pauperis conuertit eum à quo ſuſcipitur abigeum, habens oculos ettiam in occipite. 3.10. extremã unctionem S. Ludvvinæ confert. 51. 7. exaltatus quoties? 20. 8.
Chriſtiani primi frequentes in Euchariſtia ſumenda. 46.5.
Chroni facies & figura. 1. 6.
Cibi utendi modus. 76. 2. vilioris

utilitas.29. 1. delicatioris catalogus.29.8.ſpecies eſt ovum.48. 2. iuſta prohibitio & abſtinētiâ. 29.5. conſecratio & benedictio ſancta,& antiqua,& licita. 52.1.
Cicada ſine lingua canit.37.4.laudatur, vituperatur. ib. garrulos ſignificat.ib. ab hirundine capitur. ib.
Ciconia magiſtra vitæ.41.9.in parentes grata. 68.1.in ova ſua vigilans.23. 1. excomunicati domum vitat.34.8. nidum migrat præſaga urbis capiendæ. ib.2.
Cimicibus ſimiles hæretici.64.8.
Cinis ovorum utilis.18. 8. utilis & ovis. 50. 1. & hominibus, quia pœnitentiæ ſignum & inſtrumentum. ib.2. (20.2.
Cinzones, quàm mirabiles aues!
CirciRomani rit⁹ & ornat⁹.100.1.
Circino quo modo ovalis figura deſcribatur? 8.6.
Circulus in ovalem figuram quomodo tranſeat? 89.7.
Circumſpectio pars prudentiæ, quid? 27.3.
Ciſſi à devorato ſerpentis ovo periculum & medicina. 64. 6.
Citò aucta,parum durare.66.1.
Ciuilis ſocietas à quibus beſtijs ametur? 41. 9.
Clamor gallinæ parturientis.33.1. Chriſti expirantis. ib. 3. Dei ad homines.15.4.
Claudij Imp. mors ſæpe falsò antedicta. 62.4.
Clavus ferreus ſuperſtitiosè contra tonitru. 88. 1. (2.
Clytemneſtræ & Caſtoris ort⁹. 18.
Cneph Deus Ægyptiorū quo modo pictus? 1. 7.
Cocincinæ regio quàm præſtantes nidos habeat? 47. 1.
Cocta ova faciliùs rotantur.94. 1. quomodo dignoſcantur? ib.
Cocus ova odore diſtinguens.61. 1. Acheronticus. 96.4. & alius Stygius. ib.5.
Coccyx quàm naturam habeat? (84.1.
Cœlo ſimile ovū.98.4.
Cœnaculum ovum.89.3.
Cógitatio libidinoſa fœtore prodita.61.3.
S. Coleta quàm diu ægrotarit? 33. 4.cultrix Euchariſtiæ.47.6.
Colloquia hęreticorū vitāda.64.3
Color ovi. 56. 4. ex ovo. 81. 1. à cæco iudicatur.45.6.
Columba fabuloſa nati Chriſti nuncia.14.1. (2.
Comeſſator repentè mortuus. 92.
Communicatio idiomatū Chriſti. 14.3. Euchariſtica quoties iteranda?46.5. ſaltē ſpiritualis. ib.
Cōmparare virtu em cum virtute utile.79.7.
Commutativa iuſtitia quid? 28.5.
Cōndimentum præſtantiſſimum ciborum è nido.47.1.
Confeſſio quid? 49. 5. quando ſacramentū? ib. unicum remediū ad pacem animo reducendam. 19.10. omiſſa fit damnationis cauſſa.49.8.
Cōfirmationis ſacramētū ad quid utile? 45.2.eius ſymbolū. ib. 1. vis & effectus quatuor. ib.5. cur nequeat iterari? ib.impedit magiam.ib.6.item idololatriā.ib.6
Conie ctoris de ovo ſomniato reſponſum.73.1.
Coniugū officiū.54.2.ſuſpiciones. 58.8.miſeriæ.90.1. dona prohibita.71.5. virginitas.30.6.
Conſcientiæ bonæ teſtimonium. 45.5. malæ ſtimulus & tempeſtas ingens.19.5. Con-

Digitized by Google

Conſecratio eſculentorum quàm antiqua,& laudabilis? 52.2.
Conſiliũ de quo? 27.4.neceſſariũ. 70.3.malũ, ovum aſpidis. 64.1. cõſultori peſſimũ quando?70.7.
Conſtantia neceſſaria. 70.5. ab avis exemplo hauſta.41.7.
Contra aquam natat ovum anguinum. 57.1.
Contritio quid? 49.5.eius motiva. ib.8.exemplis illuſtrata.50.5.
Converſio magiſtri, ob diſcipuli apparitionẽ. 72.5. mirifica peccatoris confiteri nolentis. 19.5. quo modo incipiat? 20.4. quo modo progrediatur? ib.5.
Conviviũ è meris ovis.96. à Chriſto quàm non è precioſis ferculis præparatũ.29.7. aliud tamen in Euchariſtia, quod ſuperat omne precium. 47.2.
Convoluti ſerpentes contra lites ſuperſtitioſè. 57. 1.
Cor hominis res eſt maxima, & minima.14.7.
Corax malus magiſter. 72 3.
Cornelia Gracchorum mater in filijs gloriata.42.2.
Cornicem incubantẽ mas paſcit 54. 1.
Corona S.Fidei impoſita incendit S.Capraſium. 100.5.
Corpus Chriſti à morbis & putredine immune.13.4.noſtro corpori in Euchariſtia ſuas dotes communicat.47.4.
Corruptio naturæ qualis? 8.10.
Cortex ovi quo modo molleſcat? 17.1.& 89.1. quo modo iterum dureſcat! ib.
Corui hyeme parientes.24.1. Paulum eremitam paſcentes. 29.7. mala ova gignunt. 72.3. eorum ova nigros faciunt pilos. 81. 1.
Coquendi ova modi varij.96.1.ſine igne.26.1.ſuper candela. 80. 1. etiam homines damnandos vel damnatos.96.4.
Craſſus augurio deceptus.62.1.
CreatioMũdi in ovo intellecta.1.2
Creatura minima, ut maxima,Deũ laudat.2.6.prædicat. 1. 8. ordinatur intrinſecè ad Deum. 5.4. homines erudit. 4.4. in muſcipulam facta.9.4.
Credendas res tam altas cur Deus proponat? 20.3.
Crimina ovo purgata ſuperſtitioſè 49.1
Crinium ornatus punitur.54.4.
Crocodilus prouidè ova locat.4.1.
Cruda ova difficulter rotãtur.94.1
CruxChriſti baculus,quo nitendũ. 20.7. apprehendenda & ferenda.33.3. benedictionibus rectè adhibetur.52.1. in elemoſynam data quantam promiſſionem habuerit? 25.7.
Cuculus canens à ſuperſtitioſis nõ impunè obſervatur. 62. 5. alieno nido ova imponens adulterium repræſentat. 84.2.
Culices veſpertilionum cibi.56. 3.
Cupiditas cupidis ipſis nocet. 82. 1. ſeqq.
Curioſitas magiæ cauſſa.57.1.
Curſus humanæ vitæ. 93.2. & 10. 4. ſeqq.
Cygnus cur in cœlo? 15.6.eſt gallina.ib.ob intemperantiam Indis in odio.76.1. perdit propria ova.ib.
Cylindri figura facit ut circino deſcribatur ovalis figura. 8. 6.
Cynoſura quæ ſit ovis? 5. 1. quæ homini? ib.8.
S. Cyprianus quantam vim baptiſmi ſit expertus? 43. 3.

Digitized by Google

DAma morum magiſtra. 41.6.
Damnatus avo apparens. 61. 6. deformi facie de filia conquerens. 42,6.
Danieli quale conuiuium Deus apparârit? 29. 2.
Dauid Scotorum rex naſcens prodigio inſignis. 24. 1. inſignis item cultu SS. Euchariſtiæ. 47.6
Decipere alium volens, ſe decipit. 71. 1.
Decumanum ovum quid? 89. 2.
Defoſſa ova ſtruthionis maturantur. 35.1.
Degeneres pulli gallinarum anates. 15.3.
Delphina uxor & Virgo. 30. 6.
Delphinus non naſcitur ex ovo. 66. 1.
Deludere ovo hiantem. 60.1.
Democritus omnia fortuitò eſſe docuit. 4.7.
Denariolo inſcriptum ſymbolum Apoſtolorum. 16. 10.
Dentifricium ex ovo. 81.1.
Deus principium & finis omniũ. 5.3. ovo comparatur 1.9. ex ovo cognoſci poteſt. ib. 8. Et 2. 4. omnia videt 3.2. omnia opera noſtra obſeruat. 100.3. æternus & incommutabilis 13. 2. cui proinde nihil preferendum. ib. 5. cur nos redemerit homo factus? 11.3. à Diagora negatus 4.7. Auis Dei quæ, & ubi? 90.1.
Deos vanos eſſe. 15.4. vocarunt olim rerum magnarum patratores. 57.3. quid nos dijs ſimiles faciat? 38. 3.
Dextera manus, quàm fortis, ob caſtitatem? 30.4.
Diabolus eſt veſpertilio. 56. 2. Hebræis avis vocatur. ib. 7. cur tam citò ſeduxerit ſuos Angelos? ib. 6. perdix. 15.5. eſt agyrta. 60.2. & 63. 2. ovo decipere vult aureo. 82.2. ſe in Angelum lucis transfigurat. ib. docet idololatriam, & artes ariolandi, incantandi. 59.5. inuadit indignè ſuſcipientem ordines. 53. 6. & ignoſcere nolentem. 89. 6. & ſuperbos. 77. 5. ſeq. & bibacem religioſum 52. 5. & monialem lactuca veſcentem cruce nõ facta. ib. occidit potantes. 87. 6. queritur ſe malitiam ab hominibus diſcere. 80.1. fugatur baptiſmo. 10. 7.
Diagoras negauit eſſe Deum. 4.7.
Dies Alcyonius quis? 19. 2. iudicij extremi quàm metuendus? 94. 4. eius memoria quàm ſalutaris? ib. 5.
Dignoſcendi ova varij modi. 94. 1. & 95. 1. ſeq.
Dilatio pœnæ metuenda. 4.6.
Dilectio Dei & proximi, quàm cohæreant? 23. 3.
Diluvium divinæ iuſtitiæ exemplum. 7.8.
Diſciplina neceſſaria. 39.2. ſternit viam virtuti. ib. 5.
Diſcipuli ovis pares. 39.2.
Diſcordes ciconia vitat, & ſanat. 34. 8.
Diſcretionis utilitas & neceſſitas. 27. 2. & 70. 2. ſeqq.
Diſtributiua iuſtitia quid? 28.5.
Diverſitas morum 40.7.
Divinatio de futuro marito, per ova. 62.6.
Divini dicti incantatores. 57. 4.

Digitized by Google

decepti promiſſa divinitate.ib.2
Danai filiæ quàm immites ? 90. 7.
Docilitas pars prudentiæ quid ſit? 27. 3.
Docti cicadis ſimiles. 37. 3.
Doctor Pariſienſis detectus 95. 3. nouus ſuſpectus 66. 4:
Dolio magno ovum par.89.4.
Dolores oculorum ovis mitigantur.51.1.
Dolus quid ? 71. 5. à fraude quo modo differat ? ib.
Domus ex ovo. 89.3.
Donatio quando in fraudem legis ? 71. 5.
Doſitheus præſentia Dei animatus. 3.9.
Draco monſtroſus. 1.6. infeſtat aquilam. 28. 2. punit, clam violantem ieiunium.80. 2.
Druidarum mirabilis in ovo anguino magia. 57. 1.
Dubioſa lis Euathli. 72. 1.
Duobus dominis non ſerviendum. 63. 5.
Duriſſimum quo modo ovum? 31. 1. & 67. 1. & 89. 1.
Duplici corde quàm monſtroſi ! 95.3.

EBrius quanta mala perpetrarit? 87. 7.
Eccleſiæ eſſe, de ſenſu S. ſcripturæ iudicare. 64. 7.
S. Edita regina in coniugio Virgo. 30. 6.
S. Edmundus quantum à peccato abhorruerit ? 61. 5.
S. Eduardus III. rex in coniugio Virgo. 30. 6.
Eleemoſynæ parentes, effectus, privilegia 25. 1. ſeq. per fraudem petitæ pœnæ. 81. 6.
Elementa alijs aliter in ovo conſiderata. 1. 1. in pœnam homini facta. 9. 3.
Eliam quàm non delicatè Deus pauerit ? 29. 2.
Eleuare omnia diuina impij ſolent. 77.1.
S. Elzearius coniux & Virgo.30.6.
ἑφθὰ ova quæ ! 96. 1.
S.Ephræm divinæ providentiæ exemplum. 4. 6. impudicam conuertit divinæ præſentiæ admonitione.3. 8. ſacerdotium fugit. 53. 7. librum hæreticum conglutinat. 64. 8.
Epicurus omnia fortuitò fieri voluit. 4. 7.
Epiphoræ quo modo curentur ? 51. 1.
Epiphanius eleemoſynam dat decipienti, ſed punito vitam negat. 81. 6.
Epomis horrenda damnati Magiſtri. 72. 5.
Equus à ſtulto fame occiſus deploratur. 82. 4.
Erectio ovi, ut ſtet. 11. 1. ſeq. mundi. ib.3.
Eremitæ vana ſpes. 67.3.
Errores quot in ovo aperiendo committantur ? 40. 1.
Eſau quę primogenita vendiderit ? 83.7. eſt typus reproborũ.ib.8.
Euangelium S. Ioannis denariolo inſcriptum.16. 10. ægrotis impoſitum 63. 5.
Eubulia quid. 27. 4.
Euathli hiſtoria. 72. 1.
Euchariſtiæ conſecratio Chriſtum facit præſentem. 53. 2. ſymbolum eſt ovum 48.3. una ſpecies

ſufficit. ib. 4. vis in vita hominis etiã corporali ſuſtẽtanda.46.4. operatio,per quid fiat? 47.6.cur tantus amor,honor, apud ſanctos? ib. & apud quos præcipuè? ib.apud quos ſæpiſſime? 46. 3. ſapor nido cõparatus.47.2. miracula unã ſpeciẽ ſufficere teſtãtia.48.8.effectus,quòd non cõvertatur in noſtrã ſubſtantiã,ſed nos in ſe convertat,& comunicet agilitatẽ,ſubtilitatẽ, imortalitatẽ.47.4. uſus olim in baptiſmo&baptizatis.44.3.illuſio punita ovo ſuffocãte blaſph. 46.9.
Euchytæ hæretici laborem fugientes.41.6.
S. Euphraſiæ Virginis laudes quis ſcripſerit? 30.5.
S. Euthymius odore cognoſcit alterius turpẽ cogitationẽ. 61. 3.
Exaltatus Chriſtus quo modo? quoties? quo fructu? 20. 8.
Examen conſcientiæ contra metũ diuini iudicij. 95. 5 ovorum. 94.1. & 95.2.
Excœcatæ aues citius pingueſcũt. 70. 7.
Excommunicatum deteſtantur ciconiæ.34.8.
Exemplum iuſtitiæ diuinæ. 7.6. humanæ item.6.9.
Exinanitio filij Dei quid? 17. 6.
Extenſio manuum in benedicendo.52.1.
Extolli nocet.63.2.
Extrema unctio ſymbolo repræſentata.51.2. prodeſt ad cælum ituris.45.7.
Eyrland quæ terra? 48. 1.

FAbâ freſâ ſervari ova. 50.1.
Fabula Caſtorum.18.2. ſenis & Æthiopis. 81.2.venam ſecantis & mulieris.90.1. de tribus Magis.14.1.nautæ araturi.70.4.
Facies à ſole non nigreſcit ovi ope. 79.2.
Fælicitas mundi quàm periculoſa? 95.3.
Femina modeſta cicada eſt. 37. 4. Novatianos & Tertullianum ſeducit.77.3.
Fames diu qua arte toleretur?48.2
Favorinus cur liberos velit lactari à ſuis matribus? 65.1.
Fatui ignes cuius rei ſymbolum? 91.4. Virgines fatuæ. ib.6.
Februa ova. 50. 6.
Fermentum eſt hypocriſis. 64. 3. item ira.89.7.
Feſtucam gallinæ parituræ cur mordeant? 33.1. ſeq.
Fides in piſce cur ſignificetur? 21. 4.utilis & neceſſaria eſt ad ſalutem. 14.4.cur à nobis exigatur? 20.3.elevat nos ad ſupernaturalia.ib. 4. eſt etiam à nonnullis non Iudæis, ante Chriſti aduentum,habita.12. 8. eius intentio eſt effectus ſacramenti. 45. 5. credibilitas unde? 20. 5. remanet in peccatore. 49.2.
Figura ovalis quàm difficilis factu? 55.1.quo modo facienda? 8. 6. 89.7. quæ fuerit SS. Euchariſtiæ? 48. 6.
Filij proprio lacte educandi.65. 1. gloria parentũ. 42.2. plerumq; parentib⁹ ſimiles.66.2.& 40.3. non rarò etiam diſſimiles. ib.nõ cuivis in diſciplinã dandi.34.4. cur à lege iubeantur amari? 76. 6.interficiuntur à proprijs parẽtibus.ib. male educati quo modo gratias agant? 42.5.damnationem parentũ augent, quoties peccant.42.6.horribiliter puniuntur.61.6. in parentes ingrati horri-

Digitized by Google

horrificè puniuntur.73.3. ſeq.
Filius Dei naturalis, & adoptivus, in quo pares, vel impares?22.4.
Fimetis Ægypti ova excluduntur. 43.1.
Finis rerũ quis proprius, quis cõmunis? 5.4. quis nobiliſſimus? ib.8.ad eum tendere cur debeat homo? ib.5.nec debet eſſe nullus, nec malus. ib. 10. ſemper aſpiciendus.100.4.
Firmus in ovo cognoſcit Vniverſum.1.4.putat ave prius.2.1.
Flexio fractionis initium. 31. 2.
Floritij cyathus ex ovo.91.1.
Fœtor peccati.61.2. ſeq. peccatoris.ib.3.ſeq.hæreticorum. 64.8.
Fons eſt pœnitentia,49.3.&Deus, ſed occultus quà inviſibilis, puteus quà incarnatus.ib.
Forma ovi quàm eximia?55.1.ſeq.
Formica morũ magiſtra.41.4. utilia auibus & urſis ova parit.45. 1.cani magnitudine par.89.4.
Fornicationis damna. 84. 4.
Fortitudo iungenda alijs virtutib. 31.4.ſeq. cardinalis virtus.ib.5. eius deſcriptiones. ib.6.quàm præſtans, & neceſſaria? 74. 2. quo modo à temeritate differat? 75.2. eius officia.ib.3.
Fortuito omnia fieri quis docuerit? 4. 7.
Fractio ovi genus illuſionis. 66. 1. omen malum.67.3.
Fragilitas humana. 31. 4.& 74. 1. indiget fortitudine. ib. 2. vitro ſignificatur & ovo.49.2.
S. Franciſcus Seraphicus ex humimilitate diaconus manſit. 53.7. eius viſio. ib. Xaverius magnus cultor Euchariſtiæ. 47. 6. ardet amore Dei. 24. 3. quid iudicet de ſuperbia? 79.5.
Fraus quid? & quo modo differat à dolo? 71.5. quomodo contra legem,vel legi fiat? ib.mundi & diaboli. 59.4.
Frumentum electorũ Euchariſtia? 46.2.in eo nidus faciẽdus. ib.8.
Fucati quàm turpes? 81.4.
Fuga remedium libidinis. 34.7.
Fulmini obſtare putatur corium vituli marini.74.3.
Fundâ ova quo modo coquantur? (26.1.
Fur correctus præſentię Dei virtute.3.10.
Furfuribus obruenda ova, ut maneant.50.1.
Furor quid! 88.5.
Futura præſentibus anteferenda. (99.7.
GAbrielis Archangeli ſpecie apparens diabolus fugatur humilitate. 77.4.
Gallina anſerũ & pavonũ ova fovet.39.1.itẽ anatum degenerũ. 15.3.cur ſingultiat paritura? & an doleat? 33. 1. ſerpentis ova in ſuam perniciem fovens.68.4. auripara.82.1.quo modo ſterileſcat, vel fœcunda fiat? 29. 1. pane magico fit fœcunda. 58.2. caput cælo ſæpiſſime erigit. 15. 3.quæ quodnam ovũ pepererit, ſcitur.95.1.trigeſima uno die à muliere devorata.87.3.eſt ſignũ in cœlo, quod cygnus dicitur. 15.6.eſt Chriſtus. 15.2. & 22.1.
Gallus ſenex an ovũ pariat? quale? & quomodo? 85.3.non potuit abigi ab incubatione. ib.
Garruli ſymbola.37. à n.2.
Gaſpar è trib.magis Chriſtũ adorantibus quale ſignũ de Chriſto nato fingatur habuiſſe? 14. 1.

Digitized by Google

Gaudium mortis cauſſa quib. fuerit ! 92.3 . beatorum quàm plenum ? 98. 4.
Gemina ova an, & quomodo excludantur ? 18.1.
Geneſius baptiſmi virtute converſus.44. 5.
Geraſimi leo quàm gratus ? 68. 5.
Germani veteres, cur nullum Deo templum ædificarint ? 14. 7.
Giezi fraus. 71, 6.
Gigas mirabilis.1. 5.
Gladio proprio Marius interfectus. 68. 2.
Globoſam eſſe terram. 8.1.
Gloria divina alteri non danda. 78.4. cœleſtis facit nos contemnere præſentia. 100.5. vana damnoſa, inanis. 78. 3. eſt luxuria ſpiritualis. ib.4. & baſiliſcus ib.
Gluten ex ovo. 49. 1.
Gnome quid ſit ? 27. 4.
Godefridi Bullonij caſtitas,& prçmium eius. 30.3.
Græcæ linguæ donum manuum impoſitione accipit S. Ephræm. 53.7.
Grandines ovorum.5.1. & 59. 2.
Gratiæ divinæ, precium & effectus. 10.7. neceſſitas & peccata vitanda. ib.6. & 20. 2.& 31. 4. habitualis quomodo acquiratur,augeatur,& quid ſecum ferat. ib.oſtenſæ in rore hiſtoria. 43. 5. poſt menſam Deo, non diabolo,referenda. 96.4.
Gratitudo ciconiæ in parentes. 68. 1.
S. Gregorius Nazianz. per totam quadrageſimam ſilet. 37. 6.
Gregorius Patriarcha Conſt. converſus aranearum ruina. 14.5.
Grues quid docuerint ? 41.9.
Gryphes auarum ab auro arcentes.83,3.
Gubernatio mundi à Deo. 4.3.
Gulæ exempla. 87. 2. ſeq. irritamenta 29. 8.
Gutta in ovo eminens cur ? 5.1. in ovo intus ſanguinea.16.6.

HÆreſis eſt ovum aſpidis.64. 1. ſeqq.
Hæretici cimices. 64. 8. piſces 66.2.tumore creſcunt. ib.3. vitandi.34.5. Et 64.7.ſeq. Et tamen diligendi. 23.6. non poſſunt vitare benedictiones, adeoque neque vituperare.52. 3.
Halitus ovi aſpidis quàm noxius ? 64. 8.
Hannibal ſuis artibus petitus.68.3
Helenæ & Pollucis fabula. 18. 2. dicitur ex ovo,quia è cœnaculo, prodijſſe. 89.3.
Heli malus parens.42.5.
Henricus II. Imp.in coniugio Virgo.30.6.
Herculis ovum. 1.6.
S. Hieronymus catechiſta parvulorum. 40. 7.
Hippopotamus docuit ſectionem venæ. 41. 8.
Hirundinis induſtria in ovis ſeruandis.37.1. & in cicadis capiendis.ib.importunitas.ib.2.
Homeri Ilias nuce incluſa. 16. 10.
Homo parvus mundus.7.1.in magnum verſus.1.5. ex ovo. 18.2. ſimilis ovo.7.1.& quidem vbique impingenti.10.2.aut ſua ſe vi erigere non valenti. 11. 2. quamuis etiam,cum eſt cęleſtis,

Digitized by Google

ovo ſit ſimilis.98.3. Nihil eſt, Niſi Deum timeat.5.8. à peccato curvatus eſt.8.2. & 10. damnatus fuiſſet omnis, ſi redemti non eſſemus.18.4.
Hor quàm diu ſine cibo vixerit? 46.4.
Horoſcopi vanitas.60. 2.
Hortus ovali figura in præf. ad Lector.
Hoſpitalitatis exemplum mirum. 24.5.& 26.3.
Humanitatem homines ab alijs exigunt,quam ipſi non pręſtant. 89.7.
Humilitas quid? 35. 3. ſeq. à ſtruthione diſcitur. ib.2. eſt cuſtos virtutum.ib.3.quotuplex? 36.4 diabolum fugat.77.4. docetur à palumbe.25.1.connectitur cum charitate ceteriſque virtutibus. 26.5. ſignificatur ovo ſubſidente.79.1. quas habeat proprietates? 36.3.
Hyeme cur quædam aues pepererint? 24. 1.
Hyponemia ova quæ? 78.1.
Hypocriſis ſummum vitium.80.3. ovum clam coquere docet.ib.1. ſimilis eſt meretrici. ib. 5. Doctoris Pariſienſis. 95. 3.

IAcob patriarcha prudens.36. 1. Apoſtolus vino & carne abſtinens.29.7.
Iácere ova,& non frangere.75.1.
Iactantium vanitas.35.5.
Ichneumon ova populans perit. 85. 5.
Idololatriæ ante Chriſti aduentũ vigor.15.4. confuſio, ob præſentiam Confirmati. 45.6.
Idiomatum in Chriſto communicatio.14.3.
Ieiunij violatio caſtigata.80. 2.
Iezabel ob fraudem punita. 71. 6.
S.Ignatij mart. de Dei præſentia ſenſus.3.8.Loiolæ per creaturas ad Creatorem aſcenſio.41.7.liberalitas in pauperem.25.4. victoria contra vanam gloriam. 78.6.
Ignaui deſpecti & ſuſpecti.91.6.
Ignis non lædit ovo perfuſa.96. 5. ignem extinguit.32. 5. caſtitatem defendit S.Dominici.97.6. punit homines. 7. 8. quos non lædat,aut læſerit? 97. 5. diuini amoris quomodo concipiatur? 24.2. ſeqq.fatuus varius.91.4.
Ignorantia mundi Chriſto nondũ nato.15.4. ea utitur diabolus. 59.4. ſeq. facit ut crudus pullus comedatur.71.1.
Ignoſcere nolentem rapit diabolus. 89.6.
Ilias nuce incluſa. 16.10.
Imitatio pecuniæ contemtæ.6.9.
Immenſitas Dei contracta in ovum.14.7.
Immortalitas corpori communicatur ab Euchariſtia 47.4.
Immutabilitas Dei.13.2.
Impiorum providentiam negantium vox. 4.4.
Impleri ouum vitreum aquâ quo modo poſſit? 77.1.
Impoſitio manuum quid? 45.4.
Impoſtura auaræ grauiter punita. 83.6.
Imprecationibus abſtinendũ.52.5
Imprudentia in omni peccato.70. 6. eius defectus ib.7.
Incantatores diuini dicti.57.4.impedi-

Digitized by Google

pediūtur rebus benedictis. 52.4
Incarnatio, in quo conſiſtat? 12.5. non attulit Verbo diuino mutationem. 13.3.
Incendium extinctum ab amante ſilentij. 37. 6.
Inconſtantia temeritatis comes. 75.2.
Incubatio ovorum alterna. 54.1.
Inepta media per fabulam expreſſa. 70.4.
Infans Chriſtum natum prędicans. 14. 1.
Inferni æmula luxuria. 84. 6. pœnæ. 18.5. & 96.4. ſeq.
Infinitus proceſſus abſurdus. 2.7.
Ingratitudinis ſymbolum ſerpens. 68.4. acerbitas. ib. 5. exempla in magiſtros, benefactores, Deum. 73.2. ſeqq.
Iniuſtè accepta non proſunt, ſed obſunt. 83.4.
Inobedientes ovo cui ſimiles? 17.6
Inquietudo avaritiæ filia qd? 82.6.
Inſidiæ illiciunt Muleaſſem. 60.5.
Intellectus humanus maximum & minimum. 14.7.
Intelligentia pars prudentię. 27.3.
Intemperantiæ typus, & effectus. 76.2. pœnæ. ib. 3. exempl. ib. 5. & 29.8. & 87.2. ſeqq.
Interpellare Chriſtus quo modo dicatur? 17.5.
Iuventor & reſtitutor pecuniæ. 6. 9. navigationis & rei novæ. 11.1
Invidi ſymbolum baſiliſcus. 85. 5. cauſſa. ib. pœna. ib.
Inutilia ova quæ? 78.1.
S. Ioannes Bapt. à morte liberat Sanctolum. 18.7. Apoſtolus virgo manſit. 30. 5. hæreticos fugit. 34.6. Silentiarius quàm diu ſiluerit? 37.6. monachus, quàm diu ſine cibo fuerit? 46.4. Gerſon catechiſtam egit. 40.7.
Iob in fimo. 43.2. cur velit ovum ſale condiri! 27.1.
Ioſeph Patriarcha diu. prouidentiæ exemplum. 4.6. mirè caſtus. 34.7.
Ira moderata prodeſt, nimia nocet. 88.3. eius definitio. ib. 2. eſt cani ſimilis. ib. 3. duplex & unde! ib. 4. ſeq. alios rubere, alios pallere facit. ib. quid interſit inter iram, & iracundiam, & furorē. ib. 5. eius damna & effectus. ib, 6. & exemplum mirum. ib. 7. ſex filiæ. 89.7. & exempla. ib. 6. omnia exaggerat. ib.
Irrita ova. 78.1.
Itali quomodo aperiant ova? 40.1.
Itys ex aqua naſci fingitur. 1.6.
Iudæi quomodo aperiant ova? 40. 1. aſpidi & viperæ ſimiles. 64. 1.
Iudas ſua fraude perijt. 71. 6.
Iudicium mentis quid? 27.4. quo modo ſit in peccante falſum? 70.7. divinum lucernę par. 94.3. certum, & ſeverū. ib. ſanctis formidabile. ib. 4. deſcriptio. ib. 5. clemens tamen miſericordibus.
Iudith viduę caſtitas. 30.3. (25.6.
Iulia in ovo augurata. 62. 1. alia item in fractione ovi. 67.3.
S. Iulianus in coniugio virgo. 30.6.
Iuſtificatio hominis, quibus gradibus procedat? 21.1. ſeqq.
Iuſtitia Deo glorioſa. 6.7. homini utilis, etiam malo. ib. 9. vnde cognoſcatur? ib. 7. eius exemplum. ib. 9. & 7.3. eſt magiſtratui neceſſaria. ib. 4. miſcetur miſericordię. 9.5. in Deo quàm rigida

11.4. ſocianda eſt fortitudini. 31.4. qualis? 28.3. eius pulchritudo. ib. & partes. ib. 5.
Iuventus hominis pulchra. 81. 2. inſtruenda. 42. 2.
S. KEivvini imago, patientia circa ova. 53.1.
Kingis regina coniux & virgo. 30.6.
S. Kunegundis coniux & virgo. 30. (6.
LAbor, Chriſti. 15.3. non fugiendus. 41.6. præſertim, pro cœlo. 98. 6.
Lachrymæ Petri, & Magdalenæ. 50.3. igneæ. ib.
Lactis origo, effectus. 65.2. datum baptizatis. 44.3.
Lactandi à ſuis matribus filij. 65. 1. quod faciunt & veſpertiliones. 56.3.
Lacticinia quę, & cur ſubinde prohibita? 29.6.
Lampas ex ovo. 9 112. ſignificat diligentiam vel negligentiam. ib. 3. ſeqq. itémq; fragilitatem. ib 3
Lana ovium ſit durior, ſi ſuxerint capras, & vice verſa. 65.4.
Lapis in nido cur utilis? 28.1. ſeq. cur in ore? 37.6. vermiculi ſanguine, an ſecetur? 41.2.
Laudes humanæ vitandæ. 36.3.
Lauretana Virgo deſperato iuueni benefica. 73.3.
Lectus ovo luſtratus. 50.6.
Ledæ fabula. 18.2.
Legalis iuſtitia quæ ſit? 28.5.
Leo ex ovo. 14. 1. & ove. ib. 2. Chriſtus. ib. quid doceat? 41.9. gratus Geraſimo, & Androdo. 68.5. draconinus. 1.6. Papa, punitus, ob indignos admiſſos ad ſacramentum ordinis. 53.5.
Leporis & ſcarabæi fabula. 69.1.
Leproſorum ingratitudo. 73.2.
Lex antiqua novæ cedit. 19.4.
S. Liberalis ſola Euchariſtia vixit. 46.4.
Liberalitas Deo grata. 38. 3. eius definitio. ib. 5. laus exempla affectus & effectus. ib. 6. ſeq.
Liberi Patris ſacrificiū in ovo. 1.4.
Libertas arbitrij poteſt eligere quod vult. 9.5. manſit in natura corrupta 10.4.
Liber divinitatis Mundus. 3.1. continens ſcripta peccata baptizatur. 44.5. hæreticus non legendus. 64. 7. ſanctis execrabilis. ib. 8. prohibitus. 34.6. comburendus. 57.5.
Libya quo modo ova coquat? 26.
Ligaturæ prohibitæ. 63.3. (1.
Lilia virginitatis ſymbolum. 13.6.
Limbus Solis circa mulierem. 55.7.
Lineæ in centro concurrentes charitatem docent. 24 2.
Lingua incendium domat. 37.6.
Locus noſter cur De' vocetur? 5.6.
Lomento ſeruantur ova. 50.1.
Longa ova, an mares gignant? 62.2.
Loquacium incommoda. 37. 3. ſeqq.
Lothi uxor. 21. 4. hoſpitalitas. 24. 5.
Lucardi reſponſum de ovo. 80.1.
Lucerna ovum coquit. 80. 1. & probat. 94.1.
Luctari cum larvis, quid? 59. 1.
S. Ludovici liberalitas vera. 38.5. Bauari in vinculis conſtantia. 74. 3.

Ludus

Digitized by Google

Ludus Geneſium conuertit. 44.5. alium damnat in confeſſione non detectus. 61.6. ova ſpargit, colligit, vel frangit. 75.1. & 93.1
Lunam qui pro gallina habuerint? 18.3.
Lunares quales feminæ? 58.1.
Luſtrationes ouis factæ. 49.1. & 50.6.
Lux Deo amata 56.2. ineſt ovo ib. 4. & hominib' 91.3. fovenda. ib.
Luxuria quo modo fugienda? 34.4. eius damna 84.4. ſeq. & filiæ. ib. 5. ſpiritualis quid? 78.4. ſeq.
S. Lydvvina quàm diu ægrota? 33.4. quanta Euchariſtiæ cultrix? 47.6.
Lyſimachus aquæ potu quantum vendiderit? 87.3.

MAcedonius ſanat mirè voracem feminam aqua benedicta. 87.3.
Magiſtratus obligatur ad veneficos puniendos. 58.7.
Magiſtri variorum qui? 54.3. ubique occurrunt. 41.4. mali declinandi. 65.1. in diſcipulos vitia ſua deriuant. 72.3. à diſcipulis cæduntur. ib. 1. ſeqq.
Magi quo modo ad Chriſtum vocati? 14.1. mali, impediti à ſacramento Confirmationis. 45.6. diuinitatem affectant. 57.2. ſeq. ovo utuntur. ibid. 1. extirpandi. 58.7.
Magna quo modo appareant, quæ ſunt parua? 89.6. ova qua arte fiant, ita ut caput hominis æquent? 89.1.
Mala cur in mundo permiſſa? 6.5. & quo modo? ib. 6. in Dei laudem redundant. ib. 7. non ſolùm Deo, ſed & homini, bona ſunt. 7.7. non facienda, ut veniant bona. 86.4. ea ſolus Deus poteſt ordinare in bonum. ib. 6. colloquia & conſortia vitanda. 34.6.
Malacoderma ova quæ? 17.1.
Mali corui malum ovum. unde? 72.3.
Maledicus in parentes mirè punitus. 73.3.
Malefici quibus nominibus vocati? 57.4. Vnde ſeducantur? ib. 5. quo modo ſeducant? ib. 6.
Manna omnem ſaporem habens, figura fuit Euchariſtiæ. 47.2. & 48.6.
Mania quid? 88.5.
Manichæi cibis maledixerũt. 52.4.
Manus ſacerdotum quanta operentur. 53.2. unde, aut cur imponantur! 45.4.
Marcianus Imp. coniux & Virgo. 30.6.
S. Marci Euangeliſtæ diſcipuli, quàm abſtinentes? 29.7.
S. Maria Virgo ovum à Chriſto petendum. 12.3. ovo ſtellato ſimilis. 55.7. prima coniux & virgo. 30.6. baſiliſcum occidit. 85.4. hæreticum librum deteſtatur. 64.8.
S. Maria de Ogniaco vidit S. Spiritum deſcendentem in baptiſmo. 10.7.
Maris tempeſtatem ſedat Chriſtus. 19.3.
Marius ſuo gladio interijt. 68.2.
Maritos ſuos quo modo malæ uxores tractent? 90.1.
Martes ovo capitur. 9.1. ingenioſe

Digitized by Google

ſè ova aperit.40. 1.
S. Martinus in pauperem liberalis. 25. 4.
Mathematica Senecæ quo loco? 40. 5.
Matres ne ſint nouercæ. 25. 2. & 65.1. ſeq. malè ſolicitæ. 70. 1.
Matrimonij finis quis? 54. 1. officium. ib.
S. Matthæus Apoſtolus pane & oleribus contentus. 29. 7.
Maximilla quos ſeduxerit? 77. 3.
Maximū & minimū quid? 14.7.
S. Mechtildis cælitus monita de non omittenda occaſione.5.10.
Medea reprehenſa. 25. 2. vel in ſtatua ſua metuenda.34.1.
Media bona tantùm ad finem bonum eligenda. 86. 4. inepta in fabula.70.4.
Medicina ventri ab ovo. 96.3.
Mel olim baptizatis datum. 44.3.
Melchiſedechi ſacrificium noſtri ſacrificij typus. 48.7.
Meleagrides gallinæ cur agreſtes dictæ? 42.1.
Membra hominis in partes mundi verſa, fabula. 1.3.
Membrana ovi ad quid utilis? 16. 11. quid in ipſo ovo efficiat? 18. 1.
Memoria pars prudentiæ. 27. 3. mortis. 92. 1. ſeqq. & 93. 1. ſeqq. diuini iudicij. 94.4. ſeq.
Menſtruatæ, pannus quid ſignificet? 18.8. medicina in ovo ib.
Menſura potandi, excluſio ovi. 87.1.
Meretrices in regno Dei, quandò alios præcedant? 35. 5.
Merita Chriſti, & Chriſto, & nobis utilia. 17. 3. ſeq. nequeunt exhauriri. ib. 4. quantam vim in ſacramento habeant? 49.6.
Merops apum venator. 37.1.
Merula ova ſua ponit in manu S. Keivvini.53.1.
Meta in Circo quę, & qualis? 100.1
Metus diuini iudicij. 94. 4. & 95. 4. quo modo mitigetur! ib. hominis quàm ſæpe noxius? 88.2.
Michaelis Verini caſtitas.30. 5.
Milvus hominis Magiſter. 41. 8.
Miſericordiæ præceptum.25.3. effectus & præmium ib. exempla ib.4. laus.38.3.
Miſſa, cur quotidie celebranda? 46.5.
Modus, quo Deus diligendus, aut proximus. 24. 3.
Molli teſta naſcūtur ova.12.& 74.
Molliſſimum & duriſſimum ovum ſimul. 67. 1.
Momento quali omnia creata? 2.7
Monedula per hyemem pariens. 24.1.
Monſtra ex ovis quando? 18.1. fiunt, ob luxuriam, ipſi homines.84.5.
Morbi diuturnitas & utilitas. 33. 4. impetratio per preces. ib.6. cauſſa, ira. 88. 6. medicina non per incantationes quęrēda.58.6
Mores à beſtijs docentur qui, & quales? 41.4.ſeqq.
Morienti Lydvvinæ aſtat Chriſtus. 51.7.
Mortis monitio per vitrum fractū ſponte. 74. 6. Et per res omnes 92.3.ſeq. ac 93.5. inexpectatæ, aduentus in multis. ib. per ovi ſorbitionē. 92.1. metus maior. quàm voluptatis illecebrę.74.2.
Mortificatio obedientiæ neceſſaria.17.3.

Mortuus ob dura ova multa comeſta. 87.2. ſimulatus vera morte punitus. 81.6. ad vitam revocatur, ut poſſit extremam inunctionem accipere. 51. 5. nocet hæreticus. 64.8.
Motus primus ad ſalutem quis? 20.4. palpebrarum cur? 3. 3.
Muleaſſis ſuperſtitioſa aſtrologia. 60. 3.
Mulier pariens triſtatur. 33. 3. furit. 90.1 ſeqq.
Multiplicandi amici, & bona. 36.2.
Multitudo ovorum. 66.1. damnandorum. ib. 5.
Mundus ovo comparatus. 1. 1. ex ovo prognatus fingitur. ib. 6. an ovalis figuræ? 8.1. eſt inſtar pilæ ib. eſt inſtar captendulæ. 9.4. eſt inſtar Circi. 100. 3. eſt liber divinitatis. 3.1. eſt creatus. 1. 7. non eſt ab æterno. 2.7. fuit cæcus, ante adventũ Chriſti. 15.4.
Murænæ morſus utilis. 64. 6. captio. 79. 3.
Muriâ ſervantur ova. 50.1.
Muſcâ veſtitus diabolus intrat in non orantem, ante cibum. 52.5.
Muſcipula factæ ſunt creaturæ. 9.4
Muſicam docet luſcinia. 41. 8.
Muſtela emblema caſti. 30.5. hoſtis Baſiliſci. 85.2.
NAnum ovum quid? 89. 2.
Naſcuntur bis, aues. 44. 1.
Natali Chriſti nata ova an & cur durent? 13.1.
Natantia ova inania. 79.1.
Natura, Chriſti duplex. 18. 4. & 14.2. miraculo comprobata. ib. 5. hominis, malè accuſatur. 8.5. corrupta, & quomodo? ib.3. & 10. 4. ſeq. nuda qualis? ib. 2. qualis ſpoliata? ib. qualis eleuata? ib.7.
Natus Chriſtus ſine matris dolore, & violatione. 12.7.
Nauis ovo luſtrali purgata. 50. 6.
Nautæ vento araturi fabula. 70.4.
Negligens cur cuculus vocetur? 84.2.
Negligentia quæ prudentiæ contraria? 70. 5.
Negocia quiſque ſua curet, non alijs committat. 46.1. ſeqq.
Neſtorij hæretici liber delitescens arcet ſanctos. 64. 8.
Neſtoris patera qualis? 91. 1. ubi facta & dedicata? ib.
Nicippi ovis leonem pariens. 14.2
B. Nicolaus Helvetius ſola Euchariſtia quàm diu vixerit? 46.4.
Nidus Pelicani cur altus? 16.3. intutus ubi? 34.1. ſeqq. Cocincinæ mirabilis & precioſus. 47.1. Alcyonis portentoſus & fabuloſus. 89.4. eiuſdem Alcyonis naturalis, ac verus mirificus, & natans. 19.1. Alaudæ in frumento. 46.1. proprius deeſt cuculo. 84.1.
Nigros pilos fieri à corvino ovo quis doceat? 81.1. item à plumbeo calamiſtro. ib. 3.
Noctuinum ovum quid? 86.1. abſtemium facit. ib.
Nova doctrina ſemper ſuſpecta. 66.5.
Nuce incluſa Ilias Homeri. 16.10.
Nuptiali veſte opus ad cælum ituris. 98.6.
Nutrix qualis eſſe, vel non eſſe debeat? 65. 1. ſeqq.
OBduratio erga proximũ. 82.6.
Obedientiæ duplicis ſymbolum. 17.2. motivum. ib. 3. Chriſti præ-

præmium.ib.3.Abrahæ.ib.
Obſervatione augurij deceptus deſerit ordinem.62.5.
Obſeſſi à diabolo utiliter.77.5.
Occidere ſe illicitum.32.3.
Ocium vitandum exemplis beſtiarum docetur.41.4.ſeq.
Occultè comedens, qui videbatur hominibus ieiunare.80.1.
Oculi in occipitio Chriſti. 3. 10. divini non falluntur.95.3.iuſtitiæ ſol nomen habet.3.2. providentiæ ſymbolū. ib.unde dicti? ib.3.deſcribuntur.ib.in ſceptro. ib.2.quàm celeres! ibid. 3. ſeq. quàm capaces.ib. 4. quàm ovo ſimiles? ib.7. in ſolem & lunam converſi finguntur. 1. 3. ſanantur ovis. 51.1.
Odij deſcriptio. 69. 1. ſeqq. vis & effectus. ib. 2. in fratribus Ioſephi.ib.3.in diabolo. ib. erga Iudæos Ammanis. ib. Caini.ib.
Odor unguentorū prodit Muleaſſem. 60.5. diſtinguit ova. 61.1. item peccatores.ib.2.ſeqq. muſtelæ occidit baſiliſcum. 85.2.
Oleum ovorū quomodo fiat?51.1.
Olor quale ſidus? an gallina?15.6.
Omnia ferè animalia,ex ovo. 1.2.
Omnipotentia creatoris eadem in omnibus. 2. 6.
ὤν, & ᾠὸν quàm ſimilia? 2.3.
Onacrotalus qualis avis? 16. 1.
Oonæ ovis viventes populi.48.1.
Opera inutilia hominū,quæ? 78.3.
Ordinis ſacramenti dignitas.52.5. & 53.2.ſeqq.quid conferat? ib. 3.non omnibus conferendū. ib. 5.cur nequeat iterari? 45.5.
Ore procedens ovum quid Ægyptijs? 1, 7.
Originalis iuſtitia quid! 8.10.culpa & labes quid? 43. 2.
Ornatus veſtium punitur. 54.5.
Oromaceni ovum viginti quatuor deos continebat.14. 7.
Orphici quid de ortu mundi, & ovo ſentiant? 1.4.& 2.3.
Oſſa in montes verſa, quo fabulante? 1. 5.
Oſtracoderma ova, quæ? 17.1.
Othonis Cæſaris ſatisfactio.50.5.
Ovorum definitio.82. 2. Perfectio interior,& exterior.55.ortus teſtâ molli & ſine dolore. 33. 1. etiam ſine ſemine ſæpe & maſculo.30.1.& 78.1.ſeq.unde?ib. 2.quæ proinde irrita, urina, hypenemia, Zephyria, Cynoſura, ſubventanea appellantur. ib. ad quid inutilia? ib.hatantia.79.1. requieta.ib.ſtantia.ib.variç ſpecies,formæ,naturæ effectus.6.1. quo modo dignoſcātur? 95.ſeq. è quibꝰ femellæ, vel maſculi naſcantur? ib.& 62.2.quæ præſtātiora? 76.1.Exotica & extraordinaria in pullos miraculosè verſa,& reverſā. 83. 1. dāmarū. 80.6.Tyndariā. 18.1. ſeq. Oromaceni in quo Dij.14.7.Herculis.1.4.item Xacæ ingens.1.3.& alia protentoſæ magnitudinis. 89.1.ſeqq.Cōſervatio diuturna. 50.1. Excluſio quàm citò fiat? 33.5.manu hominis facta.62.1. & 63. 1. itē fornace Ægyptiaca. 32.1.Cur in nido vertēda?39.1. ſterilia quomodo ſanet ciconia? 23. 1 tonitru & voce accipitris deſtrui dicantur. 88. 1. uti & contrectatione. 34.3. ſua aues nolunt fouere, ipſæ

ipſæ non fotæ à ſuis. 65.2.aquilæ à ſcarabæo deſtructa,& cur! 69.1. Robur; ut non frangantur! 31. 1.ſeq.& 38.1. & 75. 1. ut non inficiantur? 98.2.& 23. 1. & 28.2. animalia quæ progignant,quæ non? 56.1. & 66. 1. Leonem & Agnũ continuerunt, ſi credere fas eſt. 14.1. quin & Mundi principium fuêre ſi fabulis fides.1.5.& 2.3. Coquendorum artes & modi 26. 1. ſeq. & 80.1. & 96. 1. ſeq. quæ ſalubriùs corecta? ib.2.cur, quædam citiùs rumpantur? ib. 2. Eſus antiquiſſimus.48.1.alunt quartam partem hominum.46.4. & quam potiſſimùm? 48. 1. Vim cibi & pôtus habent. ib. 2. cur in quadrageſima prohibeantur? 29. 6. alium dura comeſta necant.87.2. alium Paſchale ob blaſphemiam.46.10. aliũ molle.92.1. Vſus in pocula. 87.1.& 91.1. ſeq. in menſuram potandi.87.1. in vitra vertuntur. 74. 1. in colorem item. 81. 1. item in fucum,& tæniam feminarum. 96.3. Medicina ſanguinem ſiſtens. 18. 8. & alia mala ſanat. 49.1. & ib.8. Ludi, ut pingantur & inſcribantur. 6. 3. & erigantur ad ſtandum tam verè, quàm ridiculè. 11.1.ſeq.ut à ſole attrahantur.20. 1. ut per feneſtram proijciantur. 10. 1. ut aceto macerata per annulũ trahantur.17.1.ut pro ſagittis adhibeantur.59.1.& olim & nunc ludis adhibita.75. 1. & 93.1. & in Circenſib. ludis. 100. 1. Auguria 62.1. Luſtrationes.50, 6.

Symbola rerum omnium, per totum.

Ovalem figuram an habeat mundus! 8.1. an faciat circinus? ib. 8.& circulus? 89.7. an referant omnia? 100.2.

Ovis Chriſtus.14.2. Nicippi. ib.1. in igue viuens. 97. 4,

PAchomius vim baptiſmi expertus.43.5. patiens.26.3.

Pædagogi boni neceſſitas.39.2. utilitas & officium. 54.3. cuiuſq; quis fuerit diſcipulus. ib.

παλιγγενεσία quid? 44. 1.

Palebræ unde dictæ? 3. 3. quem uſum habeant? ib. quàm celeres? ib.

Palumbes quàm viuax2?5.1.ſe deplumat,ut pullos foveat. ib.

Pambo quàm diu, & cur ſiluerit? 37. 6.

Panis charitatis ſymbolum. 21. 1. vitæ.46.6. magicus, ova producens.58.3.

Pantænus catechiſmo præfuit docendo.40.7.

Paphnutius Thaidem quo modo converterit? 3.8.

Paradiſiaca auis qualis? 99.1.ſeqq.

Parentum amantes ciconiæ. 68. 1. hoſtes viperæ. ibid. amorem cur præcipiat lex,& non filiorũ? 76.6. officium 54. 1. peccatum mortale quando negligentia? ib.3. bonorum plerumque boni,& malorum mali filij. ib. 4. quanta obligatio? 42. 3. cauſſa damnationis ſunt filij.ib.5. ſeq. malorũ exempla. ib. obſtrictio, ad filios erudiendos.40.6. item vel nullis, vel bonis tradendos. 65.

65. 1. vitia & morbi quo modo in filios redundent? 76.3. naticidia. ib.6.
Parere ſine dolore gallinas. 12. 5. & 33.1. uſque ad internecionẽ anſeres.70.1.
Pariſienſis Doctoris hypocriſis detecta. 95.3.
Particularis iuſtitia quæ? 28. 5.
Parvitas humani corporis in utero, 14.7.
Parvus mundus, homo. 7.1. etiam magnis poteſt nocere.69.2.ſeq. & à magno gigni.66.1.
Paſchalia ova quæ malè, vel rectè uſurpentur? 13. 1. certamini & ludis adhibita.93.1.
Paſſio Chriſti ad amorem incitat. 26. 6.
Patientiæ utilitas & neceſſitas. 26. 2. ſocia charitas.ib.3.probatio. 33. 3. exempla ibi. 4. fructus. ib.5. ardor. ib. 6. illaudabilis exemplum.90.8.
Pauperum cura.38. 1. amatrix S. Catharina.ib.alii amatores ſancti.25.4. ſeq.compenſatio.ib.5.
S. Paulini charitas.18.7.
S. Paulus Apoſt. in pauperes liberalis.25.5.cur pro Deo habitus, dum non læderetur à ſerpente? 57. 3. Eremita abſtinens. 29.7. Romanus auſpicijs deceptus. 60.2.
Pavonis in pariendo mos.76. 1.
Pax Chriſti quantum bonum. 19. 1.ſeqq.
Paximatia quid ſint? 29.7.
Peccati onus mundum premens. 8. 1.ſeq.& 10.2. labes, eſt ſanguis, & ſanguine mundatur. 18. 8. fœtor.61.2. horror. ib.3. ſupra ignem, & infernum, deteſtatio. ib.5. perturbatio. 19.5. auerſatio Chriſti. 43.4. virtutes perdendi vis.49.2. remedium præſentia Dei.3.8. dimittendi quãta poteſtas? 53.3. deletio in baptiſmo.44.4.
Pecunia reſtituta. 6.9. cum avaro ſepulto. 83.7.
Pediculi in homines mutati qua fabula? 1.5.
Pelicanus qualis auis? 16.1. Chriſtus.ib.2.
Pelles precioſæ acriter punitæ. 72.2.
Perca Scorpio oppoſita.21. 5.
Perdix fouet, quod non peperit. 15.5. redit ad parentem. ib. ſimilis diabolo. ib. & reſipiſcenti peccatori. ib.
Pericarpiſmus quid? 33. 2.
Perfectorum nomine intelliguntur confirmati.45. 4.
Pericula vitanda. 34.1.ſeqq. & 74. 4. & 75. 2.
Permiſſio malorum qualis, & cur? 6.4.ſeqq.
Perſarum reges ex aureo ovo bibêre. 87.1.
Perſecutores ſunt benefactores. 32.7.
Perſona una in Chriſto, naturæ duæ.14.3.
Pertinax quis? 75. 3. cur non dicatur fortis? ib. comitatur temeritatem. ib.
Petaces nimiùm qui? 73.1.
S. Petri utilis humiliatio. 77.4. lachrymæ quantæ? 50.3.
Phaëthon orbis Caligula.68. 4.
Pharaonis, plagæ à Deo punientẽ. 7.8. magi aulici.57.6.

Phariſæorum doctrina & fermentum. 64.3.
Phiala conſcientiam repræſentans. 53. 7:
Phœnix ſine ovo naſcitur. 56. 1. Chriſto ſimilis.ib.2.
Pia locuti. 16.11. & 19. 6.
Pilæ ſimilis mundus. 8. 2.
Pinguefieri nocet. 70.7. & 82. 1.
Pigri ſtudioſi ars & profectus. 98.5
Pipit pullus ovo adhuc incluſus. 44.1.
Piſcis fidem ſignificat. 21.4. an ſine maſculo pariat? 30. 1. quis ex ovo, vel ſine ovo naſcatur? 66.1.
Platoni folia ſterilitatem tollunt. 23.1.
Platonis ens ovum eſſe. 2. 3.
Pleiades à ſtruthione obſeruari. 35.1.
Ploranda cur peccata? 50.3.
Plumbeo calamiſtro canos nigreſcere. 81. 2.
Pluvia Dei vindicta. 7.8.
Pnicta ova quæ? 96. 1.
Poculum ex ovo ſtruthionis. 87.1. Rhœti & Herculis, quàm grande? ib. ex ovo. 91. 1.
Pœnitentia quid, quà virtus, quà ſacramentum, quæ eius partes? 49. 5. quid quà reſipiſcentia? ib.4. eſt fons. ib. 3. eius vis unde? ib. effectus ib. 6. non negligenda. ib. 8. in cinere à quibus acta? 50. 2. continuanda. ib.3. mirabilis. 19. 5. & 93. 6. Adami quàm diuturna? 7.8.
Politica veritas qualis! 72.4.
Pollucis & Helenæ ortus. 18. 2.
Pompeius augurio deceptus. 62. 1.
Pondus magnum à fragili ovo quo modo ſuſtineatur? 31. 3.
Porcus & avarus in quo ſimiles. 83.7.
Portæ templi ſe ſe ſponte aperientes. 46. 3.
Potamianæ Virginis laudes. 30. 5.
Potatoris damna. 87. 3. ſeqq. regula. ib. 1. exemplum terrificum. ib. 6. & 92. 2. & 96. 4.
Potus & cibus eſt in ovo. 48.2.
Præceptorum obſeruatio in dilectione conſiſtit. 23. 5.
Præcipitare quid? 70. 3. de turri ex obedientia ſe, qui voluerint! 31. 6.
Prædicantis hæretici patientia mirifica. 90.8.
Prædictiones Mathematicorũ ope ſpirituum. 60.2. cur quandoque eueniant? 62. 3. quoties fallant? ib.4.
Prælatis ſua auctoritas ſeruanda. 36.6. (ſeqq.
Præſentia Dei quid poſſit? 3. 8.
Præſumtio cauenda. 74.4.
Prætextatæ punitio ob ſuperbè educatam virgine? 54. 4.
Primogenita quæ Eſau fratri vendiderit? 83.7.
Priſcilla hæreticos fecit. 77. 3. ſeduxit Tertullianum. ib.
Proceſſus in infinitum impoſſibilis. 2.7.
Proemijs excitari homines ad virtutem. 100.4.
Progne reprehenſa. 25. 2. quid ſignificet! 37.2.
Providentia in mundo an ſit? 4.2. quid? 5. 3. oculis expreſſa & impreſſa. 3. 3. ſeq. à quibus negata? 4.7. erga Ioſeph. ib. 6. erga Alcyonem. 19. 2. eſt pars prudentiæ. 27. 3. mala benè

ordi-

Digitized by Google

ordinat. 86. 6. eius ordo peccato euerſus. 9. 2.
Proſperitas mundi quàm periculoſa? 95. 3.
Protagoræ Deum negantis impietas. 4.7. Sophiſtæ hiſtoria.72.1.
Proximus noſter quis? 23. 6.
Prudentiæ natura, officium, effectus. 27.2.ſeqq. neceſſitas. ib.5. & 70.2. leges. ib. 3. officium. ib.5. ſocia fortitudo.31. 5. oppoſitum, defectus & exceſſus. 70. 3. carnis quid? ibid. 2. & quàm imprudens, ac ſibi nocens! ib.7. mundi quàm ſtulta? ib.4.& 71.1. ſeqq.
Pudicitia quid? & quibus neceſſaria! 76. 2.
Pudore mortuus neſciens ſolutionem Dialecticam. 92.3.
Puerorum trium abſtinentiũ virtus.29.1.ſimilitudo pulli è furno Cairi procedentes.32.4.doctrina & inſtitutio non erubeſcenda.40. 6. cura habenda. ib. 3. ſeqq.
Pulcheria Imperatrix coniux & Virgo. 30.6.
Pulicum magnitudo enormis.89 4
Pulli degeneres qui? 15. 3. Pelicani occiſi & rediuiui.16.2. parcentem coruum deuorant.72.3. bis naſcuntur. 44.1. ex albóne, an luteo naſcantur! 44.1. intra teſtam pipiunt. ib. auſpicijs adhibẽtur.60. 2.ruſus in oua conuertuntur. 83.1.
Punctum, oui. 5.1. eſt terra. ib.2.
Puritas quanta in ſacerdote exigatur? 53. 7.
Purpureum ouum Antonino naſcenti in omen.67.3.

QVadrageſimæ ieiunium. 29.5. ſilentium.37.6.
Quadrupedes rem, aues ſpem pariunt.21.5.
Quies animi perdita, & recuperata.19.5. ſeqq.
Quiſcula auis prudens.36.1. ſeqq. ſimilis humili. ib. 3. item Chriſto. ib.4.

RAdioſi vultus quorum ſanctorum fuerint? 91.3.
Rana garrulitatis ſymbolũ. 37.5.
Ratio ſeu intelligentia, quid! 27. 3. pars prudentiæ.ib.
Raucus Chriſtus clamando. 15.4.
Raucedinis remediũ ab ouo.49.8.
Reconciliari Deo, quantum bonum? 19. 4.
Rectitudo,primi hominis quæ! 8. 2. & 10.3. eſt cauſſa ut res non frangantur. 31. 2.
Redemtionis opus quid à Chriſto homine. quid à Deo habeat? 11. 3. quantum beneficium? ib. ſeq.
Regeneratio cur dicatur baptiſmus? 44.2. ſeqq.
Regis quod ſummum bonum in populos redundet? 7. 4.
Regnum hauſtu aquæ venditum. 87. 3.
Regula diligendi proximum. 23. 3. ſeqq.
Regulus an ex aſpide? 85.1.
Repentinæ mortis exempla.92.3.
Reſipiſcentia quid? 49. 4. perdicum pullis par. 15.5.
Reſurgens Chriſtus à nullo impio ſe videri paſſus. 98. 6.
Reſurrectio dotes corporis beatificas etiam in virtute Euchariſtiæ

Digitized by Google

ſtiæ conferet. 47. 4.
Reuelationes feminarum ſuſpectæ. 77.3.
Robertus Rex quàm pauperum amans? 25.8.
Robur ovi.67. 1. & 38. 1. & 31. 1. ſeq.
Rore vivunt cinzones.20.2.aſcendunt ova. ib.1. ſignificatur gratia deſcendens ſuper Pachomium. 43. 5.
Rotatione ova coquuntur in funda.26. 1.
Rotunda ova an femellas pariant? 62.2.
Rubra oua quid in Paſchate?16.8.
Rudolphus Habſpurgicus Euchariſtiæ cultor. 47.6.
Rupertus Tuitienſis diuinitus ad ſacerdotium promouetur.53.7.
Ruſtici ſpes inanes. 67. 2.

SAbulo ova coquendi modus. 26. 1.
Sacerdotum poteſtas. 52.5. & 53. 2. ſeqq. Ægypti abſtinentia ab ovis. 29. 6. dignitas ob quam quidam fugerunt. 53.7.
Sacræ res ſuperſtitioni adhibitæ. 59.5. & 63.3.
Sacramentum quid ſit? 51.|2. eius finis, & effectus.ib.4.ſeq.
Sacrificium miſſæ exigit duas ſpecies,non item Euchariſtia 48.7.
Sacrilegij impietas quanta? 83. 1. ſeqq.
Sagarum ars ova multiplicandi. 58.2. ſupplicium non diſſimulandum. ib.7. ars nauſeam creandi erga vinum. 86. 2. ſeq.
Sagittæ loco ova. 59. 1. ſeq.
Sal à Iobo ad ovum requiritur.27. 1. quid ſignificet? ib.2.ſeq. cur Apoſtoli! ib.5. benedicitur.52. 2. ova conſervat? 50. 1.
Salamandræ figura, ortus, obitus. 97.1.ſeqq. contra ignem vis. ib. 2. ſeq.an ova gignat? ib.1.
Salomonis templũ ſine ferro,quo modo ædificatũ fingatur? 41.2.
Sanchoniaton, qui mundo dedit ovalem figuram, quis? 8.1.
Sanctoli charitas, pro altero mori volentis.18. 7. liberalitas remunerata.38. 7.
Samir qualis vermis? 41. 3. an adamas. ib.
Sanguis peccato comparatur. 18. 8. ovo ſiſtitur. ib.ineſt ovo,guttatim. 16.6. ungit ova.ib. Chriſti ſanat nos.ib. 7. quàm utilis? 18.8. è ſpecie panis in Euchariſtia erumpens. 48. 8.
Sapientia Dei,oculo expreſſa. 3.6. mũdi,quàm ſtulta.70.2.& 71.4.
Satisfactio fieri pro peccatis æquiualenter cur à ſolo homine Deo potuerit? 11.3. cur neceſſaria? 50.2. an ſufficiat ea, quæ eſt à Confeſſario impoſita? ib. 4. eius exempla. ib.5.
Scarabæi fabula.69.1.& ſeqq.odia exprimit humana. ib.
Sceptrum oculatum quid? 3.6.
Scipio Africanus quid gloriatus de ſuis fortibus? 31. 6.
Scorpius quid ſignificet? 21. 4. concidendus.22.1.
Scripturas malè interpretati Phariſæi,uti & hæretici.64. 3.
Secunda tabula, eſt ſacramentum pœnitentiæ 49.7.
Securitas quærenda. 34. 1. ſeqq.
Seductores cui rei ſimiles? 77 1, ſeq.

Digitized by Google

Selenitides quæ feminæ? 58.1.
Senis, & Æthiopis fabula. 81. 2. diſcere volentis cauſſæ. 39. 6.
Senſus non littera in ſcripturis, attendenda. 64.4. in inferno pœna qualis! 97. 4.
Septem diebus incubat, ſeptem excludit Alcyon. 19.2.
Sepulchro vaticinium incluſum de Virgine paritura. 12.8. item aurum cum avaris. 83.6. ſeq.
Serapion fit hiſtrionum mancipium. 63.1.
Serpens piſci appoſitus, quid? 21. 4. Pelicano inſidiatur. 16. 3. in incantatores furit. 57. 1. ovo inficiens, quod remedium exigat? 64 6. in ſinu non fouendus. 68. 4. Caligula dictus. ib.
S. Servulus in ſummis doloribus Deo gratias agit. 33. 4.
Servus fit Serapion, ut dominos ſuos à peccato liberet. 63.1.
Sexus diverſi, an neceſſarij ad gignendum? 30.1.
Sigillum confeſſionis. 49. 8.
Silentij laus & fructus. 37. 5. amatores qui ſancti? ib. 6.
Siloni apparet terribili formâ diſcipulus. 72. 5.
Simia capta avari ſymbolum. 82.7.
Simon magus divinitatem affectat. 57. 3.
Simoniaci miraculo victi. 97. 5.
Simplicitas ovi pullum devorantis. 71. 1.
Simulatorum malitia. 80. 1. ſeq. quàm deteſtabilis ſanctis? ib. 3.
Sitis ſine potu domandæ ars. 48. 2.
Smerillo vitrum ſcindi. 41. 3.
Sobrietas quàm neceſſaria? 76. 5. & 87. 4.
Socrates cur Xantippen tam importunam tolerarit! 90. 5.
Sodomæ pluvia quid! 21. 4.
Sol oculus fuiſſe à quo dicatur? 1. 5. oculus iuſtitiæ à quo? 3. 2. omnia videt. ib. ellipticus. 8. 1. ab ovo arcetur, ne adurat. 79. 2. & 96. 3. paſſerem qualem habeat? 99. 1. (3.
Solertia pars prudentiæ, quid? 27.
Solſtitio nata oua cur diutiùs durent? 13. 1.
Somnia, qui interpretati ſint? 96. 1. de ovis, ſignificant aurum, & argentum. 73. 1. item pecunias, & mortem. 83. 8. item bonum & malum. 100. 8.
Sophia delicata toto anno è ſepulchro fœtet. 61. 3.
Sophiſtarum lites. 72. 1. ſeqq. pœnæ. ib. 5.
Spectaculum eſſe ſuperis & inferis. 100. 3.
Spes ovo ſignificata. 21. 3. divinâ luce & motione indiget. ib. deſcripta. ib. 4. excitat mirè. 100. 4. ſeqq. vana ovo expreſſa. 67. 1.
Spinæ, in nidum Alcyonis. 19. 1. Chriſto in coronam. ib. 3. leoni in dolorem. 68. 5.
S. Spiritus deſcendens in hominē. 10. 6. viſus infundi per baptiſmum. ib. 7. quo modo fœcundet omnia? 12. 3. quid egerit, in Incarnatione? ib. 6. quo modo hominibus detur. 22. 4. variè varijs communicatur. ib. 2. quo modo in nobis habitet? ib. 3. ſeqq.
Splendor vultui, ab ovo inducitur. 79. 2. à ſanctitate. 91. 3.
Spitamenem coniux occidit. 90. 7.

Spuriorum iniuſtitia. 48.3.
Standum non eſt, ſed currendum in hac vita.93.2.
Statua Medeæ periculoſa.34.1.
Stella, ſignatum ovum. 55. 5. B. Virginis ſymbolum. ib. 7. item Caſtorum. ib. 6.
Struthionis, ova leonem & agnum parientia. 14. 1. pro poculis. 87.1. & 35.1. magnitudo, celeleritas, natura, ib. ſollertia in frangendo vitro.41.2. ſeq.
Stulta mundi prudentia. 70. 1. & 71.1.ſeqq.
Subventaneum ovum quod? 78. 1. an ex eo baſiliſcus prodeat? ib. 2. Chriſtus quo modo dici poſſit? 12.5.
Suffocatus ovo blaſphemus. 46. 11. Sauffeius. 92.1.
Summa petere noxium.79.1.ſeqq.
Superciliũ oculo quid proſit? 3.3.
Superbiæ, definitio.79.4. inanitas & ſpecies.ib.remedia.ib.5.ſeqq. filius,aut initium. 77. 1. inſtrumentum ovum. 79. 2. iactantia.89.6.ſeductio.77.2.ſeqq.effectus hæreſis.66.2. & 77. 2. & magia. 57. 2. ſeq. & damnatio, ob vanè educatam Virginem. 54. 5. odium habent ſummum ſancti. 77.5.
Superſtitio ovis exercita. 13. 1. & 49.1. & 50.6. & 74.1.
Sus unus,quàm variè coctus?96.1.
Suſannæ caſtitas coniugalis. 30.3.
Sylla putauit de ovi principio non indagandum. 2. 3.
Symbolum Apoſtolorum denariolo inſcriptum. 16. 10. tradẽdũ neceſſariò pueris.54. 3.
Syneſis quid? 27.4.
TActu nocetur ovis. 34. 3.
Talenta Deo offerenda. 98. 4.
Tegere, & retegere ova ludus eſt. 93. 1. & utilitas.35.1.
Temeritas,cauenda.74.4. non eſt magnorum,nec fortium. 75. 2. quo modo à fortitudine differat? ib.3. eius exempla.ib.4.
Temperantiæ definitio.76.2. partes. ib. fructus. ib. 4. exempla. ib. & 29.1. ſeqq.
Templum Pacis Romæ,an corruerit, Chriſto naſcente? 14.6.Salomonis an ſine malleo ædificatũ? 41.2.cur adeant ſagæ?63.4.
Temporalia ſpiritualium tædium generant. 91.5.
Tempore utendum. 93. 2.
Tenebras qui oculi illuſtrârint? 4. 7. amat veſpertilio & diabolus. 56.4.
Tentatio Veneris, pulſa fœtore cadaueris. 93.6.
Terra punctum eſt. 5. 2. globoſa eſt.8.1.
Tertium ovum palumbis irritum. 78.1.
Tertullianus à femina ſeductus. 77.3.
Teſſaræ quot nucleo ceraſi incluſæ? 16.10.
Teſta ovi ad quid proſit! 18. 8. terræ ſimilis eſt. 1.2. item cœlo.ib.3.
Thaidis humilitas quantùm exaltata? 35. 5.
Theodoſij ira & vindicta nimia. 89.6. ſatisfactio.50.5.
Theologus à femina ſeduct⁹. 77.3.
Theona quàm diu ſilentium ſervârit? 37. 6.
Theophili epiſcopi de ſilentio relatum

Digitized by Google

latum reſponſum.37.6. alterius converſio per flores. 100.5.
Theſaurus meritorum Chriſti. 17. 3. ſeqq.
S. Thomæ Apoſtoli latus Chriſti tangentis myſteriũ.16.9. Aquinatis amor ſilentij. 37. 6. & vanæ gloriæ fuga.78. 6. Mori vitam contemnentis heroicus animus.100.5.
Tiberius Imp.in tenebris vidit.4.7
Timentium divinum tribunal exempla. 95.4.
Tiſias malus diſcipulus. 72. 3.
Tonitru ovis nocere. 88. 1. contra id ſuperſtitioſum remedium. ib.
Tonſor miſericors mercedem à Deo recipit.3.9.
Trahere Chriſti quid ſit? 20. 4.
Tranquillitas maris præſcita, vel facta. 19.2.
Transfiguratus Chriſtus cui ſimilis? 36.4.
Trecenti fortes Scipionis. 31. 6. item Chriſti. ib.
Trimalcionis ovum cum ficedula. 71.2.
SS. Trinitatis imago in ovo.1. 9.
Tumere, aliud eſt,quàm magnum eſſe. 77.2. (8.1.
Turbinis figura mundo aſſignata.
Tyndarium ovum,unde? 18.2. ſeq.

VAnæ gloriæ inanitas.78.3. damnum.ib.4.& ſpiritualis luxuria.ib.5. eſt baſiliſcus. ib.6. eius terribilis merces.72.5.
Varietas rerum in mundo.6.4.
Velitræ ovorum fertiles. 48. 1.
Venæ ſectio quid exigat? 90.1.fabulâ explicatur. ib.
Venter in mare mutatus. 1.5.
Vento ova gigni. 78. 2. & qualia. ib. an baſiliſcum parientia! ib?
Verbum Dei quàm potens! 1. 7. quo modo adulteretur? 78. 4. ſeq.
Veritas politica qualis? 72.4.
Vermes gallinis utiles. 29.1. fabuloſi,ſaxa ſecantes.41.3.
Vertumni mutatio, & comparatio. 15.1.
Veſicæ medicina ex ovo.49.1.
Veſpaſiani de liberalitate dictum. 38.4.
Veſpertilio ſine ovis naſcitur. 58. 1. diabolo ſimilis. ib. ova ciconiarum perdit. 23. 1.
Veſtiendi pauperes. 25.2.
Vetera ova à recentibus, ut diſtinguantur? 94 1. ſunt corrupta plerumque.81.1.
Vexatio prodeſt & obeſt.33.5.
Viator felix ob occaſionem merendi. 5.10.
Vices incubandi ſervant beſtiæ, quæ? 54.1.
Victoria Pragenſis ad ſtellam. 55. 5.ingrato animo ab Ezechia accepta,non ſine pœna.73. 2.
Vinaceis ſterileſcere gallinas. 29. 1. & 86.2.
S. Vincentius catechiſmum docet. 40. 7.
Vindicta divina in Ephræm iuuenem. 4. 6. in blaſphemũ.46.11. in potatorem. 96. 4. hominis unde? 88. 4.exempla.89. 6.
Vini nimij dãna. 87.4.horror ovo inductus.86.1.ſeq. item alijs remedijs. ib. 5. nomen ſignificat beatitudinem.98. 4.
Vipera an in utero excludat? 68. 1. ingrata.ib.2. aſpide prouerb. 85.1.

Virgo,

Virgo, Mater ſignificata templi Pacis ruinâ. 14.6. filium immutabilitate æmulata. 13.6. miraculo liliorum probata. ib. item teſtimonio ſepulchri. 12.8. imitatrices quàm illuſtres nacta? 30. 6. perfectior coniugatis. ib. quæ in ipſo coniugio? ib.
Virtutes altas ſpectare humiliat. 79.5.
Viſio Dei. 99.3. hominis, quàm mira, & potens! 3.4. & 14.7.
Vitalis beſtijs ingratior. 68. 5.
Vita humana vitrum eſt. 74.5.ſeq. fragilis eſt. ib. 4. currit & labitur. 93.2.
Vitellus à vita dictus. 46. 5. eſt cibus pulli. 44. 1. ſimilis terræ, vel igni. 1.1.ſeq.
Vitrum fractum vanitatis & mortis iudicium. 74.6. ſanguine vermis rumpitur. 41. 3. ovo glutinatur. 49.1.
Vitulus marinus non naſcitur ex ovo. 66.1.
Vmbilicus ovi, quid? 5.1.
Vnctio extrema. 51. 2. ſæpe etiam corpori prodeſt. ib.3. non differenda. ib. 5. ſeq. multò minùs negligenda. ib.6. eius vis mira. ib. quantum à ſanctis deſiderata? ib. 7.
Vndis marinis nidum probat Alcyon. 19.1.
Vnguentorum odore proditus Muleaſſes. 60.5.
Vniuerſum eſt liber divinitatis. 41. 8.
Vno ovo quandò duo pulli naſcantur! 18. 1.
Voluptas metu relinquitur. 74.2.
Vrbium cadauera, mortis monimenta. 92.4.
Vrina ova quæ? 78.1.
Vrtica anſeribus noxia. 70.1.
Vtilia docenda. 40. 4.
Vulnera Chriſti quàm magna? 16. 9. ſunt amoris. ib. quanta myſteria contineant? ibid. 10. quatuor naturæ lapſæ. 10. 5. membrorũ ſanantur ovi membrana. 16.11. & vitri. 49.1.
Vxor, Loth quid ſignificet? 21. 4. mala deſcripta. 90. 1. ſeqq. maritorum cæde infamis. ib. 7. lapidans ovis maritum. ib. 8.

Wladiſlaus rex SS. Euchariſtiæ cultor. 47. 6.

Xacæ Indorum Philoſophi de mundi ortu fabula. 1.5.
Xantippes deſcriptio. 90. 1. cur eam tolerarit Socrates? ib. 5.

Zachariæ Conſtantinop. ante SS. Euchariſtiam radiatio. 64.3.
Zephyria ova quæ? & cur? 78. 1.
Zizania dilata, non ignorata. 4.6.
Zonam tenens Deus quis? 1.7.

FINIS.

Monachij, Apud Nicolam Henricum Electoralem Typographum.

Digitized by Google

Digitized by Google

8 – 1

Digitized by Google